
3 1761 07865721 0

Franz Volkmar Fritzsche

Sammlung von Abhandlungen
über
klassischer Philologie

Rostock.
Adler

INDEX

LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

PER SEMESTRE HIBERNUM

A DIE XX. M. OCTOBRIS AN. MDCCCXXXI.

HABENDARUM.


PRAEMISSUM EST

DE TRIMETRO GRAECORUM COMICO

SPECIMEN I.

LITERIS ADLERIANIS.

Senarius Comicorum tot tantasque subit numerorum varietates, ut universo tam libere vaganti severas leges statuere, ac tum singulos quosque versus ad certa genera revocare neque liceat ullo modo, neque necessarium sit. Formam ejus speciemque hanc habeto:




Unde quum rursus ingens versuum inter se discrepantium numerus nascatur, nonnullae tamen, quas recipere videtur, figurae aut raro aut nusquam omnino a poëtis expressae sunt. Veluti semel tantum ejusmodi invenias trimetrum, cujus primi quinque pedes constent anapaestis, idque loco percommodo Ar. Vesp. 979.

κατάβα, κατάβα, | κατάβα, κατάβα. | .. καταβήσομαι.

Nam quum Comici versum in aequales partes non ferme distribuerent, nisi vel joco, vel variandi studio, vel quadam etiam incuria, ut

ἰποποιποποῖ,	*ποποποποποποῖ,*	*ποποιποποῖ,*
ἰὼ ἰώ,	*ἰτὼ ἰτώ,*	*ἰτὼ ἰτώ,*
ἰοὺ ἰού,	*ἰοὺ ἰού,*	*ἰοὺ ἰού,*
ἰὼ βροτοί,	*βροτοὶ βροτοί,*	*πολυτλήμονες,*
ἐγὼ δ' ἰὼν	*προσκέψομαι*	*τὸν Παφλαγόνα*

Avv. 227 sq. v. 1170. Pac. 236. Eqq. 154: tum iis quoque senariis, qui nimia pedum similitudine laborarent, videntur abstinuisse. Omnes igitur formae improbatae sunt hujusmodi:



Sed excipio primum eos locos, in quibus vel ludit Aristophanes, ut

ποῦ ποῦ 'στὶ ποῦ	*ποῦ ποῦ 'στὶ ποῦ*	*ποῦ ποῦ 'στὶ ποῦ*
μὺ μῦ μὺ μῦ	*μὺ μῦ μὺ μῦ*	*μὺ μῦ μὺ μῦ*
χαῖρ' ὦ Χάρων	*χαῖρ' ὦ Χάρων*	*χαῖρ' ὦ Χάρων*
Ὁ Ξανθίας,	*ποῦ Ξανθίας;*	*ἢ Ξανθίας;*

Avv. 1118. Eqq. 10. Ran. 184. 271, vel lepida utitur enumeratione:

ὡς ἥδομαι,	*καὶ χαίρομαι,*	*κεὐφραίνομαι.*
βουλευματίων,	*καὶ γνωμιδίων,*	*καὶ νοιδίων*
ἀπορῶ, γράφω,	*παρατίλλομαι,*	*λογίζομαι*

Pac. 291. Eqq. 100. Acharn. 31. Tum vero si duae dipodiae priores eodem numero decurrunt, plerumque et ultima dipodia generis est longe

diversi, et nimia ista similitudo caesurae vel semiquinariae (*πενθημιμεροῦς*) vel semiseptenariae (*ἑφθημιμεροῦς*) vel tertiae cujusdam ope non mollitur magis, quam plane tollitur. Ita numerus ab jambis exorsus desinit in trochaeos. Nemo igitur jure reprehenderit hos trimetros:

τοῦτο δὲ φύλαξαι· | πάνυ γάρ ἐστ' ἤδη χολή
αἰθέρα Διὸς δωμάτιον, | ἢ χρόνου πόδα.

Vide Ran. 4. 100. 285. Ach. 492. Avv. 52. Ran. 202. Thesmoph. 210. 211. 212. 393. 426. 458. Eccles. 75. 79.

Restant versus foedi adspectu, sed haud dubie corrupti:

Κοὐκ ἠθέλομεν ἡμεῖς δεομένων πολλάκις
οὐκ ἐς κόρακας; οὐ μὴ πρόσιτον· .. εἶεν μάχει
ἐγὼ δὲ τὰ κορίανν' ἐπριάμην ὑποδραμών

Ach. 513. Ran. 607. Eqq. 676. Ac primus quidem, quum *ἠθέλομεν δ' ἡμεῖς* in libro Ravennate perscriptum sit, hunc in modum restitui debet:

οὐκ ἠθέλομεν δ' ἡμεῖς δεομένων πολλάκις.

reliqui autem legendi sunt ita:

οὐκ ἐς κόρακας; μὴ πρόσιτον. .. εἶεν, καὶ μάχει;
ἐγὼ δ' ἐπριάμην τὰ κορίανν' ὑπεκδραμών.

Jam interpellari posse trimetrum ostendam. Ach. 380.

Εὐριπίδη, Εὐριπίδιον
(ὑπάκουσον, εἴπερ πώποτ' ἀνθρώπων τινί·
Δικαιόπολις καλεῖ σε Χολλίδης, ἐγώ.)
.. ἀλλ' οὐ σχολή.

Et huic quidem senario simillimus est Nub. 81. *Φειδιππίδη, Φειδιππίδιον.* .. *τί ὦ πάτερ.* Nub. 222.

αὐτός .. τίς αὐτός; .. Σωκράτης .. ὦ Σώκρατες
(ἴθ' οὗτος, ἀναβόησον αὐτόν μοι μέγα.
.. αὐτὸς μὲν οὖν σὺ κάλεσον· οὐ γάρ μοι σχολή.)
.. ὦ Σώκρατες,
ὦ Σωκρατίδιον κτέ.

Ubi extrema versus tertii pars cum vi repetitur, neque ulla syllaba redundat. Denique huc referendum esse l. Ran. 665.

Πόσειδον .. ἤλγησέν τις .. (ὃς Αἰγαίου πρῶνας ἢ γλαυκᾶς μέδεις) ἁλὸς ἐν πένθεσιν.

Hermannus me docuit. Ceterum vix eodem conferam Thesmoph. 913.

ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας
λαβέ με, λαβέ με πόσι·
περίβαλλε δὲ χέρας.
φέρε σε κύσω. ἄπαγε μ', ἄπαγ', ἄπαγ', ἄπαγέ με.

Nam si vocem *δή* pro *δὲ* substitueris, justum trimetrum recuperaveris. Elisio autem in fine trimetri tum demum defendi potest, ubi duo versus arcto communis sententiae vinculo cohaerent, Avv. 1714. *θυμιαμάτων δ' | αὖραι.* Eccles. 351 *ἐμοὶ δ' | ὥρα βαδίζειν.* Ran. 298 *οὐ μὴ καλεῖς μ' |*

ὤ'νθρωφ'. De tragicis dictum est ab *Hermanno* in Elementis p. 36 p. 119 et ad Ajacem v. 965. Hiatus in extrema senarii syllaba utut legitimus alioquin ac frequens, tamen si versus magis solito connexi sunt, in vitio ponitur. Ita Ran. 68 absurde scripseris τὸ μὴ οὐ | ἐλθεῖν pro τὸ μὴ οὐκ | ἐλθεῖν. Sed insigni arte et judicio praeclaro illud posuit Comicus Thesmoph. 386.

προπηλακιζομένας ὁρῶσ' ὑμᾶς ὑπὸ —
Εὐριπίδου τοῦ τῆς λαχανοπωλητρίας.

Suspendit enim exspectationem moxque frustratur commotam, similiter atque Avv. 95 οἱ δώδεκα θεοὶ —.

Ceterum conjuncto binorum versuum numero ultimum pedem in tribrachum recte dissolvi apparet. Ran. 1201.

καὶ κωδάριον, καὶ ληκύθιον, καὶ θυλάκιον
ἐν τοῖς ἰαμβείοισι.

Cujus versus rationes primus enucleavit *G. Dindorfius*. Thesmoph. 26.

ὁρᾷς τὸ θύριον τοῦτο; .. νὴ τὸν Ἡρακλέα
οἶμαί γε.

Eubulus ap. Athen. II, 63, e.

ἀκροκώλιόν τε γεννικόν, ὀπτὰ δελφάκια
ἀλίπαστα τρία.

Minus enim placet δελφάκι'. Eurip. Iphig. A. 1334.

ἰώ, ἰώ. μεγάλα πάθεα, μεγάλα δ' ἄχεα
τοῖς Δαναΐδαις τιθεῖσα Τυνδαρὶς κόρα.

Ultimae dipodiae pars prior etsi plerumque vel jambo vel spondeo vel etiam anapaesto continetur, haud ita raro tamen in eorum locum tribrachus dactylusve subrogantur. Tum vero senarius in vocem unam vel plures (modo arctius cohaereant) quatuor syllabarum desinere solet, sicuti Avv. 1217 διαπέτει ib. 1212 et Thesmoph. 610 τί το κακον. (sic etiam Pac. 522, ictu autem diverso, ut in principio, Aristoph. Fr. p. 208 ed. D.) Eqq. 136 ὁ Παφλαγών. In Thesmoph. 1184 legendum esse puto:

Κάτησο, κάτησο, ναικὶ, ναικὶ, τυγάτριον

numero eodem, quem habet v. 1210

ὦ γρᾴδι' ὡς χαρίεντό σοι τὸ τυγάτριον.

Aliquoties tamen id de industria a Comicis neglectum esse, sive quod jocarentur, sive ut syllabam praecipuam magis insinuarent atque aures ferirent acutius, egregie vidit *Seidlerus* V. Dochm. p. 380 — 400. Contra non debebat *Elmslejus* in Ach. 795 novas res moliri

θάρρει Μεγαρικ'· ἀλλ' ἧς τὰ χοιρίδι' ἀπέδου

qui senarius nulla parte deterior est, quam versus 777

πόσου πρίωμαί σοι τὰ χοιρίδια, λέγε.

Impetus numeri pedumque celeritas ut in omnibus fere metris, sic etiam in senario decrescere potius debet, quam accrescere. Quare trisyllabi pedes in ultimo versu non temere coacervantur. Minus eleganter, ut puto, Ach.

242 οἴσεις βλέπουσα θυμβροφάγον· ὡς μακάριος. Veruntamen interdum pulchre inprimis apteque auxit Aristophanes et syllabarum multitudinem (sic etiam Aeschylus Pers. 683 στένει, κέκοπται καὶ χαράσσεται πέδον) et celeritatem pedum:

ἤστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα
ἤκαλλ', ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξηπάτα

Ach. 505. Eqq. 48. 66. 137. Avv. 1367. Pac. 522. 523. 527. 528. 529. Sed quaerendum est etiam de trimetris tragicis apud Comicos. Hos legibus plane iisdem, quibus tragicorum senarii parent, adstrictos teneri vix est, quod moneam. Quare Thesmoph. 889.

τί δὲ δὴ σὺ θάσσεις τάσδε τυμβήρεις ἕδρας;

ut senarius tragicus evadat, reponendum est non quidem τί δαί σύ cum *Dindorfio* (nam δαί a tragicorum consuetudine abhorret), sed potius τί δὴ σὺ —. Cujusmodi versus et numero tragico et sonitu ipso verborum, nisi quis forte admodum hebes sit, facile agnoscuntur. Quis enim dubitabit tragicum senarium dicere aut hunc Ach. 548 ποῖ χρὴ βοηθεῖν, ποῖ κυδοιμὸν ἐμβαλεῖν; aut illum Thesmoph. 908 Ἑλληνίς· ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν θέλω μαθεῖν. praesertim si comparaverit cum priore versu Eur. Bacch. 184 ποῖ δεῖ χορεύειν, ποῖ καθιστάναι πόδα; cum posteriore autem Eur. Troad. 63 μάλιστ'· ἀτὰρ δὴ καὶ τὸ σὸν θέλω μαθεῖν. Quin etiam integros tragicorum, Euripidis maxime, senarios saepenumero ad verbum retentos esse satis constat. Unum exemplum afferam, quod secundum scholiastam ex Oeneo Euripidis descriptum est Ran. 72.

οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί.

idcirco, quoniam fugit interpretes gravissimus l. Ciceron. ad Atticum I, 20. Illud tamen velim existimes, me hanc viam optimatum *post Catuli mortem* nec praesidio ullo, nec comitatu tenere. Nam, ut ait Rhinton, ut opinor, Οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσι, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει. Ubi necessario legendum: Οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσί cet. Aliquoties unius versus pars altera soccum refert, altera decet cothurnum, Ach. 421.

εὐδαιμονοίης· Τηλέφῳ δ' ἁγὼ φρονῶ.

Euripides enim in Telepho sine controversia ita dixerat: εὖ σοὶ γένοιτο, Τηλέφῳ δ' ἁγὼ φρονῶ. ut idem Euripides Alcest. 837. εὖ σοι γένοιτο. Adde Ach. 435.

φθείρου λαβὼν τόδ'· ἴσθι δ' ὀχληρὸς ὢν δόμοις.

Ceterum multi trimetri, quos loqui fingitur Euripides, vel Agatho vel Aeschylus, plane sunt Comici existimandi, ut Ran. 861 — 863, etsi ne tum quidem pedes trisyllabi frequentius inseruntur. Quum in omni metrorum genere, tum vero etiam in senariis pernecessarium est, ut ictus metrici vim, qui plurimum valet, satis habeas perspectam. Hujus rei uno alterove specimine nunc quidem defungi licet. In Δραμάτων fragmento ap. Schol. Eqq. 137. *Brunckius Dindorfius*que trimetrum excogitarunt hunc:

Ὤιμην δ' ἔγωγε τὸν Κυκλοβόρον κατιέναι.

non modo caetera turpem, verum etiam prava percussione deformem, ut patebit conferenti:

ἁρπαξ, κεκρακτης, Κύκλοβορου φωνην ἐχων·
κἀκύκλοβορει κἀπλυνεν, ὡστ᾽ ὀλιγου πανυ.

Nempe una tantum litera mutata opus est:

Ὤιμην δ᾽ ἐγὼ τὸν Κυκλοβόρον καθιέναι.

Evolve Eqq. 432. Aesch. Pers. 470 et **Lobeckii** locos ad Ajac. p. 258. In Gerytadae fragmento idem **Dindorfius Dawesium** sequutus edidit:

ὁ τῆς διαῤῥοίας ποταμὸς οἰχήσεται.

Sed vere correctum esse a **Casaubono**, **Brunckio**, aliis

ὁ τῆς διαροίας ποταμὸς ἐξοιχήσεται

planum faciunt versus hujusmodi:

Σπερχειε πόταμε, βουνομοι τ᾽ ἐπιστροφαι
ὁτι εἰσεθηκε πόταμον, ἐριοπωλικως.

Deinde ab initio, accedente ad percussionem metricam totius accentu sententiae, recte habet ποτέρα, uti

ποτέρα πεπρασθαι χρηδδετ᾽ ἢ πεινηην κακως;
ποτέρα νομιζεις καινον ἀει τον Δια.

quod contra in media enuntiatione unice probatur πότερα *)

---

*) Quam late pateat hoc genus, ut verborum syllabae solutae, quae medio in versu ictum primae impositum habent ό ᴗ ᴗ, ab initio ictum in secundam transferre possint ᴗ ό ᴗ, idoneis exemplis ostendam. Sic igitur

Ach. 1018 ἀπό φερ᾽ ἀπό φερε τὰ κρέα καὶ μή μοι δίδου
Pac. 287 ἀπό φερε τὰ σκεύη λαβὼν ταυτὶ πάλιν.
Pac. 1187 ἀπό φερ᾽ ἀπό φερ᾽ ἐς κόρακας ἀπὸ τῆς οἰκίας
Contra Pac. 1205 θλίβει τὸν ὄρρον. ἄπόφερ᾽, οὐκ ὠνήσομαι.
Sic Eqq. 44 ἐπρί ατο δοῦλον βυρσοδέψην Παφλαγόνα
(repugnat Eqq. 674 ubi ἐπριάμην in medio versu et Pac. 1166 ubi sic ἐπρί ατ᾽)
Contra Nub. 23 ὅτ᾽ ἐπριάμην τὸν κοππατίαν. οἴμοι τάλας
Pac. 1207 ἣν ἐπριάμην δραχμῶν ποθ᾽ ἑξήκοντ᾽ ἐγώ.
Sic Eqq. 224 δεδί ασιν αὐτὸν ὅ τε πένης βδύλλει λεώς.
Contra Vesp. 373 μηδὲν ὦ τὰν δέ διθι μηδέν· ὡς ἐγὼ τοῦτόν γ᾽ ἐὰν
Sic Avv. 915 οὐκ ἐτὸς ὀτρηρὸν καὶ τὸ ληδάριον ἔχεις
Lysistr. 138 οὐκ ἐτὸς ἀφ᾽ ἡμῶν εἰσιν αἱ τραγῳδίαι
Plut. 404 οὐκ ἐτὸς ἄρ᾽ ὡς ἔμ᾽ ἦλθεν οὐδεπώποτε
—— 1166 οὐκ ἐτὸς ἅπαντες οἱ δικάζοντες θαμά
Eccles. 245 οὐκ ἐτὸς ἄρ᾽ ὦ μέλ᾽ ἦσθα δεινὴ καὶ σοφή.
Contra Ach. 386 — οὐκ ἐτὸς χωλοὺς ποιεῖς
—— 388 — οὐκ ἐτὸς πτωχοὺς ποιεῖς
Thesm. 921 ———— οὐκ ἐτὸς πάλαι.
Sic Avv. 1000 αὔτίκα γὰρ ἀὴρ — in medio versu fere αὔτίκα.
Sic Avv. 1029 ἄπίθι λαβών ——
Contra Plut. 1080 νῦν δ᾽ ἄπιθι χαίρων συλλαβὼν τὴν μείρακα.
Sic Thesm. 489 παρά τὸν Ἀγυιᾶ —
contra {Nub. 688, Pac. 110} οὐκ ἔστι πάρα ταῦτ᾽ ἄλλα.

ἐχ ἀτρεμα· φερ' ἰδω πότερα Λυδον ἢ Φρυγα
γην ἀναμετρεισθαι· .. πότερα την κληρουχικην;

Profuerit hoc ad emendandum versum Lysistr. 982, ubi lege

σὺ δ' εἶ τί; πότερ' ἄνθρωπος ἢ Κονίσαλος;

Ravennas τις πότερον, unde *Bekkerus* τίς; πότερ' eruit, non sine minuto quodam metri vitio. Denique Avv. 1026.

ἄπιθι λαβών· ἔστιν δ' ὁ μισθὸς οὑτοσί.

malim ictu meliore: ἄπιθι λαβὼν νυν· ἔστι δ' ὁ μισθὸς οὑτοσί. vel similiter. Compara Lysistr. 768. μὴ στασιάσωμεν· ἔστι δ' ὁ χρησμὸς οὑτοσί. *) Trimeter Comicus, in quo dactylus pro trochaeo positus integram vocem complectatur, displicuit *Bentlejo*, *Elmslejo*, *Hermanno*, quem vide ad Nub. 74 ed. II. Minus recte. Haud displicuit enim Aristophani, quem satis crebro eo usum videmus. Veluti Plut. 942. καὶ ταῦτα πρὸς τὸ μέτωπον αὐτίκα δὴ μάλα. Quodsi quis in hisce versibus

---

Sic Thesmoph. 455 ἄγρια γὰρ ἡμᾶς —
contra ——— 456 ἄτ' ἐν ἀγρίοισι —
Sic Avv. 1512 ὑπόδυθι ταχὺ δή —.
Thesmoph. 214 ἀπόδυθι τουτὶ θοἰμάτιον —
——— 731 ἀπόδυθι ταχέως —
contra Ran. 640 χωρεῖς γὰρ εἰς τὸ δίκαιον. ἀποδύεσθε δή.
Sic Thesmoph. 136 ποδαπός ὁ γύννις —
contra Ach. 783 ἄνθρωπε πόδαπός; —
Sic Avv. 1389 ἀέρια καὶ ib. 1385 ἀεροδονήτους
contra —— 1392 ἅπαντα γὰρ δίειμί σοι τὸν ἀέρα.
Sic Avv. 1348 τὸν πατέρα —
—— 1368 τὸν πατέρ' ἔα ζῆν —.
contra —— 1350 ὃς ἂν πεπλήγῃ τὸν πατέρα νεοττὸς ὤν
—— 1352 ἄγχειν ἐπιθυμῶ τὸν πατέρα καὶ πάντ' ἔχειν.
—— 1357 δεῖ τοὺς νεοττοὺς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν
—— 1359 εἴπερ γέ μοι καὶ τὸν πατέρα βοσκητέον.
—— 1364 τὸν μὲν πατέρα μὴ τύπτε —
Sic —— 1247 μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος
contra Thesmoph. 874 Πρωτέως τάδ' ἔστι μέλαθρα. .. ποίου Πρωτέως;
Sic Avv. 1223 ἀπέθανες, εἰ τῆς ἀξίας ἐτύγχανες.
contra Pac. 684 τί δαί; Κρατῖνος ὁ σοφός ἐστιν; .. ἀπέθανεν.
Sic Avv. 1203 ὄνομα δέ σοι τί ἐστι; πλοῖον ἢ κυνῆ;
contra v. 809 ἄγε δή, τί χρὴ δρᾶν; .. πρῶτον ὄνομα τῇ πόλει.
Sic Avv. 1167 ἴσα γὰρ ἀληθῶς φαίνεταί μοι ψεύδεσιν.
Contra in medio saepe ἴσος ut ἴσον ἴσῳ φέρων vel ἴσος ἴσῳ κεκραμένος.
Itaque ictus in prologo Orestis vv. 25. 27. (cf. vv. 2. 7. 47. 52. 54. 64.)

ἢ ποσὶν ἀπείρῳ περιβαλοῦσ' ὑφάσματι
οὐ καλόν· ἐῶ τοῦτ' ἀσαφὲς ἐν κοινῷ σκοπεῖν

quos jure notavit *Hermannus*, comici magis videntur, quam tragici. Illud igitur praeceptum etsi non ubique servatum est, digna tamen mihi res videtur, de qua amplius quaeratur. Hoc totum enim profecto non fortunae debetur, sed consilio.

*) Verissima *Hermanni* sententia, Comicos Latinos dixisse *scríbendum appulit*, *cóncede huc*, *sécede huc* censentis, Terentii versus a *Bentleji* audacia vindicatur Eunach. II, 2, 37. Rivalis servum. salva res est. nimirum homines frigent.

εἰ προσδοκῶσι χρυσίον ἐκ τῶν βαρβάρων
ἀφεκτέα τοίνυν ἐστὶν ἡμῖν τοῦ πέους.

forte leget verbi causa *εἰ προσδοκῶσι χρυσόν* atque *ἀφεκτέον γάρ ἐστιν,* male is sustulerit anapaestum, pedem trimetri Comici paene proprium. Diu multumque dubitatum est post *Bentlejum,* satin' recte in pede quarto eoque anapaesto ita fieri incisio posset, ut in priore syllaba brevi verbum concluderetur. Cf. *Ahlwardtum* in Wolfii Analect. I, 1, 253 sq. et *Hermannum* ibid. in Appendice et in Praefat. ad Epitom. p. X. sqq. Atque ego quidem sic sentio, omne crimen ab his versibus abesse primum, si singulae anapaesti syllabae sententiae vinculo copulatae sint, cujus generis locos *Hermannus* congessit, tum vero, si in septimo semipede interpunctio ad caesuram addita tam longo intervallo utramque partem dirimat, ut versus quasi a novo principio ordiatur:

ἐπὶ τῶν κραδῶν ᾄδουσιν· | Ἀθηναῖοι δ' ἀεὶ
φαίνω πολέμια ταῦτα· | .. τί δαὶ κακὸν παθών
καὶ σέ γε φανῶ πρὸς τοῖσδε | .. τί ἀδικημένος;
τῶν ξυμποτῶν κλέψαντα. | .. ποίαν αὐλητρίδα

Avv. 40. Ach. 912. 914. Vesp. 1369. Adde Thesmoph. 176. Avv. 1495. Thesmoph. 193. Pac. 187, alioquin vero hos trimetros vel minus probari, vel penitus repudiatos esse. Recte autem *Hermannus* id non quarti pedis peculiare, sed reliquorum quoque commune sibi videri professus est. Ita anapaesti etiam in secundo tertioque pede arctius conjungi debent

Τί δ' ἔστιν; .. ἐγὼ μὲν | δεῦρο σοι σπονδὰς φέρων
κοὐκ ἔστιν ἔτ' ἐλπὶς | οὐδεμία σωτηρίας
ἰδού· τί φησιν ὁ χρησμός· | .. ἑτέραν ἔγχεον.

Ach. 178. Thesm. 946. Eqq. 121. Quum trimeter Comicorum vitam ac familiaris sermonis negligentiam imitari debeat, nemo jure mirabitur, quod aliquando vel Aristophani versus parum numerosus excidit. Id accidisse puto Thesmoph. 219.

χρῆσόν τι νῦν ἡμῖν ξυρόν. | ΑΓΑ. αὐτὸς λάμβανε.

Nemo enim primum non opinabitur, ante novam personam in fine quarti pedis, quippe jambi, sibi subsistendum esse, sed protenus animadvertet se egregie deceptum. Subdifficile est ad statuendum, possitne in his versibus tribracho vel dactylo statim succedere anapaestus: quae quidem quaestio, quum olim a *Dawesio* moveri coepta esset, acriter inter V. D. etiamnum agitatur. Ego vero plerosque sequutus nego, quod scribarum fuerit negligentiae, id Comicorum vel consilio vel inertiae attribuendum esse. Atque hoc loco adscribam emendationem quandam meam, non minus certe probabilem iis, quae adhuc inventae sunt, versus Ach. 698.

ἀκούετον δή, ποτέχετ' ἐμὶν τὰν γαστέρα.

Repono: *ἀκούετ' ὦν, ποτέχετ' ἐμὶν τὰν γαστέρα.*

Nam Codicum lectio *ἀκούετον δή* ne ad sententiam quidem ferri potest. Est enim „so höret denn" ut Plut. 76. 975. Aesch. Prometh. 630. Quasi

vero Megarensis filiabus aliquid narraturus sit. Attamen idem pedes istos infames a ***Reisigio*** atque ***Hermanno*** recte defensos esse arbitror Ach. 47. Eccles. 30.

ἀλλ' ἀθάνατος· | ὁ γὰρ Ἀμφίθεος Δήμητρος ἦν
καὶ θοἰμάτιον, | ὅτε δὴ δ' ἐκεῖνο ψηλαφῶν.

quod et dipodiae et interductus et caesurae intervallo sejuncti sunt, eo tum tolerabiliores. Quis enim aut ὅτε δ' substituat, aut eo progrediatur audaciae, ut ἀθάνατος prima correpta ab Aristophane dictum contendat? Nunc experiatur mihi aliquis ingenium: ita videbit, hos locos depravari facile posse, emendari atque corrigi non posse. Verum et de hac ratione et de proceleusmatico jambi sedem occupante et de caesuris trimetri, postremo de virtutibus ejus ac vitiis alio loco, uti spero, dicere continget: nunc enim novum quiddam his subjiciam, si non maximi momenti, at non inutile tamen ad cognoscendum. Pervulgata est opinio, quam etiam ***Hermannus*** Element. p. 82. suscepit, caesuram in trochaeis tetrametris a Comicis saepissime neglectam esse. At mihi longe secus videtur. Invenio enim, illam tam diligenter servatam, ut admodum raro propter verba quaedam longiuscula omitteretur, quae quum aegre vitarentur, tum nisi cum caesurae detrimento versum ingredi vix possent. At nimirum non simplex fuit caesura Comicorum, sed tres formas complexa est, unam notissimam et tragicis poëtis communem, in fine dipodiae secundae:

γηροβοσκούμεσθ' ὑφ' ὑμῶν, | ἀλλὰ δεινὰ πάσχομεν

secundam, jam a ***Reisigio*** Conj. p. 127 perspectam, sed monstratam magis, quam stabilitam, una syllaba ante, post alteram arsin dipodiae secundae:

οὑτοσὶ δὲ πηνέλοψ, | ἐκεινοσὶ δέ γ' ἀλκυών.

Et haec quidem tam crebro usu venit, ut ne vulgaris quidem caesurae multo plura exempla reperias, veluti Lysistr. 632. Avv. 291. 298. 307. 353. 372. 383. 785. 791. 794. 1072. 1079. 1080. 1110. 1117. Nub. 580. Eqq. 1308. Pac. 500. 558. 561. 632. 650. 733. 1140. 1146. 1154. 1155. 1173. 1178. 1187. Ach. 255. 259. 286. 335. Vesp. 409. 416. 427. 432. 445. 459. 461. 502. 519. 520. Nonnunquam ambiguum videri potest, utrum hac caesura, an illa, de qua statim dicetur, versus distinctus sit, ut Eqq. 1307. Nub. 591. Pac. 346. Ran. 1108. Vesp. 403. 484. 504: sed in his locis fere prior probanda est propter interpunctionem. Restat ultima caesura, quae una syllaba vulgarem sequitur, post primam arsin dipodiae tertiae:

τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ, | τάλαντον λαμβάνειν.

Avv. 279. 354. 373. 1075. Eqq. 282. Nub. 607. Vesp. 368. 478. 512. Ach. 282. Pac. 628. Hae tres caesurae vehementer adjuvantur versu simillimo Lysistr. 1014 — 1033. et Cratet. Samiis ap. Athen. III, 117, 6. ubi quum ne semel quidem caesura desit, tamen triplicem subiit formam, plane ut in trochaeo tetrametro, tum

οὐδὲ πῦρ, οὐδ' ὧδ' ἀναιδής | οὐδεμία πόρδαλις

tum σκυτίνῃ ποτ' ἐν χύτρᾳ | τάριχος ἐλεφάντινον

denique etiam sic:

ἀλλὰ τὴν ἐξωμίδ' ἐνδύσω | σε προσιοῦσ' ἐγώ.

Ac nescio, an Comicorum ars, qui caesurám in hoc versu triplicem esse voluerunt, impensius collaudanda sit severitate Tragicorum, qui quoniam vulgarem caesuram constanter sequuti sunt, numerorum gravitati illi quidem bene consuluerunt, sed varietatem, haud minimam partem elegantiae, eadem opera funditus sustulerunt. Veteres metrici quid de caesura hujus versus senserint, elucet ex Aristide Quintiliano p. 54. *χαριεστέρα δ' αὐτοῦ τομὴ εἰς τρεῖς τροχαίους, ἐπιδέχεται δὲ καὶ τὰς ἄλλας.* Diomede p. 504 in triplicem autem feritur dipodiam. Scholiasta Hephaest. p. 174 *Ἔστι δὲ τὸ τροχαϊκὸν ὡσαύτως κατά τε τὰς τῶν ποδῶν παραυξήσεις καὶ τὰς τομὰς καὶ ἔτι τὰς ἀποθέσεις· βαίνεται δὲ παραπλησίως ἐκείνοις κατὰ διποδίαν.* Hoc volunt homines praeposteri, inprimis probari atque numerosum existimari eum tetrametrum, cujus singulae dipodiae (tres autem habent integras) cum verbi fine terminentur, in hunc modum

′ ″	′ ″	′ ″	″
— ∪ — ∪	— ∪ — ∪	— ∪ — ∪	— ∪ —
οἱ γέροντες	*οἱ παλαιοὶ*	*μεμφόμεσθα*	*τῇ πόλει*

Ceterum falsam esse summoque arbitrio constitutam hanc doctrinam apparet. Apud Aristophanem quidem et in tragicis paucissimos invenies tetrametros, qui hoc pacto incidi possint, ne unum quidem, qui debeat. Illud tamen ut verum, ita haud leve est, quod jam illi magistri plures noverunt caesuras. Accedimus jam ad jambum tetrametrum, sed similia fere de hoc quoque versu dici possunt. Vulgo enim Comici hic rursum creduntur caesuram saepe adspernati esse. At quum omnino caesura in paucis quibusdam versibus nulla animadverti possit, tum horum ipsorum pars, minime dubium est, quin mendo affecta sit: quo in genere alieno exemplo uti malumus, quam domestico. Eqq. 847.

ἀλλ' ἐστὶ τοῦτ', ὦ Δῆμε, μηχάνημ' ἵν' ἣν σὺ βούλῃ.

Praeclare vero correxit *Reisigius,* meliore etiam collocatione verborum:

ἀλλ' ἐστὶ τοῦτο μηχάνημ', | ὦ Δῆμ', ἵν' ἣν σὺ βούλῃ.

Scilicet hic etiam versus triplicem apud Comicos habet caesuram, primam notam omnibus, post dipodiam secundam

καὶ μὴν ἔγωγ' ἐπνιγόμην | τὰ σπλάγχνα, κἀπεθύμουν

secundam, quam eximie investigavit *Reisigius* Conj. p. 118, ithyphallicam, una syllaba post primam, in anacrusi quinti jambici pedis

κᾆτ' ἀπολιποῦσά γ' αὐτὸν ᾤχετ'· | οὐ γὰρ ἦν ὑβριστής.

De cujus caesurae veritate neminem spero dubitaturum esse, qui vel multitudinem hujusmodi versuum viderit (bona pars eorum a *Reisigio* allata est), vel illud cogitaverit, plurimorum versuum, qui asynarteti vocantur, posteriorem partem versu confici ithyphallico (*Hermannum* adi, Element.

p. 590 sqq.), vel denique excutere voluerit versum prope geminum Eqq. 834. 835. Vesp. 248—272.

ζηλῶ σε τῆς εὐγλωττίας· | εἰ γὰρ ὧδ' ἐποίσεις.

Altera caesura est v. 265

ὕδωρ γενέσθαι, κἀπιπνεῦσαι | Βόρειον αὐτοῖς,

semel tantum deest caesura in tot versibus v. 252. Tertia denique jambi caesura una syllaba vulgarem antecedit et ante ultimam syllabam dipodiae secundae locum habet

μίαν πυρὰν νήσαντες | ἐμπρήσωμεν αὐτόχειρες

Nub. 1355. 1425. Lysistr. 269. Ran. 919. 921. 931. Eqq. 553. Utramque caesuram posteriorem versibus posuit continuis Thesmoph. 565. 66.

οὐδ' ὡς σὺ τῆς δούλης τεκούσης | ἄῤῥεν', εἶτα σαυτῇ
τοῦθ' ὑπεβάλου, τὸ σὸν δὲ | θυγάτριον παρῆκας αὐτῇ.

Eligendi optio data est inter secundam tertiamque caesuram Nub. 1333. 1365. Enimvero jam Hephaestio pulchre intellexerat, caesuram saepissime in syllabam proxime vel antegressam vel subsequentem transilire: quae gravissima ratio, hodie, nisi fallor, ignota, certe perperam contemta in re metrica saepe summum facit momentum. Sic igitur ille p. 95 de versibus asynartetis his:

ἐστί μοι καλὰ πάϊς, | χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν
ἐμφερῆ ἔχοισα μορφάν, | Κλεῒς Κλεῒς ἀγαπατά,
ἀντὶ τᾶς ἐγὼ οὐδὲ Λυδίαν | πᾶσαν οὐδ' ἐραννάν

commentatur: *τούτων δὲ τὸ μὲν δεύτερον δῆλόν ἐστιν ἀπὸ τῆς τομῆς, ὅτι οὕτω σύγκειται, ὡς προείρηται — τὸ δὲ πρῶτον, διὰ τὸ πρὸ συλλαβῆς ἔχειν τὴν τομήν, ἐγένετο προκαταληκτικόν — τὸ δὲ τρίτον ἐξ ὑπερκαταλήκτου — καὶ βραχυκαταλήκτου —*. Ita Romani poëtae in jambo tetrametro acatalecto caesuram modo post pedem quartum posuerunt

petó, priusquam oppetám malam | pestém, datam hostilí manu

modo in medio pede quinto

seu sánguis ullo pótis est pacto | prófluens consístere.

Ita anapaesti dimetri non tantum post primam dipodiam faciunt caesuram

δρυόχους τιθέναι, | δράματος ἀρχάς

sed etiam in prima syllaba dipodiae secundae

πτερύγων ἐρετμοῖσιν | ἐρεσσόμενοι.

quae ratio bis terve etiam in anapaestum tetrametrum translata est, ut pro hac forma

πῶς δ' ὑγίειαν δώσουσ' αὐτοῖς, | οὖσαν παρὰ τοῖσι θεοῖσιν

poneretur haec:

τῶν ἀργυρίων· οὗτοι γὰρ ἴσασι· | λέγουσι δέ τοι τάδε πάντες.
κἂν μὴ τούτοις ἀναπειθώμεσθα, | τὰ παιδάρι' εὐθὺς ἀνέλκει

Avv. 600. Vesp. 568. Similiter variat caesura in multis versibus asynartetis. Sed haec omnia nunc persequi longum est.

LECTIONES PROFESSORUM PUBLICORUM.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS *privatim* h. VIII—IX. *theologiam dogmaticam* docebit et h. IX—X. *historiae ecclesiasticae partem primam* enarrabit. *Publice in Seminarii sodalitio homileticen* praecipiet, et sodalium *homileticas et catecheticas exercitationes*, more consueto, moderabitur.

D. ANTONIUS THEODORUS HARTMANN *privatim* VIII-IX. doctrinam morum theologico-biblicam tradet; IX-X. Dogmaticam biblicam docebit: *publice* binis per hebdom. horis nonnullos prophetas minores explicabit.

IO. PHIL. BAUERMEISTER, Dr., 1) hor. X—XI. epistolas ad Ephes., Philip., Colos., Tim., Tit. et Philemonem cum scriptis Jacobi, Petri et Judae interpretabitur; 2) hor. XI—XII. isagogen historicam et criticam in omnes Vet. et Nov. Test. libros tradet.

D. CAROLUS FRIDERICUS AUGUSTUS FRITZSCHE I. *privatim* senis dd. h. X. libros ab Johanne confectos et Apostolorum Acta interpretabitur: II. *privatim* quaternis dd. h. VIII. Theologiam moralem docebit: III. *privatim* quaternis dd. tempore constituendo Theologiam symbolicam tradet: IV. *publice* tempore constituendo plus quam semel de Pietismo, qualis hac tempestate mire se jactavit, ita disseret, ut tum justam et aequam tum fortem et liberam ejus censuram agat.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. FERD. KAEMMERER docebit *Pandectas*, excluso jure hereditario, duce *Heise*, hor. X et XI.

D. CONRADUS THEODORUS GRUENDLER tradet *processum judiciarium civilem*, duce *Linde*, hor. IX. et *jus canonicum*, duce *Wiese*, ed. *Kraut*, hor. III.

D. AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER *publice* binis diebus hora deinde indicanda narrabit *historiam populi et imperii Germanici recentiorem*, a Carolo V. ad nostra tempora: *privatim* docebit *jus Germanicum privatum*, duce *Runde*, hor. X. et *jus feudale*, duce *Paetz*, hor. III.

D. FRIDERICUS RASPE 1) docebit *jus criminale*, duce *Martin*, hor. XI.; 2) prouti audituris placuerit aut tradet *jus publicum Megapolitanum*, ex libro *Hagemeisteri*, aut exponet *principia juris publici universalis*, duce *Schmid*, hor. X.; 3) *Scholas relatorias* easque privatissimas cupientibus offert.

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS ELVERS tradet 1) *Institutiones juris civilis*, hor. IX.; 2) *historiam juris Romani*, hor. II.; 3) *Encyclopaediam juris*, hor. III.

IN FACULTATE MEDICA.

D. SAMUEL GOTTLIEB VOGEL, Med. P. P. O., semestri instante hiberno plura selecta capita e vasto artis medicae campo, ut artem sphygmicam, doctrinam de asphyxiis, conspectum toxicologiae, systematum medicinae recentiorum historiam etc. audituris explicare sibi proposuit, nec non Encyclopaediam medicam iisdem tradendam offert.

D. JO. GUILIELMUS JOSEPHI, Med. Prof. P. O., per instans semestre hibernum docebit 1) hor. XI — XII. *Chirurgiae* primam partem; 2) hor. III — IV. *Artis obstetriciae* primam partem.

D. HENRICUS SPITTA 1) *Physiologiam* tradet quaternis hebdomadis diebus; et 2) *Exercitationes clinicas* moderari perget quotidie.

D. CAROLUS STREMPEL 1) hor. VIII. materiam medicam et 2) hor. IV. Pathologiam et Therapiam generalem docebit. 2) Exercitationes practicas medico-chirurgicas in Clinico quotidie hor. XI. more consueto moderari perget.

C. FR. QUITTENBAUM, D. Med. et Chir., P. P. O., per instans semestre hibernum hora II — III. in Demonstrationibus anatomicis Splanchnologiam, Angiologiam et Neurologiam docebit; horis X — XII. in secandis cadaveribus auditores erudiet. Horis IV — V. alteram Chirurgiae manualis partem tradet. Privatissime Repetitorium et Examinatorium anatomicum et chirurgicum cupientibus offert.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

P. J. HECKER, Mathes. P. P. O., Academiae Senior etc., hebetata oculorum acie ostendit se impeditum esse, quominus sequenti hieme scholas aperiret.

GERARDUS PHIL. HENR. NORRMANN, historicar. atque politicar. doctrinar. P. P. O., *privatim* exponet 1) *historiam Germaniae pragmaticam*, praeeunte a Lindelof; 2) *praecipuorum Europae regnorum statum hodiernum*.

J. S. BECK, P. P. O., docebit I. Philosophiam criticam h. IV—V. et quater per hebd. II. doctrinam sectionum conicarum h. V—VI., binis diebus.

M. JO. FRID. PRIES *privatim* h. VIII. *Philosophiae historiam* enarrabit; h. II. *Encyclopaediam philosophiae* tradet.

HENR. GUSTAV. FLOERKE, historiae naturae et artis herbar. P. P. O., publice diebus Lun., Mart., Jov. et Veneris, h. II. *Geographiam physicalem* e schedulis suis tradet.

G. MAEHL Chemiam experimentalem et Pharmaciam proponet.

ERN. AUG. PHIL. MAHN *publice* elementa linguae Arabicae docebit; *privatim* 1) grammaticam Ebraicam explicabit h. XI. 2) Jobum interpretabitur h. II. 3) Vaticinia de Messia in V. T. illustrabit h. III.; *privatissime* encyclopaediam et methodologiam studii theologici tradet h. c.

D. IO. RUDOLPH. SCHROETER, P. P. O., propter valetudinem, qua premitur incommoda, lectiones semestri hiberno non habebit.

FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE Privatim I. Quaternis diebus h. XI. Antiquitates Romanas illustrabit. II. Binis diebus h. XI. Vespas Aristophanis interpretabitur. Praeterea Seminarii Philologici exercitationes moderari perget.

E. D. H. BECKER, Oec. P. P. O., 1) *publice,* agros metiendi partiendique doctrinam tradet, d. Mart. et Ven. h. XI—XII.; 2) *privatim,* agriculturam duce Burger (Lehrbuch der Landwirthschaft, 3te Aufl. Wien 1830) quinquies per hebdomadem, hora VIII—IX., docebit.

D. CAROLUS TÜRK tradet 1) ***historiam populi Germanici;*** 2) ***historiam juris Germanici privati;*** 3) ***encyclopaediam*** et ***methodologiam juris;*** 4) ***scholas examinatorias*** habebit.

D. FRIDERICUS FRANCKE, philosophiae P. P. E., 1. ***Publice*** disseret a) de notione et complexione vocis „***sensus***“ (Gefühl) in philosophia, quoad verum, bonum et pulcrum, binis per hebdomadem diebus; b) de ***philosophiae universae encyclopaedia et methodologia,*** quaternis p. h. dd. 2. ***Privatim*** docebit a) ***Logicam et dialecticam,*** quinis p. h. dd. b) ***Jus naturae,*** sive philosophiam de natura ac fine civitatis, quinis p. h. dd.

D. GEORGIUS NICOLAUS BUSCH ***privatim*** I. dieb. Lun. et Mart. h. IV. Taciti Agricolam interpretabitur, II. dieb. Jov. et Vener. h. IV. de particulis Graecis disseret; denique exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

LECTIONES DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIDICAE.

D. BERG docebit: 1) *practicum processuale* nec non *artem referendi et defendendi*, 2) *juris praxin*, 3) *juris prudentiam cautelarem.*

D. THEOPHILUS HENRICUS FRIDERICUS GAEDCKE privatim I. *processum judiciarium civilem* horis constituendis duce *Martino* docebit; II. hora commoda *scholam suam civilem eamque practicam* more consueto moderabitur. *Privatissime repetitoria et examinatoria* commilitonibus offert.

D. CAROLUS GUILIELMUS CONRADUS DAEHNE horis commodis *privatim* tradet: 1) *jus hereditarium Romanum*, duce *Thibaut;* 2) *theoriam processus civilis communis*, ducibus *Martin* (Lehrbuch etc. ed. XI.) et *Bayer* (Vorträge über den gemeinen ordentlichen Civilprozefs mit Beziehung auf Martin's Lehrbuch. ed. 2. München 1830.)

MEDICAE.

GEORGIUS FRIDERICUS MOST, Dr. Med. et Philos., docebit: *gratis* 1) *Medicinam popularem*, 2) *privatim Materiam medicam*, duce *Sundelin*, 3) *Medicinam forensem*, duce *Hencke.*

C. KRAUEL, Dr. med., per instans semestre hibernum docebit: 1) gratis, doctrinam de fracturis et luxationibus; 2) privatim, artem fascias applicandi.

IO. FRID. GUIL. LESENBERG, Dr. med. et chirurg., per instans semestre hibernum hasce lectiones offert: I. Encyclopaediam et methodologiam artis medicae, II. artem obstetriciam, III. examinatoria et repetitoria variarum artis medicae partium.

Dr. CAROLUS HANMANN 1. *gratis* doctrinam de morbis aurium et cognoscendis et curandis, 2. *privatim* chirurgiae partem alteram duce Chelio (Hdb. d. Chirurg., Heidelb. u. Lpzg., 1829) decem horis per hebdomadem docebit, eique 3. cursum operationum chirurgicarum in cadaveribus, ac repetitorium chirurgicum et examinatorium *privatissime* adjunget. Neque iis deerit, qui privatissime operationibus ophthalmiatricis operam navare voluerint.

PHILOSOPHICAE.

A. C. SIEMSSEN Physiographiam Mammalium, ad systema *Illigeri*, et Krystallographiam applicatam, *Naumanno* duce, proponet.

CAROLUS WEINHOLTZ, Dr., *privatim* I. Logicam docebit; II. Historiam philosophiae Graecorum antiquorum enarrabit. *Privatissime* vero Aristotelis Ethicen ad Nicomachum explicabit.

C. F. A. THEOD. KASTNER, Dr., I. *gratis* de *vera Matheseos indole* ejusque in *Chemia* aliisque „naturalis scientiae" disciplinis *usu* dissseret; II. *privatim* docebit: 1) *Physicam dogmaticam*, 2) *Chemiam theoreticam;* III. *privatissime* praelectiones offert: 1) de *Chemia analytica*, 2) de *Meteorologia*.

H. KARSTEN, Dr., hasce offert lectiones: 1) gratis Astronomiam popularem bis p. h.; 2) privatim Geometriam analyticam quater p. h.; 3) Mineralogiam sexies p. h. Privatissima denique proponit collegia in quavis matheseos et physices parte, neque deerit iis, qui in rebus nauticis edoceri velint.

P. STROEMER, Dr., lectiones posuit: I. gratuito habendam Geodesian: privatas II. Mathesin puram: III. Analysin finitorum, duce Thibaut, adspersis geometriae analyticae initiis.

EDUARDUS SCHMIDT, Dr., Commilitonibus humanissimis has lectiones offert: 1) *logicen* docebit, quater per hebd., horis adhuc definiendis, gratis; 2) historiam philosophiae recentioris inde a Bacone et Cartesio enarrabit, quater per hebd., horis adhuc definiendis, gratis.

Bibliotheca et *Museum* quovis Mercurii et Saturni die aperiuntur. *Gallicam*, *Anglicam*, aliasque linguas exoticas discendi occasio non deficit. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem *equitandi*, *pingendi* et *musicam* doceant.

Domicilia commoda quaerentibus monstrabit J. H. Schulze, Academiae nuncius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur *H. Spitta*, Dr. Med.

Praesidet ordini Theologorum *C. F. A. Fritzsche*, AA. M. et Dr. Th. — Jurisconsultorum *A. L. Diemer*, AA. M. et J. U. D. — Medicorum *S. G. Vogel*, Dr. Med. — Philosophorum *H. G. Floerke*, Dr. Ph.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCC$\frac{L}{LI}$

A DIE XVI M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEMISSUM EST COMMENTATIONIS

DE FABULIS RETRACTATIS

SPECIMEN SECUNDUM.

LITERIS ADLERIANIS.

De parabasi Nubium ii primum testes audiendi sunt, quibus contigit, ut utramque hujus fabulae editionem ipsi viderent et cum altera alteram compararent. Agmen ducat hypothesis scriptor, qui quum tria omnino *διασκευῆς* exempla afferat, primo loco parabasin reponit: „*ἡ παράβασις τοῦ Χοροῦ ἤμειπται.*“ Nempe, id quod critici temporum inita ratione ex ipsa parabasi dudum intellexerunt, epirrhemata ad primas Nubes, propria vero parabasis sive versus Eupolidei ad secundas unice referendi sunt. Ac de Eupolideis quidem res clare apparet vel e v. 525, quo loco poeta se, quum primum Nubes doceret, superatum esse conqueritur. Recte igitur Athenaeus VII p. 299, b versum Nub. 559 *δευτέραις Νεφέλαις* tribuit. Primae Nubes etiam ab eo grammatico comparatae erant, quem sequitur schol. Ald. ad v. 520 — *εἰς τὴν παράβασιν. οὐχ ἡ αὐτὴ δέ ἐστιν οὐδὲ τοῦ αὐτοῦ μέτρου τοῦ* (pro *τοῦ* aut mecum *τῷ* aut cum Dobraeo *τῇ* corrigendum) *ἐν ταῖς Νεφέλαις πρώταις, ἀλλ' ὡς ὀλίγῳ πρότερον εἴρηται, τοῦ καλουμένου Εὐπολιδείου.* Credibile est autem, uti in Quaestt. Aristoph. p. 143 ostendi, pro Eupolideis versibus in prima fabula scriptos fuisse, vulgatissimum in illa parte parabasis metrum, anapaestos tetrametros. Sed quantivis pretii est schol. Ald. ad v. 552 *δῆλον δὲ ὅτι πρότερος* (*πρῶτος* Ald.) *ὁ Μαρικᾶς ἐδιδάχθη τῶν δευτέρων Νεφελῶν. Ἐρατοσθένης δέ φησι Καλλίμαχον ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις, ὅτι φέρουσιν ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν Μαρικᾶν τῶν Νεφελῶν, σαφῶς ἐνταῦθα εἰρημένου, ὅτι πρότερον καθεῖται. λανθάνει δ' αὐτόν, φησίν, ὅτι ἐν μὲν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτον εἴρηκεν, ἐν δὲ ταῖς ὕστερον διασκευασθείσαις εἰ λέγεται, οὐδὲν ἄτοπον. αἱ διδασκαλίαι δὲ δῆλον ὅτι τὰς διδαχθείσας φέρουσι. πῶς δ' οὐ συνεῖδεν ὅτι καὶ ἐν τῷ Μαρικᾷ προτετελεύτηκε Κλέων, ἐν δὲ ταῖς Νεφέλαις λέγεται* (v. 581) „*εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην.*“ Callimachus neglecta

utriusque editionis comparatione Eupolideos v. 518 — 562 male tribuerat primis Nubibus, male etiam reprehenderat didascalias. Quem ut refellat, praeclare docet Eratosthenes, Eupolideos secundis Nubibus, epirrhema autem v. 575 sqq. primis tribui debere, Maricae fabulae tempus primas inter secundasque Nubes medio loco interpositum esse, denique a primis Nubibus, quas poeta docuerit, secundas quas non docuerit, probe discerni oportere. Sed quum secundae Nubes Maricam sequutae sint, patet etiam, quo fere tempore Nubes poeta retractaverit. Maricantem enim Eupolis docuit Ol. 89, 4, ut recte judicavi in Actis S. G. I. p. 129, eademque sententia fuit G. Hermanni in Praefat. p. XIV, Meinekii Hist. Com. p. 139, Bergkii Comm. Com. p. 309. Sic est enim apud scholiastam: „*φέρουσιν (αἱ διδασκαλίαι) ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν Μαρικᾶν τῶν Νεφελῶν.*“ Atqui quum Nubes I Ol. 89, 1 Dionysiis [1] datae sint, Maricas tertio anno post: sequitur Maricam Ol. 89, 4 Lenaeis datam esse. Quodsi *τρισὶν ἔτεσι* scriptum esset, Maricas data fuisset Ol. 89, 4 Dionysiis. Inepte nos reprehendit Cobetus De Platone Comico p. 145, qui Maricam male assignat anno proximo superiori Ol. 89, 3. [2] Post Eupolidis Maricantem aliae comoediae datae sunt, antequam Nubes retractari possent, primum, ut est in Nub. v. 557, Hermippi, ut ibidem scholiastae placet, *Ἀρτοπώλιδες*· Hermippi, cujus fabulae didascalia non exstat. Quod ibidem scriptum est v. 558 sq.

ἄλλοι τ' ἤδη πάντες ἐρείδουσιν εἰς Ὑπέρβολον,
τὰς εἰκοὺς τῶν ἐγχέλεων τὰς ἐμὰς μιμούμενοι,

id prae caeteris ad Platonis Hyperbolum comoediam jure a scholiasta videtur relatum esse. Nam, ut egregie a Cobeto l. l. p. 141 demonstratum est, Plato in Hyperbolo sane imitatus erat (*μιμούμενοι*) Equites Aristophanis, inprimis v. 622 sqq. Attamen didascalia Platonicae Hyperboli non magis exstat. Quapropter, ut jam in Quaestt. Aristoph. p. 182 statui, non multum a vero aberraverit, qui Nubes II quatuor vel etiam quinque annis post priores dixerit scriptas esse, Ol. 90, 1 vel 2. [3]

Quae adhuc disputavimus, ea partim ipsa primae parabaseos (v. 518 — 562) auctoritate, partim aliorum scriptorum testimonio confirmantur, qui utrasque Nubes legerant: ut non possint haec omnia non pro certis haberi. Ita Aristophanes primas Nubes docuit Ol. 89, 1 Dionysiis archonte Isarcho, retractavit idem circa Ol. 90, 1, certe non multo post Eupolidis Maricantem, quae Ol. 89, 4 Lenaeis Aristione archonte edita

---

[1] Servata est Nubium I didascalia, quacum multi scholiastae conveniunt, dissentit nemo. Hi loci quum ab aliis collecti sunt, tum ab H. Clintone Fast. Hellen. ad Ol. 89, 1 p. 73 ed. Krueger.

[2] Nubes retractatae videntur paullo ante, quam Hyperbolus exilio multaretur. Sed quo anno in exilium ejectus sit, nescimus neque id nos docuit Cobetus l. l. p. 143 sq.

[3] Quod Bergkius meus contendit Comm. Com. p. 309, secundas Nubes circa Ol. XCI, 1 scriptas esse, id nec potest pro typothetae errore haberi, et plane ex vano haustum est.

est. Sed exstiterunt antiquitus, qui secundas Nubes Ol. 89, 2 Aminia archonte actas esse dicerent idque nonnullis probarent, errore satis illo quidem manifesto, quem ipsum tamen et refutare operae pretium sit et fontem ejus indicare. Et Dindorfius quidem ad Aristoph. Fragm. p. 16 conjicit Vespas, quae fabula Aminia archonte data est, cum Nubibus II confusas esse, eo quod in utraque parabasi et Vesparum et Nubium II spectatores a poeta reprehendantur. At parum credibile est, criticos, qui tum in Nubibus omni cogitatione versarentur, ob tantulam causam ad drama plane diversum aberrasse. Immo critici isti primum quidem pariter ac supra Callimachus nunquam viderant primas Nubes neque eas cum secundis comparaverant: ut conjectura eorum fide careat et auctoritate. Deinde quum Nub. v. 518 — 562 falso primis Nubibus tribuissent: et didascaliam Maricantis, ut idem Callimachus foede contemserunt, et res in Maricante traditas mire perverterunt. Nam quum in Maricante Cleonis mortui mentio facta esset, critici ipsi finxerunt, Cleonis mortem ab Eupolide temere fictam esse. [4]) Nihil tam absurdum est, quin eis in mentem veniat, qui ad inveniendum verum sibimet ipsi viam praestruxerint. Maxime autem, si quid video, a morte Cleonis profecti sunt, quae eos et ipsa varie delusit. [5]) Audiamus schol. RV ad v. 549 (sive Aldinum ad v. 552) *ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου. πρὸ τούτου δέ ἐστιν Ἴσαρχος, ἐφ' οὗ αἱ πρῶται Νεφέλαι εἰσήχθησαν. ὁ μέντοι Ἀνδροτίων ἐπὶ Ἀλκαίου φησὶ τοῦ, μετὰ Ἀμεινίαν τὸν Κλέωνα τελευτῆσαι δυσὶν ἔτεσιν ὕστερον τῆς τῶν Νεφελῶν διδασκαλίας. εἰκότως οὖν ὡς ἔτι περιόντι τῷ Κλέωνι λοιδορεῖται ὁ Ἀριστοφάνης οὐ μόνον ἐν τοῖς προκειμένοις, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς* —. Posterior scholiasta recte ille quidem Androtione duce Cleonem Ol. 89, 3 mortuum esse judicat, sed idem falso opinatur, Cleonem in secundis Nubibus adhuc vivere. Cui potissimum anno secundas Nubes tribuat, in quarum tempore definiendo versatur, ipse non dicit, sed res vel sic apparet. Quum enim primae Nubes Ol. 89, 1 datae sint, Cleo autem Ol. 89, 3

---

[4]) Ita disputat schol. Ald. ad Nub. v. 549. Qui praefatus Cleonem in Nubibus adhuc vivere sic pergit: *πῶς οὖν δύναται καὶ τοῦ Μαρικοῦ μεμνῆσθαι, ὃς ἐδιδάχθη μὲν πρὸ τῶν Νεφελῶν, ὡς καὶ νῦν αὐτός φησιν, ἐκεῖ δὲ ὁ Εὔπολις ὡς τεθνηκότος Κλέωνος μέμνηται; ἢ ἐπεὶ οὐ φέρονται αἱ διδασκαλίαι τῶν δευτέρων* (ita Elmslejus pro *δύο*) *Νεφελῶν, οὐδὲν δυνάμεθα διαρθρῶσαι, εἰ Εὔπολις ἐπλάσατο τὴν Κλέωνος τελευτὴν ἐν Μαρικᾷ.*

[5]) Cecidisse Cleonem ad Amphipolin Ol. 89, 3 Alcaeo archonte quum ipse rerum ordo ap. Thucyd. V, 10 docet, tum diserte testantur Diodorus XII, 73 sq., Athenaeus V p. 215 d, Androtio ap. schol. Nub. v. 549, schol. Aeschinis p. 755. Unus omnium accuratissime Eratosthenes ap. schol. Ven. Pacis v. 48 *Ἐρατοσθένης γὰρ ἐπὶ Θρᾴκης τὸν θάνατον Βρασίδου καὶ Κλέωνος ὀκτὼ μησὶ προγεγονέναι φησί.* Atqui Pax data est Ol. 89, 3 Alcaeo archonte Dionysiis, id est Elapheboliona. Ergo periit Cleo ejusdem anni mense Hecatombaeone vel primo Metagitnione, quum magistratum ab Aminia depositum Alcaeus modo inisset. Hinc facile et intelligi et excusari potest error schol. ad Nub. v. 549 *ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου* atque schol. ad Luc. Timonem c. 30 *ἐτελεύτα νικηθεὶς ὑπὸ Βρασίδου ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου.*

obierit: fieri non potest, quin Aminiae anno Ol. 89, 2 secundas Nubes assignaverit. Prior autem scholiasta sive Cleonem paullo post secundas Nubes sive paullo ante mortuum putavit: certe eum Aminiae anno mortuum esse dicit, ita ut huic ipsi Aminiae anno secundas Nubes tribuere profecto potuerit. Illud vero critici isti minime ab animo impetrarunt, ut epirrhemata e primis Nubibus, versus autem Eupolideos e secundis fluxisse concederent: credo quod eis parabasis e duabus fabulis confusa displicuisset. Quare ut Callimachus Eupolideos versus non minus quam epirrhemata primis dare Nubibus ausus est: sic alii totam parabasin, etiam epirrhemata secundis tribuere non dubitarunt, quas solas sine ulla parte primarum aetatem tulisse putassent. In hunc censum venit scholiasta Aldinae posterior ad v. 592 [6]). Qui tametsi recte vidit Cleonem v. 550 mortuum dici, eundem v. 592 adhuc vivere, tamen ut epirrhemata quoque secundis Nubibus vindicaret, conjecit, epirrhemata paullo post primas Nubes vivo etiamtum Cleone (hoc est Aminiae anno) scripta esse, contra v. 518—562 post mortem demum Cleonis additos. Et haec quidem conjectura, quam apparet falsam esse, etiam alio errore quasi fundamento nititur. Nam si epirrhemata ad primas Nubes id est ad annum Ol. 89, 1 unice pertinent, necesse est Hyperbolum hoc ipso anno hieromnemonem fuisse. Atqui id praecise negant, frustra tamen negant scholiastae R V Ald. ad v. 624. Verum enim quum ab aliis et intellectum esset, epirrhemata et v. 518 — 562 secundis Nubibus i. e. uni eidemque editioni tribui non posse, et tamen universa parabasis, etiam epirrhemata primis Nubibus eripienda viderentur: sponte nata est nova opinio. Conjecerunt non duas omnino Nubes, sed tres exstitisse, duas editiones alteram Ol. 89, 1 Isarcho alteram Ol. 89, 2 Aminia archonte et unam postea *διασκευήν*. Hoc errore infuscatum est scholium in codd. Ven. et Flor. et in Ald. ad Nub. v. 31, in quo Nubes Aminia archonte editae dicuntur. Quocum consentiens hypothesis in cod. Ven. et in Aldina (T. IV p. 362 Ox.) rem uberius etiam persequitur. Nam ibi didascaliam: *αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν ἐν ἄστει ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου, ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ,* haec verba excipiunt: *διόπερ Ἀριστοφάνης ἀποῤῥιφθεὶς παραλόγως ᾠήθη δεῖν ἀναδιδάξας τὰς Νεφέλας τὰς δευτέρας ἀπομέμφεσθαι τὸ θέατρον. ἀποτυχὼν δὲ πολὺ μᾶλλον καὶ ἐν τοῖς ἔπειτα οὐκέτι τὴν διασκευὴν εἰσήγαγεν. αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι ἐπὶ*

---

[6]) Verba haec sunt: *Καὶ μὴν ὡς μετὰ θάνατον Κλέωνος φαίνεται γεγραφὼς τὸ δρᾶμα, ὅπου γε τοῦ Μαρικᾶ Εὐπόλιδος μέμνηται, ὃς ἐδιδάχθη καθ' Ὑπερβόλου μετὰ τὸν Κλέωνος θάνατον· ταῦτα δὲ ὡς ἔτι ζῶντος Κλέωνος λέγεται. δῆλον οὖν ὅτι κατὰ πολλοὺς τοὺς χρόνους διεσκεύασε τὸ δρᾶμα· καὶ ταῦτα μὲν οὐ πολλῷ ὕστερον· ἐν οἷς δὲ Εὐπόλιδος μέμνηται καὶ τῶν εἰς Ὑπέρβολον κωμῳδιῶν, πολλῷ.* Haec conjectura a me jam in Quaestt. Aristoph. p. 183 explosa est, quod fieri non potuerit, ut propria parabasis post Ol. 89, 4, epirrhema autem ejusdem editionis, quod tamen ordine sequitur, ante Ol. 89, 3 componeretur.

Ἀμεινίου ἄρχοντος. Vides hominem, cujus verba non puto corrupta esse, mentientem balbutire. *Τὸ ἀπομέμφεσθαι τὸ θέατρον* secundae editioni dat, qui locus dandus erat demum *τῇ διασκευῇ* (scil. Nub. v. 525). Quum terni tantum comici decertare consueverint tertiusque locus h. e. ultimus Nubibus I datus sit: absurde dicit de Nubibus II *ἀποτυχὼν πολὺ μᾶλλον* —. Quodsi Aristophanes iterum publice victus esset, vix ausus esset fabulam quasi tertium docturus *διασκευάζειν*. Denique, id quod gravissimum est, isto modo etiam secundae Nubes in didascalias referendae fuissent. At Nubes semel tantummodo in didascalias relatae erant, ut clare testantur et argumenti scriptor, quod a verbis *Τοῦτο ταὐτόν* incipit, et l. l. Eratosthenes, qui Nubes I *τὰς διδαχθείσας*, contra Nubes II *τὰς ὕστερον διασκευασθείσας* appellavit [7]. Atque hi duo scriptores etiam primas Nubes diligenter excusserant. Isti vero scholiastae, qui Nubes II Aminiae anno dare ausi sunt, neque primas Nubes viderunt, neque nostrarum Nubium parabasin recte interpretati sunt, cujus epirrhemata nescirent e primis Nubibus remansisse. Demonstrasse mihi videor, quomodo fama ista de tribus Nubium editionibus nata sit. Quam opinionem plerique verbo rejecerunt, eandem plane probarunt Petitus Miscell. I, 6 et H. Clinto Fast. Att. p. 77 ed. Krueger, neque improbavit E. Spanhemius ad Nubes p. 272 ed. Kuster. Restat, ut doceamus epirrhemata v. 575 sqq. e primis Nubibus derivata esse. Memorabile est, hic quoque interpretes quosdam ad Ol. 89, 2 aberrasse, quo anno archon erat Aminias. Nam quum in epirrhemate tempus ejusmodi describatur, quo Cleonem Athenienses ducem elegerint: fuerunt, qui id ad alteram ejus expeditionem, quam in Thraciam suscepit, referrent (Thucyd. V, 2). In hunc errorem Spanhemius et Harlesius ad Nub. v. 584, Droysenius ad Aristoph. Vol. II p. 168 aliique inciderunt. At in Thracia Cleo quum devictus est, tum ipse ibidem ad Amphipolin cecidit: Aristophanes vero et v. 588 sq. de Atheniensium victoria loquitur et v. 591 sq. de tali expeditione, cui Cleo supervixerit, qui etiam ipso epirrhematis tempore adhuc in vivis fuerit. Itaque apparet, de prima Cleonis expeditione ad Pylum exponi, quum Ol. 88, 4 primum dux factus esset (Thucyd. IV, 28): de qua re optime judicavit G. Hermannus ad schol. Nub. p. 361 ed. I (sive p. 302 ed. II). Quamobrem verissime idem in Praefat. ed. II p. XV scholiastis quibusdam [8] assensus totum hoc epirrhema e primis usque Nubibus repetitum esse contendit. Etsi ne Hermannus quidem eum excussit, qui unus omnium doctissime ea de re scripsit, antiquum scholiastam ad v. 584. Ubi quum dicat poeta, eo fere tempore quo Cleo dux factus

[7]) Monui in Quaestt. Aristoph. p. 181.

[8]) Aldinis ad v. 580 *ἐκ τῶν πρώτων δὲ Νεφελῶν ἐστι ταῦτα· τεθνεὼς γὰρ ἦν νῦν ὁ Κλέων*, et ad v. 591 *ταῦτα δὲ ἀπὸ τῶν προτέρων Νεφελῶν· τότε γὰρ ἔζη ὁ Κλέων, ἐπὶ δὲ τούτων τέθνηκε. καὶ γὰρ Εὔπολις μετὰ θάνατον Κλέωνος τὸν Μαρικᾶν ἐποίησεν.*

esset, lunam defecisse: schol. Ven. et Ald. id recte traditum esse his verbis demonstrat, *ἐπειδὴ ἔκλειψις ἐγένετο σελήνης τῷ προτέρῳ ἔτει* (*τῷ β ἔτει* V) *ἐπὶ Στρατοκλέους βοηδρομιῶνι* (*βοηδρομιῶνος* V; *βοηδρομίῳ* Ald.). Absurde huic auctori repugnarunt Dodwellus De vett. cycl. diss. I p. 32 et Spanhemius ad Nub. v. 584. Nam Sam. Petitus Ecl. chron. IV, 12 p. 257, Pingreius Hist. de l'académie des inscriptions et belles lettres T. 42 p. 126 et Fr. Ullricus Beiträge zur Erklärung des Thukydides p. 178 sqq. ostenderunt de hujus testimonii veritate eo minus dubitari posse, quod scholiastae sententia astronomicis rationibus planissime confirmetur [9].

Quum igitur epirrhema e primis Nubibus profluxerit, per se intelligitur etiam antepirrhema v. 607 sqq. eidem tempori ac fabulae attribuendum esse. In quo etsi non tam certas temporum notas videre impressas licet, nihil quidquam tamen legitur, quo haec sententia infirmari possit. Scio aliter visum esse scholiastae R V Ald. ad v. 624 *ἀνθ' ὧν λαχὼν Ὑπέρβολος | τήτες ἱερομνημονεῖν — τὸν στέφανον ἀφῃρέθη*, qui ita scribit, *παρ' ἱστορίαν δὲ εἶπε τὸ Τῆτες. οὐδεὶς γὰρ ἱστορεῖ ἐν ἐκείνῳ τῷ ἔτει ἱερομνήμονα εἶναι Ὑπέρβολον, ἐν ᾧ αἱ Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν. οὐδέπω γὰρ διέπρεπε Κλέωνος ἔτι ζῶντος. μετὰ γὰρ τὸν ἐκείνου θάνατον ἠξιώθη*. At primum Hyperbolus jam vivo Cleone multum in republica valuit, ut apparet ex Eqq. v. 739, quem l. scholiastae bene Meinekius Hist. Com. p. 192 opposuit. De caetero scholiasta etsi non plane mentitur, tamen rationem hujus rei minime perspexit. Sane enim Hyperbolus Ol. 89, 1 hieromnemon sorte factus erat, sed haud multo post gradu suo motus coactusque est hunc locum ei cedere, qui subsortitus esset. Ita non mirum est historicos de Hyperbolo ut hieromnemone tacuisse: quos necesse erat alterum nominare, qui subsortitus huic muneri diutius praefuisset. Hoc modo totam rem jam in Quaestt. Arist. p. 184 expedivi miratusque sum, quod G. Hermannus in Praef. p. XV scholiastae fidem dubitanter adjunxerit. Prorsus idem huic ipsi Hyperbolo alio tempore accidit, quum sorte senator factus hunc quoque locum ei concedere jussus est, qui subsortitus esset (schol. R. ad Thesmoph. v. 808). Ceterum simillimos errores saepe commemorant historici, veluti T. Livius IV, 7 — „credo, quod tribuni militum initio anni fuerunt, eo,

---

9) Utrum in hoc epirrhemate etiam de solis defectione sermo sit necne scholiastae dubitant: pauci alii, in his Ullricus l. l. p. 179 non dubitant, quin ea defectio intelligenda sit, quae auctore Thucydide IV, 52 postea demum (Ol. 88, 4 Martio mense) accidit, quum Cleo dudum Pylo Athenas reversus esset. At nihil minus Aristophanes dicit, quam solem tum defecisse. Nam v. 582 *τὰς ὀφρῦς συνήγομεν* verissime explicat scholiasta, *συννέφειαν ἐποιήσαμεν*. Hoc igitur poeta dicit, diem illum nubilum fuisse, et ut rhetorica exaggeratione utatur (quasi ipsa rerum natura Cleonis praeturae reclamarit) v. 586 *ὁ δ' ἥλιος — οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν* diserte addit, id quod nubilo die per se intelligitur, solem non visum esse.

perinde ac si totum annum in imperio fuerint, suffectis his consulibus praetermissa nomina consulum horum.“ Venio nunc ad v. 609. Demonstravi autem in Bergkii Comm. Com. p. 362, imperatores Atheniensium in literis ad populum datis olim a re ipsa exorsos esse, Cleonem vero imperatorem Sphacteria expugnata Ol. 88, 4 salutem primum Atheniensibus dixisse (*χαίρειν*), eoque nomine ab Eupolide derisum esse his verbis, *Πρῶτος γὰρ ἡμᾶς, ὦ Κλέων, | χαίρειν προσεῖπας, πολλὰ λυπῶν τὴν πόλιν.* Quaeritur, an etiam Aristophanes v. 609 Cleonis irridendi causa ad novam istam imperatoriae epistolae formam alludat. Haec fortasse jam primi scholiastae conjectura fuit, qui ad nostrum maxime locum ita scribat: *τὸν Κλέωνά φασιν ἀπὸ τῆς Πύλου καὶ Σφακτηρίας τοῖς Ἀθηναίοις ἐπιστέλλοντα „χαίρειν“ προθεῖναι.* Qui sensum habeat poetae lectione subactum ipsosque versus consideraverit,

ἡ Σελήνη συντυχοῦσ᾽ ἡμῖν ἐπέστειλεν φράσαι,
πρῶτα μὲν χαίρειν Ἀθηναίοισι καὶ τοῖς ξυμμάχοις·
εἶτα θυμαίνειν ἔφασκε,

videbit v. *χαίρειν* hic eo minus exspectari, quod Luna Atheniensibus irata est ideoque ad Cleonem allusum esse fortasse concedet. Quodsi est ita, propter temporum rationes credibile est hunc locum jam in primis Nubibus (Ol. 89, 1) exstitisse [10]. In universo autem antepirrhemate ejusmodi res describitur, quae utrum primarum Nubium anno an secundarum tribuenda sit, plane nesciamus. Queritur enim poeta Atheniensium fastos tummaxime turbatos esse: quam perturbationem neque quando coeperit definire licet, nec quo usque duraverit. Hoc unum contenderim, temporum rationem anno Pacis (Ol. 89, 3) nondum ordinatam fuisse eoque Pac. v. 414 sq. *ταῦτ᾽ ἄρα — ὑφ᾽ ἁρματωλίας* querelam de anno nimis brevi referri debere. Dubitanter conjiciebam ejusdem rei paucis mensibus post Pacem ab Eupolide in Marica mentionem factam esse collato Antiatticista Bekkeri p. 79, 10, in quo jam Meinekius *ἁρματωλία* pro *ἁμαρτωλία* correxit [11]. Sed difficile dictu est, quo nexu hae fastorum turbae cum cyclo Metonis cohaereant, quem ille Ol. 86, 4 Apseude archonte publicavit (Diodor. S. XII, 36; Philochorus ap. schol. Avv. v. 998 sive partim Suidas s. *Μέτων*; Ptolemaeus Almagest. III, 2 p. 160). Sunt enim, qui hunc cyclum unquam publice in Graecia receptum negent; sunt etiam iique summi viri, qui nixi Diodoro XII, 36 fin., Columella IX, 14 aliisque

---

[10]) Item, ut equidem conjicio, v. 186 *τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι τοῖς Λακωνικοῖς* jam in primis Nubibus legebatur, quas superstitis fabulae fundum fuisse recte confirmat hypothesis auctor p. 110 Bekker.

[11]) Certe Maricas i. e. Hyperbolus ob ipsam fastorum perturbationem hieromnemonis munere motus est (Nub. v. 625).

locis contrariam sententiam jure defendant [12]. Hoc certe liquet, ut optime vidit J. Scaliger De Emend. Temporum p. 82, Metonis cyclum, quo primum anno publicatus est, eo nondum publice receptum esse. Alioqui Nubium tempore novem annis post justus temporum ordo jam restitutus esset. Neque omnino fastorum turbas, si et Nubium et Pacis tempore plures annos permanserunt, ab introducto Metonis cyclo derivare licet. Isto enim modo non plures, sed unicum annum confusionis eum haberemus, quo Metonis fasti publicis sacrificiis aptarentur: quemadmodum Romani unicum confusionis annum viderunt, quo Sosigenis fasti Caesaris jussu primum introducti sunt (Suetonius in Caesare c. 40). Hinc probabile est Athenis fastos eo turbatos esse, quod octaeteris inter belli Peloponnesii turbas justo diutius retenta esset, neque Metonis enneadecaeterida prius receptam, quam crescente fastorum confusione praesens necessitas coegisset. Ceterum nonnulli Diodorum XII, 36 sic interpretantur, jam Ol. 86, 4 fastos paulum turbatos esse, quam explicationem Ideler l. l. p. 326 refellere studet. Facile igitur apparet Nubium parabasin minorem secundae editioni, epirrhemata autem primae assignanda esse. Quod cum viderint Aristophanis critici neque eo magis tamen hanc rationem ad alios Nubium locos transtulerint: operae pretium est viros egregios inconstantiae crimine absolvere. Haud dubie ita censuerunt, reliqua fabula jam plane perfecta, finita etiam minore parabasi, quum sola epirrhemata adhuc scribenda essent, Aristophanem fabulae iterum edendae consilium subito destituisse. Neque dubito, quin comici reliqua fabula jam scripta tum demum parabases, i. e. novum argumentum resque recentissimas composuerint.

---

[12]) Singulos nominarunt Ideler in Manuali Chronologiae I p. 317 et C. F. Hermannus Gr. Staatsalterthümer p. 241 ed. I.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) historiam dogmatum senis dd. h. VIII tradet; 2) historiae ecclesiasticae partem primam quinis dd. h. IX enarrabit. Publice paedagogicen dd. Lunae, Jovis et Veneris h. XII praecipiet. In Seminarii sodalitio catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.

D. Jo. Phil. Bauermeister, P. P. O., h. t. Decanus, 1) evangelium et epistolas Johannis interpretabitur quinis dd. h. X privatim; 2) systemata ecclesiae Romanae, Reformatae, Socinianorum dogmatica exponet et cum Lutheranorum placitis comparabit quinis dd. h. XI privatim; 3) apocalypsin Johannis explicabit binis dd. h. XI publice; 4) Isagogen historicam in libros ecclesiae Lutheranae symbolicos tradet binis dd. publice.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim senis dd. h. IX alteram historiae ecclesiasticae partem enarrabit; 2) privatim senis dd. h. X theologiam dogmaticam tradet; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderabitur.

M. Baumgarten, Phil. D. Theol. Lic. P. O. Des., 1) publice Psalmos selectos enarrabit bis per hebdomadem; 2) privatim librum Genesis interpretabitur quater; 3) privatim epistolam Pauli ad Romanos explicabit quinquies. Horas scholarum justo tempore indicabit.

D. Julius Wiggers, P. P. E., 1) epistolas P. ad Colossenses et ad Ephesios interpretabitur publice dd. Martis et Veneris h. IV; 2) evangelia Matthaei, Marci et Lucae explicabit privatim quinquies p. h. h. X; 3) isagogen in N. T. praeibit privatim quinquies p. h. horis definiendis.

In ordine juridico.

D. Augustus Ludovicus Diemer, P. P. O., 1) quat. dieb. h. X — XI docebit jus privatum Megapolitanum ex schedis suis; 2) totidem dieb. h. III — IV tradet jus ecclesiasticum utriusque confessionis Germanicae ex compendio Lud. Richteri, ed. 3.

D. Fridericus Raspe, P. P. O., h. t. Decanus, tradet principia juris criminalis communis et megapolitani, duce Heffter, sexies h. XI — XII et XII — I.

D. Burcard. Guilielmus Leist, P. P. O., tradet 1) Pandectas sexies XI — I; 2) jus hereditarium quinquies h. IV — V.

D. Joh. Fridericus Budde, P. P. O., 1) privatim historiam juris Germanici enarrabit quinquies h. IX; 2) privatim jus publicum tradet quinquies h. X.

D. Carolus Georgius Bruns, P. P. O., tradet 1) institutiones juris romani sexies h. XII — I; 2) collegium practicum civile habebit ter h. III — IV.

D. Theophilus Henr. Fr. Gaedcke 1) hora commoda scholam civilem eamque practicam quater per hebd. moderabitur; 2) hora commoda quater per hebd. artis notarialis tum praecepta tradet, tum exercitia practica reget; 3) privatissime examinatoria et repetitoria offert.

D. I. de Gloeden collegium processuale practicum ter per hebd. h. IV — VI instituet.

D. Adolphus Schliemann instituet collegium pandectarum practicum ter per hebd. privatim. Privatissime repetitoria et relatoria commilitonibus offert.

In ordine medico.

D. Henricus Spitta, P. P. O., tradet quatern. p. h. diebus 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem; 3) clinicen propaedeuticam binis p. h. diebus.

D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit quater p. h. 1) materiam medicam h. IV; 2) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam et 3) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie h. IX — XI moderabitur.

D. Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O., 1) in demonstrationibus anatomicis splanchnologiam, angiologiam et neurologiam horis II — IV diebus Lunae, Martis et Jovis; 2) osteologiam, syndesmologiam et myologiam horis II — IV diebus Mercurii et Veneris docebit; 3) in secandis cadaveribus auditores horis IX — XII quotidie erudiet.

D. **Hermannus Stannius**, P. P. O., h. t. Rector, docebit: 1) anatomen comparatam quotidie h. XI — XII; 2) pathologiam generalem quotidie h. XII — I.

D. **Christianus Krauel**, P. P. O., h. t. Decanus, 1) tradet artem obstetriciam quater p. h. h. IV; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quotidie h. VIII moderari perget.

D. **Jo. Frid. Guil. Lesenberg** has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.

D. **Johannes Schroeder** tradet 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. **Ludovicus Dragendorff** offert lectiones 1) de arte obstetricia; 2) de operationibus obstetriciis.

D. **Augustus Strempel** offert: 1) publice binis diebus artem formulas medicas rite concinnandi; 2) privatim quaternis diebus pathologiam et therapiam morborum pectoris cum exercitationibus practicis in auscultatione et percussione conjunctam; 3) privatissime examinatoria et repetitoria de anatome et physiologia.

In ordine philosophico.

D. **Franciscus Volcmarus Fritzsche**, P. P. O., publice 1) quaternis diebus h. III de metris veterum poetarum disseret; 2) quaternis diebus h. IX Aristophanis Plutum interpretabitur; 3) binis diebus h. IX Plauti Stichum explicabit. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Horatius (Odarum Lib. IV cum Epodis) et Luciani liber De Morte Peregrini tractabuntur.

D. **Johannes Roeper**, P. P. O., privatim docebit 1) Zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, quinis diebus h. XI; 2) de physiologia plantarum disseret diebus Lunae et Veneris h. III; 3) initia cryptogamologiae exponet diebus Martis et Jovis; 4) publice geographiam plantarum tractabit die Mercurii h. III.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., docebit 1) publice culturam sylvarum bis p. h. h. XII; 2) privatim agriculturam quaternis diebus h. IX; 3) rem pecuariam quaternis diebus h. XI.

D. Ludov. Bachmann, P. P. O., 1) privatim quater per hebd. Homeri Iliadem interpretabitur; 2) privatim quater per hebd. selectas Plinii Sec. epistolas, quae ad literas artisque opera spectant, explicabit; 3) privatissime quater per hebd. Mythologiam Graecorum enarrabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit 1) publice astronomiam popularem bis p. h.; 2) privatim geometriam analyticam quater p. h.; 3) privatim mineralogiam quater p. h. Privatissima denique offert collegia de quavis matheseos vel physices parte.

D. Carolus Türk, P. P. O., publice 1) Taciti Germaniam commentabitur bis p. h. h. II; 2) de America septentrionali foederata disseret bis p. h. h. II; privatim 3) encyclopaediam literarum civilium docebit ter p. h. h. XI; 4) historiam medii aevi quinquies p. h. h. X tradet.

D. Christianus Wilbrandt, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) historiam philosophiae senis diebus h. IX docebit; 2) historiam literarum Germanicarum quinis diebus h. X enarrabit; 3) exercitationes Seminarii philosophico-aesthetici moderabitur horis constituendis.

D. Carolus Hegel, P. P. O., 1) publice doctrinam de civitate secundum Platonem, Aristotelem, Machiavelli, Montesquieu et Rousseau binis diebus explicabit h. III—IV; 2) privatim Germaniae historiam tradet quinquies h. IV—V; 3) Francogalliae historiam inde ab a. 1789 usque ad a. 1815 quater h. III—IV tradet.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., publice de metallis et salibus disseret bis p. h. horis definiendis; privatim 1) chemiam organicam tradet quotidie hora X—XI; 2) exercitationes chemicas moderabitur sexies p. h. horis definiendis; privatissime 1) agronomiam docebit et exercitationes agronomicas moderabitur horis definiendis; 2) technologiam rusticam docebit horis definiendis.

D. Fridericus Francke, P. P. E., horis commodis 1) publice philosophiam religionis christianae illustrabit ternis per hebdomadem diebus; 2) privatim ethicam s. doctrinam morum philosophicam praecipiet quinis p. h. dd.; 3) privatim historiae generis humani philosophiam explicabit quaternis p. h. dd.

D. **Georgius Nicolaus Busch**, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III—IV Taciti Annales explicabit; 2) quaternis diebus h. IV—V Euripidis Phoenissas interpretabitur; 3) binis diebus h. III — IV de syntaxi linguae Graecae disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. **Eduardus Schmidt**, P. P. E., docebit 1) publice introductionem philosophicam in theologiam moralem et dogmaticam bis p. h. h. III; privatim 2) philosophiam historiae maximeque novissimae quater p. h. h. IV; 3) psychologiam quater p. h. h. V.

D. **Carolus Weinholtz** privatim 1) logicam formalem e systemate suo („die Erfahrungs-Logik", Rostock 1834) docebit comparatis Aristotelis et Hegelii doctrinis; 2) de explicatione naturali juris et civitatum disseret spectabitque suos ipsius libellos hos: „Die Begründung des Rechts", Rostock 1847, atque „Die staatsbürgerliche Freiheit und Gleichheit", Rostock 1849.

D. **Julius Robert** privatim 1) quaternis diebus de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) ternis diebus de clarissimis Gallorum scriptoribus disseret, qui saeculo decimo octavo floruerunt; 3) publice binis diebus universam historiam literarum Gallicarum enarrabit.

D. **Carolus Retslag** docebit privatim 1) historiam philosophiae quinis horis per hebd.; 2) psychologiam quaternis horis per hebd.

*
* *

Bibliotheca h. XII — I quotidie, festo die et solis excepto, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferantur leges, quae de bibliothecae academicae usu scriptae sunt. Gallicam, anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem pingendi, musicam et gymnasticam doceant.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hermannus Stannius, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Philippus Bauermeister**, Th. D.
Juris consultorum **Friedericus Raspe**, J. U. D.
Medicorum **Christianus Krauel**, M. D.
Philosophorum **Christianus Wilbrandt**, Ph. D.



INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLI

A DIE XV M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEMISSUM EST COMMENTATIONIS

DE FABULIS RETRACTATIS

SPECIMEN TERTIUM.

LITERIS ADLERIANIS.

Praeter tres fabulae partes, quas retractatas esse diserte hypothesis scriptor tradidit, etiam aliae ejusdem generis scenae in alteris Nubibus exstant. Unus ejusmodi locus isque caeteris evidentior v. 723—739 legitur, in quo et ipso servatis ex utraque editione laciniis ambae conformationes male confusae sunt. Nam neque duplex unius scenae exordium v. 723 *Σω. οὗτος τί ποιεῖς;* et iterum v. 731 *Σω. φέρε νυν ἀθρήσω* — ferri ullo modo potest, et sententiae a Socrate v. 728 *ἐξευρετέος γὰρ νοῦς ἀποστερητικός* propositae paullo post tum Strepsiades v. 736 *περὶ τοῦ;* tum Socrates ipse v. 737 *αὐτὸς* — manifesto repugnant. Quam rem etiam C. F. Hermannus optime perspexit [1], perspectam audaci transpositione sanare conatus est [2]. At quis non videt, h. l. bis easdem res non eodem modo (quod maxime ad rem pertinet), sed ratione valde diversa proponi? in altero loco Strepsiadem ad praescriptum, in altero libera optione philosophari? in altero sicut in superioribus cimicum mentionem fieri, in altero nullam fieri? Quare jam dudum ita statui, nihil vel mutari temere vel transponi debere, sed hic quoque utramque editionem commixtam videri. Duplicem igitur recensionem in his versibus puto agnoscendam esse,

---

[1]) In censura edit. Hermannianae p. 744. Verba ejus haec sunt: „V. 721 fgg. [edit. Herm.] stoßen wir wieder auf Schwierigkeiten, die wir uns wundern müssen, von keinem Herausgeber angeregt zu sehen. Aber wie kann Sokrates, nachdem er kurz vorher zu Strepsiades gesagt hat: *οὗτος τί ποιεῖς; οὐχὶ φροντίζεις;* v. 730 noch einmal anfangen: *φέρε νυν ἀθρήσω πρῶτον, ὅ τι δρᾷ, τουτονί?* und wie kann er v. 736 Strepsiades auffordern ihm zu sagen was er finden wolle, nachdem er bereits v. 727 ihm aufgegeben hat was er finden solle, und zwar das nämliche was jener auch wirklich will: *ἐξευρετέος γὰρ νοῦς ἀποστερητικὸς* u. s. w.? Wir zweifeln kaum, daß hier zwei verschiedene Bearbeitungen dieser Scene durch einander geworfen sind, ohne welche Annahme die häufigen Wiederholungen des nämlichen sich nicht leicht erklären lassen; so viel wenigstens scheint gewiß, daß v. 730—733 ursprünglich gleich hinter v. 721 gehörten und ein anderer Anfang derselben Scene sind, der sich wahrscheinlich aus der ersten Bearbeitung erhalten hat."

[2]) Sic enim l. l. perrexit: „wir würden also mit Ausmerzung von v. 730—733 die ganze Scene so anordnen: v. 722—725, 734—741, 726—729, 742 ff."

I. (Nubes priores.)

V. 731 — 739

Σω. φέρε νυν ἀϑρήσω πρῶτον, ὅ, τι δρᾷ τȣτονί.
οὗτος καϑεύδεις; Στρ. μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ.
Σω. ἔχεις τι; Στρ. μὰ Δί' οὐ δῆτ' ἔγωγ'. Σω. οὐδὲν πάνυ;
Στρ. οὐδέν γε, πλὴν ἢ τὸ πέος ἐν τῇ δεξιᾷ.
Σω. οὐκ ἐγκαλυψάμενος ταχέως τι φροντιεῖς;
Στρ. περὶ τοῦ; σὺ γάρ μοι τοῦτο φράσον, ὦ Σώκρατες.
Σω. αὐτὸς ὅ, τι βούλει πρῶτος ἐξευρὼν λέγε.
Στρ. ἀκήκοας μυριάκις ἁγὼ βούλομαι, περὶ τῶν τόκων, ὅπως ἂν ἀποδῶ μηδενί.
Σω. ἴϑι νυν καλύπτου —.

II. (Nubes posteriores.)

V. 723 — 730

Σω. οὗτος τί ποιεῖς; οὐχὶ φροντίζεις;
Στρ. ἐγώ;
νὴ τὸν Ποσειδῶ. Σω. καὶ τί δῆτ' ἐφρόντισας;
Στρ. ὑπὸ τῶν κόρεων εἴ μού τι περιλειφϑήσεται.
Σω. ἀπολεῖ κάκιστ'. Στρ. ἀλλ' ὦγάϑ' ἀπόλωλ' ἀρτίως.
Σω. οὐ μαλϑακιστέ', ἀλλὰ περικαλυπτέα.
ἐξευρετέος γὰρ νοῦς ἀποστερητικὸς κἀπαιόλημ'. Στρ. οἴμοι, τίς ἂν δῆτ' ἐπιβάλοι
ἐξ ἀρνακίδων γνώμην ἀποστερητίδα;
Σω. ἴϑι νυν καλύπτου — (v. 740 sqq.)

Neque enim alienis rebus interpositis tam longo intervallo dirimi possunt versus sententiae vinculo conjuncti 728 — 730 *ἐξευρετέος γὰρ νοῦς ἀποστερητικός — γνώμην ἀποστερητίδα* atque 747 *ἔχω τόκου γνώμην ἀποστερητικήν,* qui nunc secundum nostram rationem multo arctius copulantur [3]). Ceterum versus 747 ne a priore quidem recensione prorsus abhorrere videtur, in qua v. 733 verba *ἔχεις τι;* et v. 739 *περὶ τῶν τόκων* leguntur [4]). Consentaneum est autem, quae aliis nostrae fabulae i. e. secundae editionis locis repugnent, priori editioni, quae aliis ejusdem locis bene conveniant, secundae assignare [5]). Ex quo sequitur, v. 731

[3]) Etiam hoc vitium C. F. Hermannus l. l. probe perspexit („Außerdem aber werden — getrennt seyn dürften").

[4]) Nunc demum video, non nimis dissimile de hoc l. Beerii l. l. p. 130 sq. judicium esse, qui non modo meam, de qua supra dixi, sed ne C. F. Hermanni quidem sententiam cognitam habuit. Beerii verba omissis tamen erroribus ejus manifestis infra posui: „Ich glaube in den Versen 731 — 45 eine Zugabe der zweiten Wolken erkennen zu dürfen. Die neue Scene war aber meines Erachtens nicht bestimmt, zwischen die in unserer Ausgabe vorhergehende und nachfolgende eingeschoben zu werden, sondern vielmehr, an die Stelle der unbedeutenden Verse 723 — 30 zu treten, so daß in den ersten Wolken auf Vs. 730 — die Worte *ὦ Σωκρατίδιον φίλτατον* u. s. w. (Vs. 746) folgten, während in den zweiten Wolken Vs. 731 sich an Vs. 722 anschliessen — sollte."

[5]) Socratis verba v. 737 *αὐτὸς ὅ, τι βούλει πρῶτος ἐξευρὼν λέγε* repugnare videntur verbis ejusdem v. 695 *ἐκφρόντισόν τι τῶν σεαυτοῦ πραγμάτων.*

— 739 priori, contra v. 723 — 730 posteriori editioni necessario tribuendos esse. Nam v. 731 — 739 Strepsiades philosophari jussus non cimicum morsu, de quibus hic quidem plane tacetur, sed sua ipsius libidine (v. 734) perturbatur: contra v. 723 — 730 idem non libidine ulla, sed solo cimicum morsu infestatur. Atqui ut libidinans senex et ab hujus scenae contextu et ab universo secundae editionis habitu abhorret: ita idem cimicum morsu jam in superioribus, inprimis v. 707 sqq. vexatur. Hinc etiam conjici potest, qua de causa Aristophanes versus 731 — 739 in secunda editione retractaverit. Senem enim obscoenissimum (v. 734) eo magis de medio tollendum putavit, quod ipse in parabasi v. 537 sqq. secundas Nubes comoediam esse gloriatur honestam minimeque obscoenam. Enimvero quod de v. 723 — 730 valet, cadit idem in v. 707 *ἀτταταῖ* — 722 *γεγένημαι* locum proximum superiorem. Qui locus quum et ipse in cimicum morsu potissimum versetur, non solum cum primae editionis loco v. 731 — 739 adversa fronte pugnat, verum etiam cum loco secundae v. 723 — 730 tam arcte cohaeret, ut hi continui de cimicibus joci ad unam eandemque fabulae editionem necessario referendi sint [6]). Ita demonstrasse videor, v. 707 — 722 in secunda demum editione additos esse, a prima autem abfuisse. Quamobrem in prima Nubium editione chori canticum v. 700 — 706 trimetri v. 731 sqq. *Σω. φέρε νυν ἀθρήσω* continuo secuti erant prorsus eadem ratione, quae in antistrophico loco v. 805 — 813 et v. 814 sqq. etiamnunc servata est. Nam, id quod G. Hermannus olim vidit, versibus 700 — 706 stropham, antistrophum autem v. 805 — 813 contineri adeo manifestum est, ut res in oculos plane sensusque incurrat [7]). Sed antistrophi comparatio docet, in stropha extrema v. 705 duo versus deesse. Quare Hermannus lacunae signa posuit, ultimos versus librariorum culpa excidisse ratus. Quod tametsi fieri potuit, tamen in loco (ut supra ostendi) ipsius poetae manu retractato quaerendum erit, an duorum versuum defectus potius ab hujus scenae retractatione derivari debeat. At, dixerit quispiam, Aristophanes et in prima fabula, quae Athenis data sit, stropham absolverat, et vero in secunda editione, cujus antistropho v. 805 sqq. nihil desit, stropham quoque totam perfecerat. Audio: sed

---

[6]) Cimicum Socraticorum morsus poeta non sine luxurie quadam, lepidissime tamen pertractavit.

[7]) Beerius si rei metricae satis peritus esset, profecto Hermannum secutus esset neque l. l. p. 130 sq. duas antistrophos excidisse somniasset. Sed Beerius a Dindorfio in errorem inductus est, qui etsi Hermanni judicium probat, idem tamen ante v. 731 chori carmen requirit. At easdem res bis tradi semel v. 723 — 730 et iterum v. 731 — 739 absurdum est, etiamsi chori carmen interjeceris. Omninoque intra stropham et antistrophum h. e. intra v. 707 — 804 nullum omnino chori carmen intercidit.

idem contendo, in primis Nubibus finem strophae talem esse potuisse, ut a secundis abhorreret. Fac enim, in ipso strophae fine v. 705 post v. ὀμμάτων hanc sententiam fuisse: „quam primum aliquid excogita, priusquam Socrates redeat: nam crepuit ostium“ (cf. Ranas v. 603): talis finis primae fabulae, in qua v. 731 Σω. φέρε νυν ἀθρήσω continuo secutus erat, optime conveniebat, a secunda autem editione plane erat alienus. Isto igitur modo si forte poeta finem strophae, quae tum certe mutanda erat, in secundis Nubibus nondum expoliverat: princeps secundarum editor etiam laudandus erit, quod finem strophae e primis Nubibus non receperit, quum antistrophum (a v. 805) totam servasset. Quam opinionem hoc magis afferendam putavi, quod vir doctus, qui universum hunc locum retractatum esse non vidisset, tamen in eandem fere conjecturam incidit. Est is G. Dindorfius, qui T. III p. 162 Ox. haec scripsit: „v. 705. Imperfectum hoc carmen in secunda editione reliquisse videtur poeta, eoque factum esse, ut versus antistrophici 812 et 813 non habeant in stropha qui respondeant.“ Quintus locus simillimi generis, nondum ille quod sciam ab aliis notatus v. 412—427 legitur, in quo sententiarum nexus adeo turbatus est, ut hunc quoque locum ab ipso Aristophane aliter compositum esse necesse sit. Vix enim alieniore loco, quam nunc fit v. 412—422, inprimis de laborum patientia a choro Strepsiadeque disputari potuit: quae omnia si hinc abessent, justus colloquii tenor servatus esset. Etenim v. 365—411 Socrates Strepsiadem docet, Nubes, non Jovem pluviam, tonitrua et fulmina efficere, Nubes denique, non Jovem in coelo regnare: quae ipsa demonstratio v. 423—426 conclusa atque finita est. Itaque sublato Jove deo post v. 411 τὠφθαλμώ — τὸ πρόσωπον continuo poni debebant versus 423 Σω. ἄλλ' — λιβανωτόν. Quo facto etiam aliud vitium sublatum erit, quo leges scenicae plane violantur. Nam quum v. 412 sqq. non Socrates, ut in edd. quibusdam, sed ut in codicibus est chorus manifesto verba faciat: medium hoc chori et Strepsiadis colloquium nunc Socrates (v. 423 sq.) interpellat. At primum Socrates et Strepsiades choro tacente, deinde vero chorus et Strepsiades Socrate plane tum quidem tacente colloqui debent. Quae ratio vel ab ipso comico praemonstrata est v. 250 sqq.:

Σω. βούλει τὰ θεῖα πράγματ' εἰδέναι σαφῶς,
ἅττ' ἐστὶν ὀρθῶς; Στρ. νὴ Δί', εἴπερ ἔστι γε.
Σω. καὶ ξυγγενέσθαι ταῖς Νεφέλαισιν ἐς λόγους,
ταῖς ἡμετέραισι δαίμοσιν; Στρ. μάλιστά γε.

Primum enim Socrates Strepsiadem τὰ θεῖα πράγματα docet ostenditque Nubes pro Jove colendas esse, deinde vero Nubium chorus cum Strepsiade colloquitur. Sed haec vitia non uno modo corrigi possunt. Simplicissima ratio est, quam supra

indicavi, ut v. 423 — 426 (non impediente versu 428) ante v. 412 transponantur [8]. Alii fortassis audacter conjicient, v. 412 — 422 unice ad primas Nubes referendos esse. At quae eo loco chorus de perferendis laboribus praecepta dat, cum iis Strepsiadis verba v. 440 sqq. tam eximie conveniunt, ut etiam prior locus secundis Nubibus adjudicandus videatur [9]. Versuum autem transpositionem illam sic proposui ut sententiae commodam, non ut ab ipso poeta certo profectam, qui secundas Nubes non plane perfecerit. Fac in secundis comicum eodem ordine, quem supra commendavi, vel collocasse versus vel collocaturum fuisse: ne sic quidem credibile est omnium codicum librarios commisisse, ut justum ordinem versuum tam foede perturbarent. Immo principis secundarum Nubium editoris negligentia hic quoque videtur accusanda esse. Qui quum alibi similiter in iis locis erraverit, qui a poeta retractati sunt, in loco autem non retractato ne potuerit quidem in hunc errorem incidere: colligitur, hanc quoque scenam, quae nunc tantopere perturbata est, aliquo modo retractatam esse atque in primis Nubibus partim aliter scriptam fuisse. Restat aliud *διασκευῆς* genus, in quo quaerendum erit, an una pluresve scenae, quae in primis Nubibus fuissent, postea deletae fuerint neque omnino in alteras receptae. De qua re apud hypothesis scriptorem mirum silentium est: qui etsi alia deleta esse alia addita tradit (*τὰ μὲν γὰρ περιῄρηται*, inquit, *τὰ δὲ παραπέπλεκται*,) tamen eo loco non de *διασκευῇ* loquitur, sed tantum de singulorum locorum *διορθώσει*. At ne dicam fieri potuisse, ut tanto post propter temporum mutationem cum versibus singulis etiam longior scena expungenda esset: in fabula, quam primum a populo explosam postea a poeta retractatam esse scimus, verisimile est unam alteramve scenam prae caeteris displicuisse, ut talis scena necessario tota delenda esset. Praeterea eo inprimis haec sententia confirmatur, quod duae scenae, de quibus supra dictum est, altera v. 707 — 730, longissima altera v. 889 — 1104 plane a primis Nubibus abfuerant ambaeque in secundis demum adjectae sunt. Nam quum paene incredibile sit priorem editionem ducentis vel trecentis versibus

---

[8]) Ita ultima Strepsiadis verba *τὠφθαλμώ μου προσετίλησεν καὶ κατέκαυσεν τὸ πρόσωπον* hi versus excipient:

Σω. ἀλλ᾽ ὁτιοῦν δὴ νομιεῖς ἤδη θεὸν οὐδὲν, πλὴν ἅπερ ἡμεῖς,
τὸ Χάος τουτὶ καὶ τὰς Νεφέλας καὶ τὴν γλῶτταν, τρία ταυτί;
Στρ. οὐδ᾽ ἂν διαλεχθείην γ᾽ ἀτεχνῶς τοῖς ἄλλοις, οὐδ᾽ ἂν ἀπαντῶν,
οὐδ᾽ ἂν θύσαιμ᾽, οὐδ᾽ ἂν σπείσαιμ᾽, οὐδ᾽ ἐπιθείην λιβανωτόν.
ΧΟΡΟΣ. ὦ τῆς μεγάλης ἐπιθυμήσας σοφίας, ὤνθρωπε, παρ᾽ ἡμῶν
et sic porro.

Versum 423 non ut aliis placuit sed ita, ut supra scripsi *ἀλλ᾽ ὁτιοῦν δὴ* — corrigendum esse commodiore loco ostendam.

[9]) Nullo modo hic chorus (v. 412 sqq.) cum eo, qui v. 358 — 363 legitur, arctius quam nunc fit conjungi potest.

altera breviorem fuisse: concedendum est, vel propterea, ut duabus quas dixi novis scenis locus fieret, aliquot veteres scenas deleri in secundis Nubibus debuisse. Verum ex quanam Nubium parte vetus scena sublata videatur, id neque ex iis Nubibus quae supersunt neque e priorum fragmentis certo demonstrari poterit. Attamen supra conjeci Chaerephonem in primis Nubibus suas quasdam partes egisse eosque locos postea deletos esse. Caeterum Aristophanes quod fabulam a semetipso tantopere laudatam postea retractavit, facile excusari potest. Praeterquam enim quod reipublicae rationes, quas etiam in prima editione haud dubie attigerat, interim mutatae erant: quaevis comoedia primum explosa, ut omnino iterum doceri posset, retractari solebat teste Chamaeleone ap. Athen. IX p. 374, b.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) dogmatum historiam h. VIII senis diebus; 2) historiae ecclesiasticae partem primam h. IX quinis diebus enarrabit. Publice 1) isagogen historicam in libros ecclesiae Lutheranae symbolicos dd. Lunae et Martis h. XII tradet; 2) catecheticen dd. Jovis et Veneris h. XII praecipiet. In Seminarii sodalitio catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim senis dd. h. VIII recentiorem ecclesiae inde a sacrorum instauratione ad nostra usque tempora historiam enarrabit; 2) privatim quinis dd. h. IX theologiam moralem docebit; 3) publice ternis dd. h. III artem liturgicam tradet; 4) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderari perget.

D. M. Baumgarten, P. P. O., privatim 1) librum Psalmorum interpretabitur quinquies h. X — XI; 2) Acta Apostolorum enarrabit quater h. XI — XII; 3) introductionem in libros N. T. docebit quater h. IV — V; publice 4) elementa chaldaica tradet et lectiones chaldaicas instituet bis h. XI — XII; 5) exercitationes exegeticas moderari perget horis binis deinceps publicandis.

D. Julius Wiggers, P. P. E., 1) privatim evangelia Matthaei, Marci et Lucae explicabit quinquies p. h. hora audituris commoda; 2) privatim symbolicam tradet quinquies p. h. h. XI; 3) publice epistolam ad Galatas a Paulo datam interpretabitur dd. Lunae et Jovis h. IV; 4) publice historiam ecclesiae Megapolitanae enarrabit dd. Martis et Veneris h. IV.

In ordine juridico.

D. Augustus Ludovicus Diemer, P. P. O., docebit 1) quaternis dieb. h. XI — XII encyclopaediam juridicam, ex compendio Falckii ed. Jhering, 1851 et 2) totidem dieb. horis deinde constituendis, jus ecclesiasticum utriusque confessionis Germanicae, ex compendio Richteri ed. noviss. 1848.

D. Fridericus Raspe, P. P. O., h. t. Decanus, tradet principia processus judiciarii civilis, duce Linde, sexies h. XI et quater h. XII.

D. Burcard. Guilielmus Leist, P. P. O., 1) quinquies h. XI — XII historiam juris Romani; 2) quinquies (h. XII — I dier. Lunae, Martis, Jovis, Veneris et h. XI — XII d. Saturni) Institutiones juris Romani tradet; 3) h. XII — I dier. Mercurii et Saturni collegium exegeticum instituet, quo ad illustrandam juris Romani hodierni theoriam difficiliores fontium locos interpretabitur.

D. Joh. Fridericus Budde, P. P. O., 1) historiam juris Germanici enarrabit quinquies p. h. h. IX; 2) jus feudale tradet quater p. h. h. X.

Dr. Otto Meyer, P. P. O. Des., 1) h. VIII — IX quinquies jus ecclesiasticum; 2) h. IX — X quinquies Encyclopaediam juris tradet.

D. Theophilus Henr. Fr. Gaedcke 1) hora commoda scholam civilem eamque practicam quater per hebd. moderabitur; 2) hora commoda quater per hebd. artis notarialis tum praecepta tradet, tum exercitia practica reget; 3) privatissime examinatoria et repetitoria offert.

D. Adolphus Schliemann hasce lectiones habebit 1) privatim pandectas tradet decies per hebdomadem; 2) privatim jus Megapolitanum privatum exponet sexies per hebdomadem; 3) privatissime relatorium instituet.

In ordine medico.

D. Henricus Spitta, P. P. O., tradet quatern. p. h. diebus 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem; 3) clinicen propaedeuticam binis p. h. diebus.

D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit quater p. h. 1) materiam medicam h. IV; 2) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam et 3) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie h. IX — XI moderabitur.

D. Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O., 1) h. VIII — IX in demonstrationibus anatomicis osteologiam, syndesmologiam et myologiam quater per hebdomadem tradet; 2) horis III — V artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam docebit.

D. **Hermannus Stannius**, P. P. O., h. t. Rector, docebit 1) physiologiam corporis humani quaternis p. h. diebus h. X—XI; moderabitur 2) institutiones physiologicas practicas ternis p. h. diebus h. XI — I.

D. **Christianus Krauel**, P. P. O., h. t. Decanus, 1) tradet artem obstetriciam quater p. h. h. IV; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quotidie h. VIII moderari perget.

D. **Jo. Frid. Guil. Lesenberg** has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.

D. **Johannes Schroeder** tradet 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. **Ludovicus Dragendorff** offert lectiones 1) de arte obstetricia; 2) de operationibus obstetriciis.

D. **Augustus Kortüm** privatim lectiones offert de pathologia et therapia speciali, quater per hebd. horis commodis.

D. **Augustus Strempel** offert: 1) publice binis diebus artem formulas medicas rite concinnandi; 2) privatim quaternis diebus pathologiam et therapiam morborum pectoris cum exercitationibus practicis in auscultatione et percussione conjunctam; 3) privatissime examinatoria et repetitoria de anatome et physiologia.

In ordine philosophico.

D. **Franciscus Volcmarus Fritzsche**, P. P. O., publice 1) quaternis diebus h. III de mythis mysteriisque Graecorum disseret; 2) binis diebus h. VIII Aristophanis Pacem interpretabitur; 3) binis diebus h. VIII Lucianum Samosatensem tractabit; 3) binis diebus h. VIII Plauti Pseudolum explicabit. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo selecta Pindari carmina et Catulli exponentur.

D. Johannes Roeper, P. P. O., 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam senis diebus h. VII; 3) de physiologia plantarum disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., 1) publice elementa rei rationariae oeconomicae bis p. h. tradet h. XII; 2) privatim agros metiendi formasque delineandi doctrinam adjunctis exercitationibus practicis sexies p. h. h. III; 3) culturam plantarum agrestium quater p. h. docebit h. XI.

D. Ludov. Bachmann, P. P. O., 1) quater per hebd. Homeri Iliadem interpretabitur; 2) quater per hebd. Horatii Epistolas explicabit; 3) quater per hebd. topographiam veteris Graeciae enarrabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit 1) publice trigonometriam bis p. h.; 2) privatim calculum integralem quater p. h.; physicen experimentalem una cum collega amicissimo Schulze quater p. h. hora X — XII; theoriam microscopii semel p. h. Privatissima proponit collegia de qualibet matheseos et physices parte nec non de rebus nauticis.

D. Carolus Türk, P. P. O., publice 1) conversatorium historicum habebit, bis p. h. h. II; privatim 2) historiam populi Germanici enarrabit, sexies p. h. h. XI; 3) historiam legum Germanicarum, ter p. h. h. II.

D. Christianus Wilbrandt, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) de Graecorum arte dramatica disseret quinis diebus h. IX; 2) aestheticam sive philosophiam artis docebit quinis diebus h. X; 3) privatissime sed gratis poëmata quaedam Germanica antiqua interpretabitur bis per hebdom. horis constituendis; 4) exercitationes Seminarii philosophico-aesthetici moderabitur.

D. Carolus Hegel, P. P. O., 1) publice historiam Megapolitanam bis per hebd.; 2) privatim historiam medii aevi quater per hebd. et 3) historiam recentiorum temporum quater docebit.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., 1) chemiam experimentalem tradet quotidie hora X — XI; 2) physicam experimentalem una cum Prof. Karsten docebit horis definiendis; 3) chemiam analyticam docebit et exercitationes analyticas instituet quotidie hora II — IV; 4) privatissime offert agronomiam et exercitationes agronomicas horis definiendis.

D. Fridericus Francke, P. P. E., horis commodis 1) publice anthropologiam psychicam docebit quaternis per hebdomadem diebus; 2) philosophiam religionis illustrabit quinis p. h. dd.; 3) ethicam s. doctrinam morum philosophicam praecipiet quinis p. h. dd.

D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III—IV Aeschyli Prometheum interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV—V metra, quibus Graeci atque Romani usi sunt, illustrabit; 3) binis diebus h. III—IV de vita Romanorum privata disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. Eduardus Schmidt, P. P. E., 1) publice introductionem philosophicam in theologiam dogmaticam tradet bis p. h. h. III—IV; 2) privatim encyclopaediam disciplinarum philosophicarum, praemissa introductione universali in philosophiam quinquies p. h. h. IV—V; 3) privatim philosophiam historiae generis humani quinquies p. h. h. V—VI.

D. Carolus Weinholtz privatim 1) introductionem in philosophiam ex conspectu suo (Rostock 1826) tradet; 2) logicam formalem ex compendii sui secunda parte (Rostock 1834) docebit comparatis Aristotelis et Hegelii doctrinis spectabitque suos ipsius libellos hos: „Der alte Weg und die Wissens-Mittel", Rostock 1840, atque „die speculative Methode und die natürliche Entwickelungs-Weise", Rostock 1843.

D. Bernardus Sthamer docebit 1) Chemiam analyticam quater per hebd. h. III—IV; 2) Anthropochemiam et Zoochemiam ter per hebd. h. VIII—IX; 3) Chemiam forensem quater per hebd. h. IX—X.

D. Julius Robert 1) quaternis diebus de lingua Gallica scholas practicas habebit privatim; 2) ternis diebus privatim pristinum literarum Gallicarum statum cum hodierno comparabit; 3) publice bis p. hebd. de clarissimis Galliae scriptoribus disseret, qui saeculo decimo nono floruerunt.

D. Carolus Retslag privatim 1) philosophiam juris quinquies per hebd. docebit; 2) privatim logicen et metaphysicen quinquies per hebd. tractabit.

Bibliotheca patebit quaternis diebus h. XII — I, festo die et solis excepto, tum quovis Mercurii et Saturni die extra ferias h. XI — I, feriis ipsis tantummodo h. XII — I; **Museum** vero die Lunae h. II — IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferantur leges, quae de bibliothecae academicae usu scriptae sunt. Gallicam, anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artes equitandi, pingendi, musicam et gymnasticam doceant.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hermannus Stannius, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Otto Krabbe,** Th. D.
Juris consultorum **Fridericus Raspe,** J. U. D.
Medicorum **Christianus Krauel,** M. D.
Philosophorum **Christianus Wilbrandt,** Ph. D.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLI/LII

A DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEMISSUM EST COMMENTATIONIS

DE FABULIS RETRACTATIS

SPECIMEN QUARTUM.

LITERIS ADLERIANIS.

Venio nunc ad minores correctiones (*διορθώσεις* appellantur,) quarum nullum hodie exemplum nobis arbitror relictum esse. Primum enim in fragmentis, quae simpliciter Aristophani tacito fabulae nomine tribuuntur, nihil quidquam invenio, quod cum ullo secundarum Nubium loco tanta similitudine connexum sit, ut duplex unius loci recensio agnosci possit [1]. Tum quod Reisigius variis superstitis fabulae lectionibus nonnunquam ita usus est, ut in eodem loco alteram ad secundas Nubes, ad primas alteram revocaret: jam olim [2] Reisigium ostendi de his locis sine dubio errasse omnemque illam lectionis varietatem ad secundas Nubes unice referendam esse. Omnino autem quod l. l. p. 173 dixi, etiamnunc teneo, tantum abesse, ut in variis secundarum Nubium scripturis quidquam de primis Nubibus servatum sit, ut in omnibus lectionibus non a poeta poetam, sed a scriptore librarios discernere debeas. Et illo quidem tempore etiam Sophoclis quidam editores in duabus unius versus lectionibus duas ipsius poetae recensiones cupidius quaerere coeperant. His igitur l. l. opposui, doctiores lectiones saepe graecis grammaticis deberi, poetarum autem curas secundas non tam in singulorum versiculorum particulis, quam in rebus majoribus versatas esse. Quod quidem ad primas Nubes pertinet, quae cito interierunt et a perpaucis tractatae sunt, ne in scholiis quidem nostrarum Nubium antiquissimis ullus versus primarum Nubium servatus est. Quo minus variam hujus fabulae lectionem sic interpretari licet, cujus major pars librariorum metricorumque stupori, minor grammaticis et iis plerumque non valde antiquis debetur. Quamobrem quod Reisigius Aristophanis diligentiam in tam minutis rebus occupatam voluit, ut particularum apices rimaretur et pro voculis *ἀλλ' οὐδέποτε* in nova editione *ἀλλ' οὐ μὰ Δία* scriberet, id in Alexandrino poeta fortasse concedi potest, de Atticorum principe credi non potest. Immo poetarum *διόρθωσις* i. e. sententiarum magis correctio quam sermonis plerumque vel plures versus vel certe totum videtur complexa esse, cujusmodi exemplum scholiasta ad Pluti v. 115 servavit. Eodem modo de ipsis Nubibus judicavit testis valde idoneus, hypothesis scriptor p. **110** B. *καθόλου μὲν οὖν σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος γεγενημένη διόρθωσις. τὰ μὲν γὰρ περιῄρηται, τὰ δὲ παραπέπλεκται, καὶ ἐν τῇ τάξει καὶ ἐν τῇ τῶν προσώπων διαλλαγῇ μετεσχημάτισται.* Quum neque v. *τῶν προσώπων* supplere (ut quidam fecit) per collocationem liceat, et scenarum ordo potius ad *διασκευὴν* spectet, verba per se ambigua *ἐν τῇ τάξει* ad versuum paucorum singularumque rerum ordinem refero, qui cum personarum vicibus apte conjungi

---

[1]) Certe ea fragmenta, quae Reisigius aliique primis Nubibus tribuerunt, nullo modo ad hanc fabulam referri posse in Quaesst. Aristoph. p. 177 — 180 demonstravi. Adde, quae l. l. p. 170 — 172 disputata sunt.

[2]) In eodem libro p. 175 sq.

potest. Nisi forte corrigendum est, — *παραπέπλεκται, τὰ δὲ καὶ ἐν τῇ τῶν προσώπων τάξει τε καὶ διαλλαγῇ μετεσχημάτισται.* Hic igitur singulis locis in quavis propemodum parte correctis *διόρθωσις* prope perfecta esse dicitur, non item *διασκευή* (*διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους,* ut idem modo dixerat). Primum enim in fabula, quae perpetuo cohaereret, unius scenae *διασκευὴ* plures in aliis scenis *διορθώσεις* trahere solebat. Tum *διόρθωσις* vel per se latius patet caditque etiam in eas scenas, quae sine ulla *διασκευῇ* ex prima editione integrae remanserunt. Velut in his quoque scenis multorum nomina civium mutanda erant, qui quum in prima editione notati essent, interim vel mortui erant, vel Athenis tum aberant vel nuper in amicitiam poetae pervenerant. Ita *διόρθωσις* in iis tantum scenis perfecta esse vix potuit, in quibus *διασκευή* inchoata tantum esset, necdum absoluta. Nam ut aliquando brevior locus ex parte retractatus et ad *διόρθωσιν* et fortassis etiam ad *διασκευήν* revocari possit, in universum tamen haec duo genera nihil habent ambigui rectissimeque antiquitus distincta sunt. Quae quum ita sint, ipse hypothesis scriptor et tres scenas retractatas esse testatur, et minores correctiones per totam prope fabulam diffusas: ut satis appareat, secundam editionem a prima magnopere diversam fuisse. Quod igitur idem paullo ante scripsit: *Τοῦτο ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ,* haud dubie sic intelligi voluit, tum eas fabulae partes, in quas neque *διασκευὴ* neque *διόρθωσις* caderet, integras tum eas, quae leviter tantum correctae, non item denuo recensitae essent, paene integras ex priore editione servatas esse atque adeo primas Nubes superstitis quoque comoediae fundum permansisse. [3]) Quum enim *διασκευήν* in tribus tantummodo scenis agnoscat, caeteroqui perfectam esse neget, sequitur majorem primarum

---

[3]) Hujus judicium scriptoris ipse poeta confirmat in Nub. v. 522, qui quum non de secunda sed de prima comoedia loquatur, tamen eam *ταύτην* appellat itaque utrasque Nubes in summa re unam atque eandem comoediam esse testatur. Quo loco apte usi sunt Rankius Vit. Aristoph. p. CDXXIV, C. F. Hermannus Lect. Marburg. aestate a. XXXVII p. VI et Beerius l. l. p. 123. Sed in nostris Nubibus, quae secundae dicuntur, primas secundasque Nubes mire confusas esse praeter nos jam alii statuerunt, primum hypothesis scriptor, quem ita sentire e tota ejus disputatione supra collegi, deinde Dobraeus ad v. 1216 p. 26 ed. Lips. (tametsi eximius criticus argumento utitur infirmo), tum C. F. Hermannus in censura l. l. p. 744, praeterea Beerius l. l. p. 119 (de quo loco certe fallitur.) Denique F. Osannus in Analect. rei scaen. p. 83 quum Athenaeum semel superstitis fabulae locum prioribus Nubibus tribuisse vidisset, utramque Nubium recensionem in codicibus confusam non recte suspicatus est. Si vere ostendi in pluribus *διασκευῆς* locis poetam utraque recensione nunc conjuncta secum pugnare, sequitur alteras Nubes minime ab ipso poeta sed post mortem demum Aristophanis ab aliis primum editas esse. Ita visum erat jam G. Hermanno Praefat. p. XXVII, quem in Quaestt. p. 191 sine ullo dubitationis scrupulo sequi debebam. Sed ne potuissent quidem secundae Nubes seorsim edi, nisi a primis multo ante editis valde differrent. Primus autem *διασκευῆς* editor commune fortassis ejusmodi editorum exemplum secutus scenas nondum perfectas e primis Nubibus assumsit, ut posteriores sine maxima offensione legi possent et aliquo tamen modo absolutae esse

Nubium partem in secunda editione leniter modo correctam resedisse. Pro fabula nova vel paene nova secundae Nubes tum demum habendae essent, si ab hypothesis scriptore *διασκευή*, non *διόρθωσις* dicta esset *καθόλου σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος γεγενῆσθαι*. Sed quum major pars primae editionis in secundam translata videatur, opera danda est, ut praeter eos locos, quos supra attuli, non minus certa argumentatione etiam alii secundarum loci cum primis Nubibus communicari possint: in quo genere probabilia multa concurrunt, quae quidem certa sint, perpauca relinquuntur. Primum Athenaeus secundarum Nubium versus quinquies ita protulit, ut eos Nubibus simpliciter daret: *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις* II p. 64 f (v. 339), III p. 94 f (v. 455), IX p. 374 c (v. 665 sq.), XI p. 467 b (v. 122), sive *τὸ ἐν Νεφέλαις* IX p. 387 a (v. 109). Hos igitur locos Schweighaeuser T. IX p. 56 *Νεφέλαις* adscribit *προτέραις*, quae ad nos, inquit, non pervenerunt, sed ex iis plurimi versus conservati sunt in *δευτέραις*, quae hodie supersunt. Rankius autem Vit. Aristoph. p. CCXC sq. Nubes simpliciter ab Athenaeo ideo nominatas conjecit, ut hos locos ad utramque editionem pertinuisse indicaret.[4]) At hi duumviri neque cogitarunt fieri vix posse, ut tot loci tamque diversi iisdem verbis in prima quoque editione exstiterint, quum *διόρθωσις* fabulam totam comprehenderet, neque primas Nubes nisi perraro antiquitus nominari, ut quae e Nubibus simpliciter allata sint, profecto ad secundas tum referri debeant, si etiamnunc in secundis Nubibus legantur. Postremo etiam alii scriptores secundarum versus simpliciter Nubibus tribuere solent, veluti Pollux IX, 136; X, 47; ib. § 113; ib. 156; ib. 168. Itaque hi quinque Athenaei loci ad primas Nubes

viderentur (cf. Quaestt. p. 190.) Si princeps editor unus ex Aristophanis filiis fuit sive Araros, sive Philippus, sive Philetaerus (qui omnes et ipsi comoedias scripserunt), videri poterunt alii editores tempore proximi sed minus eruditi errorem confusionemque adauxisse. Enimvero Beerius l. l. p. 127—131 secundas Nubes audacter conjicit non novae ludorum commissioni, sed tantummodo lectioni ab Aristophane destinatas fuisse, quem errorem G. Hermannus in censura l. l. p. 76 comprobasse videtur. At praeterquam quod Beerii rationes non modo refutatione sed ne mentione quidem dignae sunt, neuter horum duumvirorum ejus loci meminerat, quo contrarium probatur Nub. II v. 518 *ὦ θεώμενοι* —. Verissime igitur hypothesis scriptor Aristophanem censet Nubes suas omnino iterum docere voluisse (*διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι' ἥν ποτε αἰτίαν ποιήσαντος.*) Nimirum Beerius cum ipso Aristophane principem editorem male confudit, qui sane secundas Nubes tantopere illas partim ipsius editoris culpa confusas tantum legendi causa edere potuit.

4) Rankius p. CCLXXXIX non modo typothetae errorem „XI, 497 c" e Schweighaeuseri indice secure repetiit, verum etiam neque lecto hoc loco neque quaesito audacter scripsit, „maxime est memorabile haec omnia in nostra Nubium editione reperiri." At magis memorabile est, Athenaei locum XI p. 479 c reperiri atque eo ipso loco Rankii opinionem refutari. Ita Rankii argumentatio typothetae maxime nititur errore. Quid C. F. Hermannus, Rankii laudator, meus scilicet corrector? „Ingeniosissime rem a Rankio expeditam esse" narrat in iis, quae contra me scripsit p. VIII et jam ante in censura l. l. p. 731. Cf. Plutum v. 13.

minime pertinent. At idem scriptor XI p. 479 c mire affert „ἐκ Νεφελῶν Ἀριστοφάνους“ versum ad primas unice referendum: qua ipsa re Schweighaeuser in errorem quem modo dixi haud dubie inductus est. Fieri sane potest, ut ἐκ προτέρων Νεφελῶν sive ἐκ Νεφελῶν ά scripserit: sin minus, negligentia ista non tam ipsius Athenaei est, quam ejus, cujus verbis se uti ostendit, Nicandri. Enimvero difficilior Athenaei locus IV p. 171 c legitur, in quo lemma „Ἀριστοφάνης ἐν προτέραις Νεφέλαις“ secundarum Nubium versus 1196 — 1200 sequuntur. Hic quum suis verbis non alius grammatici uti Athenaeus videatur, ante omnia quaerendum est, an ipse Athenaeus primas Nubes possederit, de qua re olim dubitavi. [5]) Primas enim Nubes praeter Eratosthenem et hypothesis scriptorem perpauci acquisiverunt, (de ipso Eratosthene, qui Pacem alteram certe non ipse legit, dubitavi in Quaestt. p. 139) Callimachus quidem multique alii nunquam viderunt. Athenaeus autem, qui praeterea semel tantum (XI p. 479 c) aliquid e primis Nubibus attulit, tum certe primas non ipse evolvit, sed alieno se testimonio usum fatetur Nicandri. Nunc tamen omnibus rationibus iterum subductis probabilius esse puto Athenaeum primas Nubes ipsum vidisse. Etenim bis VII p. 299 b (v. 559) et VIII p. 345 f (v. 983) quaedam ut ἐν δευτέραις Νεφέλαις inventa expromit, quae non solum in nostris id est secundis etiamnunc exstant, verum etiam ut supra demonstratum est in primis Nubibus exstare eadem non poterant. Tam diligenter ambas Nubium editiones inter se comparare Athenaeo sine aliquo primarum exemplari vix licuit. Quumque fieri certe possit, ut hic locus jam in primis Nubibus exstiterit, non jam eum sequi ausim, qui „Ἀριστοφάνης ἐν δευτέραις Νεφέλαις“ scriptum oportuisse censuit. Brunckium dico, cui et ego ipse l. l. p. 141 et Bergkius in Meinekii Fragm. Com. V. II P. II p. 1107 et ut videtur G. Hermannus Praefat. p. XXIX eramus assensi. At nunc Schweighaeuser T. IX p. 56 mihi persuasit, nihil ne tum quidem Athenaeum errasse videri. Potuit enim, inquit, quum ista scriberet Athenaeus, Priores Νεφέλας ob oculos habere, nec vero simul recordari eosdem versus etiam in δευτέραις Νεφέλαις conservatos esse. Schweighaeuserum certatim secuti sunt A. Seidler apud me l. l. p. 141, Dindorfius Arist. Fr. p. 17, idem Rankius l. l. p. CCLXXXIX sq., idem C. F. Hermannus ll. ll. p. 731 et p. VIII, C. Beerius l. l. p. 121. Quodsi v. 1196 — 1200 jam in prima editione legebantur, colligi potest, summam ejus scenae, e qua media hi versus sumti sunt, h. e. versuum 1131 — 1213 etiam in prima editione inventam fuisse. Non dubito equidem, quin nonnulli hujus quoque scenae loci postea mutati sint atque correcti. Certe quum in primis Nubibus duo Oratores nondum ipsi in scenam prodissent, ne fieri quidem potuit, ut in eis jam legerentur duo versus

---

[5]) In Quaestt. p. 141.

1148 sq. eodem quo nunc modo scripti, *καί μοι τὸν υἱὸν, εἰ μεμάθηκε τὸν λόγον*] *ἐκεῖνον εἴφ', ὃν ἀρτίως εἰσήγαγες.* Attamen quae de formula *ἕνη καὶ νέα* v. 1131 — 1134, v. 1178 — 1200 et uno proximae scenae versu 1222 argute jocoseque disputantur, quum omnino in prima etiam fabula exstare debebant, tum ejusmodi sunt, ut in ea ne correctio quidem paullo major conveniat. Huic conjecturae minime adversatur hypothesis scriptor, qui longissimo loco eique toti a v. 1131 usque ad *τὸ τελευταῖον* (circiter v. 1453 sqq. vel adeo v. 1483 sqq.) correctionem tantum non item retractationem tribuerit. Sed quoniam conclusio nostra unico Athenaei loco et scripturae *προτέραις* defensione nititur totaque concidit, si *ἐν δευτέραις Νεφέλαις* scribatur: operae pretium est huic loco alium ejusdem generis addere et alterum alterius auxilio sustentare. Bastius igitur apud C. A. Boettigerum: Kleine Schriften archäol. und antiquar. Inhalts herausg. von Sillig Vol. III p. 197 ad Pseudoplatonis Axiochum (P. III V. III p. 510 B. sive T. XI p. 187 ed. Bip.) e codice Parisino hoc scholium edidit: „*Δὶς παῖδες οἱ γέροντες: ἐπὶ τῶν πρὸς τῷ γήρᾳ εὐηθεστέρων εἶναι δοκούντων.* (Hactenus etiam Ruhnkenius ad eundem locum et Bekker p. 465.) *Μέμνηται δὲ αὐτῆς Κρατῖνος ἐν Δηλιάσι λέγων· ἦν ἄρα ἀληθὴς ὁ λόγος, ὡς δὶς παῖς ἐστὶν ὁ γέρων. καὶ Πλάτων ἐν νόμων ά· οὐ μόνον ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὁ γέρων δὶς παῖς γίγνεται, ἀλλὰ καὶ ὁ μεθυσθείς. καὶ Μένανδρος Χήρᾳ καὶ Ἀριστοφάνης Νεφέλαις ά.*“ Cratini versum Bastius probante etiam Meinekio (Fragm. Com. p. 13 ed. II) bene ita correxit, „*ἦν ἄρ' ἀληθὴς ὁ λόγος, ὡς δὶς παῖς γέρων.*“ Platonis (De Legibus Lib. I) locus exstat P. III V. II p. 221 B. sive T. VIII p. 47 ed. Bip. et apud ipsum scriptorem *γίγνοιτ' ἂν* non ut in scholio *γίγνεται* legitur.[6]) Verum quod in codice Parisino est *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις ά,* id dubitari nequit, quin ad eum versum unice spectet, qui etiamnunc in secundis exstat v. 1417 *ἐγὼ δέ γ' ἀντείποιμ' ἂν ὡς δὶς παῖδες οἱ γέροντες.* Quem versum si scholiasta auctore cum prima Nubium editione communicaveris, non video equidem quid contra dici possit. Nempe scholii librarius tametsi suis oculis *Νεφέλας ά* nunquam

---

[6]) Eundem Platonis locum afferunt Stobaeus T. XIIX, 30 (I p. 366 Gaisf.), qui philosopho dat, Clemens Alex. Strom. VI p. 748, qui aperte scribit *ὁ φιλόσοφος Πλάτων* et Musurus ad Nubes v. 1417, qui quum ita scripsisset „*καὶ Πλάτων· ἄρ' ὡς ἔοικε δὶς γένοιτ' ἂν παῖς γέρων*“, senarii faber plurimos usque eo decepit, ut philosophi verba comico Platoni adscriberent. Ita decepti sunt Fischer philosophi editor ad Aeschinis Socrat. Dial. 3 p. 113, G. Hermannus ad schol. Nub. p. 378 ed. II, Blomfieldus Gloss. ad Agamemn. v. 74, Dindorfius Aristoph. T. IV p. 578 Ox., A. Meinekius Fragm. Com. Vol. II P. II p. 686, C. G. Cobetus De Platone comico p. 76. At verum olim viderat Valckenarius Schol. in Nov. Test. II p. 320, nuper viderunt Leutschius Paroemiographi Gr. p. 235, idem Meinekius l. l. Vol. IV p. 876, idem Cobetus l. l. p. 199 sq.

vidit, tamen rem antiquitus traditam cum fide propagasse videtur. [7]) Etenim scholia, in quibus versus orationis genere similes collecti fabularumque deperditarum fragmenta servata sunt (quales loci vel apud unum Athenaeum exstant sexcenti), talia igitur scholia a grammatico antiquo profecta sunt. [8]) Huic quoque conjecturae, qua v. **1417** e primis Nubibus derivatur, hypothesis scriptor favet, qui omnem illum locum a v. **1131** usque ad v. **1453** correctum esse ait, plane retractatum negat. [9]) Utrum recte neget an injuria definire non audeo: tametsi me fateor illis quidem in locis *διασκευὴν* nullam indagare potuisse gaudeboque, si eam hic alii investigaverint me acutiores. Attamen hunc scriptorem, qui videri potest nimium probare omittamus et ad scholiastae testimonium *Νεφέλαις ά* revertamur. Est autem versus **1417**, quem ille intelligi vult, e continua scena repetitus, quae de filio *πατραλοίᾳ* agit a v. **1321** — **1452**. Quodsi v. **1417** jam in primis Nubibus legebatur, probabile est hujus scenae summam ibidem exstitisse eamque scenam leviter modo correctam in secundas receptam esse. Quam opinionem alio praeterea indicio commendare licet. Nam in parabasi Vesparum v. **1037** sqq. de primis Nubibus haec scripta sunt: *φησίν τε μετ᾿ αὐτὸν | τοῖς ἠπιάλοις ἐπιχειρῆσαι πέρυσιν καὶ τοῖς πυρετοῖσιν, | οἳ τοὺς πατέρας τ᾿ ἦγχον νύκτωρ καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον* —. Hinc sequitur, multa in primis Nubibus de impietate filii parricidae dicta fuisse, id quod cum hac ipsa scena v. **1321** — **1452** egregie convenit. Neque vero obstat Antiatticista Bekk. p. 85, 28 *Βρῦ: ἐπὶ τοῦ πιεῖν. Ἀριστοφάνης Νεφέλαις δευτέραις* (scil. v. 1382, ubi *βρῦν* exstat), etiamsi hic versus non pro *διορθώσει* et additamento habeatur. Nam qui *Νεφέλαις ά* sive *β'* dicit, alteram editionem non necessario excludit; qui vero hac collocatione utitur *προτέραις*

---

[7]) Idem valet de codicis Veneti librario, qui in Nubium hypothesi T. IV p. 363 Ox. ita scripsit, *Διτταὶ δὲ φέρονται Νεφέλαι.*

[8]) Cum scholiasta Parisino non confundendus est alius grammaticus, qui ejusdem proverbii exempla et ipse collegit. Hujus grammatici locum servavit et Musurus ad Nubes v. 1417 et eundem emendatius scriptum Clemens Al. Strom. VI p. 748. Et Musurus quidem Platonis verba ipse interpolavit, caeteroqui Clementem exscripsisse videtur, sive quis alius praeter Clementem eadem dixerat. Clemens vero, qui in comoedia docte versatus erat, eum ipsum grammaticum, qui haec primum collegisset, exscribere potuit, Aristobulum hic quidem sequi non potuit, qui homo judice etiam Meinekio comoediam graecam nunquam videtur attigisse. Cobetus autem, qui in contrariam sententiam multa dixit (De Platone c. p. 68 — 79), notissima Valckenarii diatribe plane abusus est. Ceterum ab ipso Valckenario dissensit Lobeckius in Aglaophamo p. 448.

[9]) Si hypothesis scriptor prorsus recte judicavit, jam in primis Nubibus fuisse videtur ille quoque locus de Pasia et Amynia, qui nunc in prologo v. 21 — 31 legitur. Cum hac enim parte prologi prope necessario cohaerent v. 1214 — 1302. Ceterum in Phrynichi Epitome p. 391 Lob., quo in loco Nub. v. 30 affertur, pro vulgata *ἐν ταῖς Νεφέλαις* editio princeps *ἐν ταῖς δευτέραις Νεφέλαις* exhibet, quod haud dubie probarem, nisi in eodem Phrynichi loco *Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις* praeberet cod. Parisinus Bachmanni Anecd. II p. 398.

(sive δευτέραις) *N.*, is demum alteri alteram opponere videtur, uti recte scriptum est ab Athenaeo VII p. 299, b δευτέραις Νεφέλαις. [10]) Quod ad singulos versus attinet, v. 186 τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι (Ol. 88, 4) τοῖς Λακωνικοῖς jam in primis Nubibus (Ol. 89, 1) legebatur, ut supra conjeci, quum de simili loco v. 609 disputarem. Nam jocosa ista comparatio, quae sane ne a secunda quidem editione abhorrebat, in prima tamen novitatis gratiam majoresque habuerit aculeos. Tum Dindorfius ad Aristoph. Fragm. p. 18 e Photii lexico p. 398, 13 conjiciebat, versum 323

Σω. βλέπε νῦν δευρὶ πρὸς τὴν Πάρνηθ᾽· ἤδη γὰρ ὁρῶ κατιούσας
ἡσυχῇ αὐτάς

etiam in primis Nubibus exstitisse. Illud vix dubium est, quin versus 225 Σω. ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον cum prima editione communicari debeat. Nam initium hujus versus Σω. ἀεροβατῶ primae editioni diserte tribuitur a Platone in Apolog. c. 3 (P. I V. II p. 93 B.) τοιαῦτα γὰρ ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ, Σωκράτην τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν —. [11]) Sed quum ex hoc loco Platonem in oculos incurrat primas Nubes ipsum legisse, ut l. l. p. 139 observavi: nescimus tamen, an Plato et Xenophon etiam secundas legerint dubitamusque, quae illi simpliciter e Nubibus attulerint, utrum e primis an secundis allata videantur. Nos vero id teneamus, quod olim l. l. p. 191 dixi, quum hanc dubitationem primum movissem, fieri utique posse, ut hi scriptores utrasque Nubes versarint, adeoque quae per temporum rationes e secundis derivare liceat, primis Nubibus non temere attribuenda esse. Itaque demonstrari non potest, Nubium v. 362, quem in Convivio Plato spectavit, [12]) jam in prima editione lectum esse. Constat enim Platonis Symposium post Ol. 98, 3 scriptum esse, quonam anno utrumne Ol. 102, 1 an paullo ante scriptum sit non constat. Editum est certe mortuo demum Aristophane alterisque Nubibus jam editis. Quodsi Xenophon, ut olim creditus est, suum Symposium post Platonicum

---

[10]) Idem tamen VIII p. 345 f minus accurate scripsit ἐν Νεφέλαις δευτέραις, ut IV p. 171, c, ubi est ἐν προτέραις Νεφέλαις, propter hanc verborum collocationem δευτέραις substituere non audeam. Sed in nova plane fabula (ut ἐν Θεσμοφοριαζούσαις δευτέραις sive ἐν δευτέραις Θ.) ferri utrumque potest.

[11]) In Quaestt. p. 131 primum recte concessi ἀεροβατεῖν etiam in primis Nubibus locari potuisse, tum vero de Platonis fide frustra dubitavi inductus loco Xenoph. Oeconom. XI, 3 ubi Socrates, καὶ ταῦτα ὢν ἀνήρ, inquit, ὃς ἀδολεσχεῖν τε δοκῶ καὶ ἀερομετρεῖν —. At hoc referri potest sive ad eum locum, qui in Xen. Conviv. VI, 8 aperte respicitur, Nub. v. 144 — 152, ubi Socrates tam ἀερομετρεῖ quam γεωμετρεῖ, sive ad amissum locum Eupolidis (cf. Nub. v. 264), ut verisimile non sit, ἀερομετρεῖν verbum utique comoedia dignum ex primis Nubibus fluxisse.

[12]) P. 221, b. (P. II V. II p. 464 B) ἔπειτα ἔμοιγε ἐδόκει ὦ Ἀριστόφανες, τὸ σὸν δὴ τοῦτο, καὶ ἐκεῖ διαπορεύεσθαι ὥσπερ καὶ ἐνθάδε, βρενθυόμενος καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλων.

composuit, sic habendum erit, Xenophontem quoque ad secundas Nubes sive respexisse sive respicere potuisse: sin Boeckhium sequi placuerit, qui Xenophontem ante Platonem circiter extrema Olympiade XCVI id est vivo Aristophane suum scripsisse Convivium suspicatus est, contrarium sequetur, primas unice Nubes a Xenophonte spectari. Scilicet Nub. v. 145 *ἀνήρετ' ἄρτι Χαιρεφῶντα Σωκράτης | ψύλλαν ὁπόσους ἅλλοιτο τοὺς αὑτῆς πόδας* in Xen. Convivio VI, 8 respicitur, ubi Syracusanus: *Ταῦτα μὲν, ἔφη, ἔα· ἀλλ' εἰπέ μοι, πόσους ψύλλα πόδας ἐμοῦ* (*ὁμοῦ* cod. Parisinus) *ἀπέχει. ταῦτα γάρ σε φασὶ γεωμετρεῖν.* Plane nunc probo emendationem Jacobsii (Addit. ad Athen. p. 134) et Lobeckii (ad Phrynich. p. 332,) *πόσους ψύλλης πόδας ἐμοῦ ἀπέχεις.* Nam justo audacius l. l. p. 191 conjeceram, *πόσους ψύλλης πόδας ὁ παῖς* (vide ibid. II, 1) *ἐμοῦ ἀπέχει.*

Eupolideos versus sive minorem parabasin, quae in secunda demum editione accessit, Aristophanes reliqua fabula nondum perfecta scripsit, ut Nubium scenas particulatim correxisse videatur. Ita nunc chori neque novi sunt omnes, neque pristini adhibita correctione ita servati, ut correctio tamen ubique absoluta sit. Quoniam vero tum posterior pars parabasis tum aliud epirrhema v. 1115—1130 certe jam in prima editione exstiterunt, conjiciat aliquis, eodem modo omnes choros praeter minorem parabasin integros e primis Nubibus remansisse, praesertim quum et duo chori, qui in secundis addendi erant, desint necdum ab ipso poeta scripti sint stropha post v. 888 atque antistrophus post v. 1104, et chorici anapaesti alieno nunc loco positi v. 412—419 non perfectam retractationem arguere videantur. At primum neque epirrhemata, quae ne cohaerent quidem cum ipsius fabulae argumento, neque duo isti qui desunt chori utpote ad eam scenam spectantes, quam certo auctore constat retractari coeptam esse, ullo modo hanc vim habere possunt, ut ex iis de caeteris fabulae choris certi quidquam colligere liceat. Deinde in iis, qui exstant choris vix pauca quaedam vestigia deprehendere potui, e quibus choros eosdem jam in prima editione fuisse conjicerem. Hujus generis est in chori fine duorum versuum lacuna post v. 705: de qua si supra recte judicavi, sane sequetur et stropham v. 700—705 et antistrophum v. 805—812 in primis jam Nubibus ad verbum scriptas fuisse. Dubitanter alium locum addo, in quo Atheniensium religio ac pietas celebratur, v. 311

ἦρί τ' ἐπερχομένῳ Βρομία χάρις,
εὐκελάδων τε χορῶν ἐρεθίσματα
καὶ Μοῦσα βαρύβρομος αὐλῶν.

Ad quem locum scholiasta: *τὴν παροῦσαν ἑορτὴν λέγει, τουτέστι τὰ Διονύσια. ἀρχομένου γὰρ τοῦ ἦρος, ἄρχεται καὶ ἡ πανήγυρις.* Opinor autem ad rem praesentem allusum esse harumque maxime feriarum tot aliis omissis non alia de causa mentionem factam, quam quod primae Nubes his ipsis Dionysiis vernis Ol. 89, 1

datae atque commissae sunt. Ex quo rursus sequetur, et hanc antistrophum v. 299—313 et vero stropham v. 275—290 e prima in secundam editionem transisse. Attamen alteras Nubes item vernis Dionysiis poeta daturus erat, quippe qui de Lenaeis plane tacuerit in nova parabasi v. 518—562.[13]) Quum igitur verna Dionysia in alteras quoque Nubes convenire videantur: incertum est, utrum hic locus tam ille tum quoque commodus huc e primis transierit, an in secundis demum (quod minus probabile est) adjectus sit, quum in primis plane defuisset. Praeterea Aristophanis chorus fabulae implicatione ipse quoque implicatus est, et cavet plerumque ne quid intercinat, *quod non proposito conducat, et haereat apte.*[14]) Ita si quem chorum primae editioni assignaveris, scenam quoque proximam eidem editioni tribuas necesse est.[15]) Quare si paene omnes choros integros remansisse putares, verendum est, ne utraeque Nubes nimium inter se similes evaderent. Nam etsi in scena leviter correcta pristinus chorus fortasse retineri poterat, tamen si quae scenae retractatae essent, chorus etiam proximus retractari debebat. Adeo de singulis quibusdam choris diu ac multum dubitabitur, quum hypothesis scriptor scenas, in quas διασκευὴ cadit, non omnes complexus sit. Quum major pars primae editionis in secundam translata videatur, in universum crederes multos etiam choros servatos esse. Idem fortasse voluit hypothesis scriptor, cujus verba τοῦτο ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ non minus ad choros refero, quam ad diverbia. Idem singulas correctiones (σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος, inquit) etiam in choris agnoscere videtur. Novam esse minorem parabasin v. 518—562 satis clare dicit (ἡ παράβασις τοῦ χοροῦ ἤμειπται), tum etiam, si ejusdem verba ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τὸν ἄδικον λαλεῖ recte accepi, in secunda editione hos choros accessisse dicit, v. 934—938; v. 940; 949—960; 1024—1055. Caeteros autem choros omnes e prima editione correctos remansisse voluit, certe quidem ita disseruit, ut non aliter sensisse videatur.[16]) Denique si forte una et altera prioris editionis scena plane deleta est, per se intelligitur etiam chorum ejusdem scenae delendum fuisse.

---

[13]) Adde quae olim scripsi l. l. p. 182: „Nec dubito, quin magnis Dionysiis ut priorem fabulam, sic etiam posteriorem destinarit, *videlicet ut ignominiam coram peregrinis acceptam praesentibus peregrinis aboleret.*"

[14]) Hoc praeceptum Horatius A. P. v. 195 ab Aristotele sumpsit Poetic. c. 18 fin., qui primum Agathonis chorum aliena canere coepisse docet eodemque nomine Euripidem reprehendit. Et Euripides quidem id in posterioribus tragoediis saepe commisit, non item in antiquissimis. Tum etiam a mediae comoediae choro saepe aliena canebantur.

[15]) Velut in choro v. 1303 sqq. tum praegressa (v. 1214—1302) respiciuntur, tum praeparantur proxima (v. 1321—1452). Idem valet de stropha v. 1345 sqq. de antistr. v. 1391 sqq. et de plerisque aliis Nubium choris.

[16]) Pauca chori verba v. 708 et 716 secundae unice editioni supra tribui.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior, h. t. Decanus, dogmatum historiam h. VIII senis diebus privatim tradet. Publice 1) instaurationis sacrorum historiam dd. Lunae et Saturni h. III enarrabit, et 2) theologiam pastoralem, legum ecclesiasticarum Mecklenburgicarum ratione habita, binis p. h. diebus horis definiendis docebit. In Seminarii sodalitio catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., h. t. Rector, 1) publice binis dd. horis definiendis recentioris aevi historiam ecclesiasticam enarrabit; 2) privatim quinis dd. h. IX historiae ecclesiasticae partem primam tradet; 3) privatim senis dd. h. X theologiam dogmaticam docebit; 4) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderabitur.

D. M. Baumgarten, P. P. O., 1) privatim librum Jesajae interpretabitur quinquies h. XI — XII; 2) privatim epistolam ad Hebraeos enarrabit quinquies h. XII — I; 3) publice elementa syriaca et lectiones syriacas instituet horis binis; 4) exercitationes exegeticas moderari perget horis binis.

D. Julius Wiggers, P. P. E., 1) privatim evangelia Matthaei, Marci et Lucae interpretabitur senis p. h. dd. h. XII; 2) publice epistolam Pauli ad Galatas explicabit dd. Martis et Veneris h. IV; 3) publice de discrimine inter Pontificiorum et Protestantium ecclesias dogmatico aget binis dd. h. audituris commoda.

In ordine juridico.

D. Augustus Ludovicus Diemer, P. P. O., 1) quaternis dieb. h. II tradet encyclopaediam juris, ex compendio Falckii, ed. Jhering, 1851 et 2) totidem dieb. horis publice indicandis, jus privatum Megapolitanum docebit e schedis suis.

D. Fridericus Raspe, P. P. O., tradet principia juris criminalis communis et megapolitani, duce Hefftcr, sexies h. XI — XII et XII — I.

D. Burcard. Guilielmus Leist, P. P. O., h. t. Decanus, tradet 1) Pandectas sexies h. XI — I; 2) jus hereditarium quinquies h. IV — V.

D. Joh. Fridericus Budde, P. P. O., jus Germanicum privatum cum jure mercatorum, campsorum nautarumque docebit denis p. h. h. IX — XI.

Dr. Otto Mejer, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum ita docebit, ut theologis praesertim auditoribus accommodatum sit, septies per hebdom., et prioribus quidem quinis hebdomadis diebus h. II, die autem Jov. et Vener. etiam h. III; 2) ordinem publicorum judiciorum qui viget in Anglia et in Francia, respectu habito recentium legum criminalium, quae ad illius exemplar in Germania passim emanarunt, publice explicabit dieb. Lunae, Martis et Mercurii h. III.

D. Theophilus Henr. Fr. Gaedcke 1) processum judiciarium civilem quum communem tum Megapolitanum horis constituendis duce Martino docebit; 2) hora commoda scholam civilem eamque practicam moderabitur. Privatissime repetitoria et examinatoria commilitonibus offert.

D. Adolphus Schliemann 1) institutiones juris civilis tradet sexies per hebd.; 2) jus Megapolitanum privatim exponet quaternis per hebd. diebus; 3) privatissime relatorium instituet.

In ordine medico.

D. Henricus Spitta, P. P. O., tradet quatern. p. h. diebus 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem; 3) clinicen propaedeuticam binis p. h. diebus.

D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit quater p. h. 1) materiam medicam h. IV; 2) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam et 3) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie h. IX — XI moderabitur.

D. Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O., 1) in demonstrationibus anatomicis splanchnologiam, angiologiam et neurologiam h. II — III diebus Lunae, Martis et Jovis; 2) osteologiam, syndesmologiam et myologiam h. II — III diebus Mercurii et Veneris docebit; 3) in secandis cadaveribus auditores horis X — XII quotidie erudiet.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., h. t. Decanus, docebit 1) anatomen comparatam quotidie h. XII — I; 2) pathologiam generalem quaternis diebus h. IV — V.

D. Christianus Krauel, P. P. O., 1) tradet artem obstetriciam quater p. h. h. IV; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quotidie h. VIII moderari perget.

D. Jo. Frid. Guil. Lesenberg has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.

D. Johannes Schroeder tradet 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. Ludovicus Dragendorff lectiones offert 1) de arte obstetricia et de gravissimis gravidarum, puerperarum et recens natorum morbis; 2) de operationibus obstetriciis.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., publice 1) quaternis diebus h. III de poesi Graecorum scenica disseret; 2) quaternis diebus h. VIII Iliadis quartum proximosque libros interpretabitur; 3) binis diebus h. VIII Plauti Menaechmos vel Bacchides explicabit. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo selecta Pindari carmina et Catulli exponentur.

D. Johannes Roeper, P. P. O., h. t. Decanus, privatim docebit 1) Zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, quinis diebus h. XI; 2) de physiologia plantarum disseret diebus Lunae et Veneris h. III; 3) initia cryptogamologiae exponet publice diebus Martis et Jovis h. III; 4) plantas in agris et pascuis cultas explicabit, bis per hebd. privatissime.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., docebit 1) publice culturam sylvarum bis p. h. h. XII; 2) privatim agriculturam et rem pecuariam quinquies p. h. h. IX; 3) de praedio rite administrando totaque re rustica bene instituenda exponet quaternis diebus h. III.

D. Ludov. Bachmann, P. P. O., privatim 1) binis diebus Theocriti Idyllia interpretabitur; 2) quater per hebd. Plinii Secundi Epistolas explicabit; 3) privatissime quater per hebd. Topographiam veteris Italiae tractabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit 1) publice astronomiam popularem bis p. h. 2) privatim geometriam analyticam quater p. h.; 3) mineralogiam quater p. h. Privatissima proponit collegia de quavis matheseos vel physices parte, nec non de rebus nauticis.

D. Carolus Türk, P. P. O., publice 1) de constitutionibus, quae floruerunt in Hispania, Anglia et America septentrionali foederata disseret, bis p. h. h. II; 2) Taciti Germaniam commentabitur, bis p. h. h. II; privatim 3) historiam medii aevi docebit quinquies p. h. h. XI; 4) politicam, quam vidimus anno 1789 et 1848, ter p. h. h. XII.

D. Christianus Wilbrandt, P. P. O., privatim 1) historiam philosophiae senis diebus h. IX docebit; 2) historiam literarum Germanicarum quinis diebus h. X enarrabit; 3) exercitationes Seminarii philosophico-aesthetici moderabitur horis constituendis.

D. Carolus Hegel, P. P. O., 1) Germaniae historiam inde a reformatione ecclesiae publice tradet binis diebus h. III; 2) historiam artis politicae ternis diebus h. III et 3) historiam aevi recentissimi inde ab a. 1789 quinis diebus h. IV privatim tractabit.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., privatim lectiones habebit has: 1) de chemia organica diebus Martis, Mercurii et Jovis h. X—XII; 2) de metallis et salibus die Veneris h. X—XII; 3) exercitationes chemicas moderabitur quotidie h. II—VI; privatissime 4) technologiam, quae ad rem rusticam pertinet et rem stercorariam docebit, horis definiendis.

D. Fridericus Francke, P. P. E., publice 1) philosophiam Kantii et Friesii, et contra simul Hegelii philosophiam describet et dijudicabit quater p. h.; 2) historiae generis humani philosophiam explicabit quater p. h. Privatim 3) philosophiam religionis christianae illustrabit quinis et 4) doctrinam morum philosophicam praecipiet itidem quinis p. h. diebus.

D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim 1) binis diebus h. III Taciti Agricolam interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV Sophoclis Oedipum Coloneum explicabit; 3) quaternis diebus h. III de syntaxi linguae Graecae disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. Eduardus Schmidt, P. P. E., docebit 1) publice introductionem philosophicam in theologiam moralem et dogmaticam bis p. h. h. III; privatim 2) psychologiam quater p. h. h. IV; 3) philosophiam historiae maximeque novissimae quater p. h. h. V.

D. Carolus Weinholtz privatim docebit: 1) Quo modo animus excolatur, et quam vim habeat probe excultus ad illustrandas literas hominumque vitam; 2) quo modo cohaereant loqui, cogitare et sentire, sive de principio logico, euphonico et rhythmico, ratione potissimum habita linguae Germanicae.

D. Julius Robert 1) publice bis p. h. de clarissimis Gallorum scriptoribus disseret, qui saeculo nostro floruerunt; 2) privatim ter p. h. artis dramaticae in Gallia historiam ad nostra usque tempora persequetur; 3) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 4) publice quomodo lingua Gallica docenda sit ostendet.

D. Carolus Retslag docebit publice 1) philosophiam religionis ternis diebus; 2) historiam philosophiae recentioris inde a Cartesio ter per hebd.

D. Henricus Eggers docebit 1) publice elementa optices, bis p. h.; 2) privatim physicen theoreticam, quater p. h.; 3) privatim mechanicen analyticam, quater p. h. horis definiendis.

* * *

Bibliotheca h. XII — I quotidie, festo die et solis excepto, **Museum** autem die Lunae h. II — IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferantur leges, quae de bibliothecae academicae usu scriptae sunt. Gallicam, anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem pingendi, musicam et gymnasticam doceant.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Otto Krabbe, Th. D.

Praesidet ordini Theologorum **Gustavus Wiggers,** Th. D.
Juris consultorum **Guilielmus Leist,** J. U. D.
Medicorum **Hermannus Stannius,** M. D.
Philosophorum **Joannes Roeper,** Ph. et M. D.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLII

A DIE XV M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEMISSUM EST COMMENTATIONIS

DE FABULIS RETRACTATIS

SPECIMEN QUINTUM.

LITERIS ADLERIANIS.

Quum pleraque alia, tum etiam priorum Nubium fragmenta saepius explicationem habent ambiguam. Hinc olim in ejusmodi locis utramque interpretationem simul proposui, et eam, quae secundarum Nubium argumento dissimillima videretur (quam tum quidem necessario probare debebam.) et contrariam, quam ut nunc video utrarumque Nubium rationes postulant. Sed quum corrupta quaedam hujus generis fragmenta melius nunc quam olim emendasse videar: de his ipsis rebus iterum mihi vel invito dicendum erit. Initium faciam ab loco uno omnium difficillimo Diogenis Laertii II, 18 *Ἐδόκει δὲ (ὁ Σωκράτης) συμποιεῖν Εὐριπίδῃ. ὅθεν Μνησίλοχος οὕτω φησί·*

> *Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,*
> *ᾧ καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι.*

καὶ πάλιν·

> *Εὐριπίδης σωκρατογόμφους.*

καὶ Καλλίας Πεδήταις·

> *Ἤδη σὺ σεμνὴ καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα.*
> *ἔξεστι γάρ μοι· Σωκράτης γὰρ αἴτιος.*

Ἀριστοφάνης Νεφέλαις·

> *Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν*
> *τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.*

Primum Elmslejus ad Eurip. Bacch. p. 173 ed. Lips. optime correxit, *ὅθεν Τηλεκλείδης οὕτω φησί,* comparata Euripidis vita in cod. Ambrosiano, ubi haec leguntur: *Δοκεῖ δὲ αὐτῷ (τῷ Εὐριπίδῃ) καὶ Σωκράτης ὁ φιλόσοφος καὶ Μνησίλοχος συμπεποιηκέναι τινά, ὡς φησὶ Τηλεκλείδης· Μνησίλοχος δὲ ἐκεῖνος Φρυγικόν τι δρᾶμα καινὸν Εὐριπίδῃ καὶ Σωκράτης ὑποτίθησιν.* Frustra in his laboratum est a viro docto in Classical Journal t. 23 p. 402 et a Welckero in Mus. Rhen. (a. 1839) Supplem. II P. II p. 453—455. Restat Dindorfii emendatio in Aristoph. Fragm. p. 23 ed. I (T. II p. 512 ed. Ox.)

Μνησίλοχός ἐστ' ἐκεῖνος, ὅς φρύγει τι δρᾶμα καινὸν
Εὐριπίδῃ, καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν.

Haec multis certatim probata est, G. Hermanno censori in Diariis litt. Lips. a. 1829 fol. 204, mihimet ipsi l. l. p. 152, Meinekio Fragm. Com. II. I p. 372 ed. I (p. 135 ed II) aliisque. At etsi V. D. de metro recte judicavit, recte etiam verbum *φρύγειν* restituit: idem tamen neque *Φρυγικόν τι* recte emendavit et ipsam corrupit sententiam. Neque enim si Socratem trium poetarum auctoritate constat Euripidis adjutorem fuisse, propterea etiam Mnesilochus assiduo una scribebat: quae res nusquam ac ne in totis quidem Thesmophoriazusis memorata est. [1]) Immo Mnesilochus, qui secundum Dindorfii conjecturam genero fabulam totam scribebat, adjuvit ille quidem Euripidem, verum non ut artifex ac paene ipse poeta, sed ut operarius. Itaque res ipsa non id quod Dindorfio in mentem venit, sed contrarium postulat, *Σωκράτης φρύγει τι δρᾶμα καινὸν Εὐριπίδῃ καὶ Μνησίλοχος τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν.* Quae quum ita sint, ego quidem e vitae potissimum scriptore lenissime corrigo,

Ὁ Μνησίλοχος δ' ἐκεινοσὶ φρύγοντι (sive *φρύγουσι*) *δρᾶμα καινὸν*
Εὐριπίδῃ καὶ Σωκράτει τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν.

Ceterum ab initio inter alia non probanda *ὁ Μνησίλοχος δ' ἐκεινοσὶ* etiam Meinekius l. l. p. 372 proposuit. Teleclidis verba ex *Ἡσιόδοις* sumta esse Dindorfius conjecerat, in qua fabula alii tragici, Philocles et Nothippus castigati sunt. De qua conjectura sic l. l. p. 152 statueram: „ne illud quidem male Dindorfius." Postea Meinekius Hist. com. p. 88 quum eandem sententiam tulit, tum me quasi aliter judicassem reprehendit: „Quanquam ea non ita certa est conjectura, ut visa est Fritzschio Quaestt. Arist. I p. 152 —." Ibidem p. 156 Hermanno auctore contendi, quae apud Diogenem sunt scripturas licet mendosas minime tamen (ut Dindorfio placuerat) ipsius Diogenis culpae adsignandas esse, ac potius in fine servatam esse, quae metro consentanea est antiquam lectionem Diogenis ipsius, *τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν,* initium autem a librariis interpolatum esse, qui senarios fabricari solent, ut h. l. *Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου.* Nunc addo, verba *ὅθεν Τηλεκλείδης οὕτω φησίν· ὁ Μνησίλοχος δ' ἐκεινοσὶ* facile ob homoeoteleuton a librariis ita contrahi depravarique potuisse,

---

[1]) Recte id quidem vidit etiam Elmslejus, qui in vitae scriptore verba *καὶ Μνησίλοχος* minus recte deleri voluit. Ego mallem eximium virum ad verborum collocationem, quae non fortuita est, attendisse, *καὶ Σωκράτης ὁ φιλόσοφος καὶ Μνησίλοχος.*

ὅθεν Μνησίλοχος οὕτω φησὶ, deinde scribas, quum intra paucas lineas et Euripidis et Socratis nomina toties repetenda essent, in varios incidere errores debuisse, postremo ne fieri quidem potuisse, ut Diogenes vir metrorum peritissimus tetrametros iambicos cum trimetris ridicule confunderet. Magni autem hoc inprimis loco refert scire, utrum ipse Diogenes an librarii ejus peccaverint. Tria enim alia fragmenta restant eaque tum manifesto corrupta, tum ab uno servata Diogene. Quodsi in priore Teleclidis l. Diogenes ipse tam foede erravit, licebit critico etiam caeteris locis tractandis summa imis miscere: quorum nihil facere licebit et potius singulari prudentia opus erit, si librarii soli errasse reperientur. Exordiar a Calliae loco, in quo Menagius conjiciebat, ἤδη σὺ σεμνῇ, (sic) Toupius autem Opuscc. Crit. T. I p. 411 ed. Lips. (qui hoc certe animadvertit, sermonem hic esse de Euripide) ἤδη σεμνύνῃ (sic)—. Ambo debebant saltem, ἤδη σὺ σεμνοῖ —. Deinde Runkelius ad Cratinum p. 76 volebat, τί δὴ σὺ σεμνὴ — ; Abs quo sublevatus ad Aristoph. Fr. p. 21 Dindorfius conjecit τί δὴ σὺ σεμνοῖ — ; Quod olim l. l. p. 151 haud equidem improbavi, ut tamen verbum σεμνοῦσθαι jam tum removere studerem. [2]) Denique Meinekius Fragm. Com. V. II P. II p. 739 ed. I (p. 419 ed. II) Dindorfii conjecturam recipere non dubitavit. Hae correctiones Ambrosii versione omnes nituntur: „Jam tu te efferens magnifice de te sentis." At Euripides non certe, si odiosam vultus arrogantiam a Socrate mutuatus erat, idcirco ab eodem Socrate in tragoediis scribendis videri poterat adjutus esse. Nempe dormitavimus omnes, de solis literulis ἤδη σὺ σεμνὴ solliciti, de proximis, quae non minus corruptae sunt καὶ φρονεῖς et quod turpius est de ipsa sententia plane securi. Etenim hoc dicere Callias debet, τὸν Σωκράτη συμποιεῖν Εὐριπίδῃ. Adeo neque illud sensimus, hunc versum ad correctionem difficillimum esse, et ipsam lectionis varietatem mirifice negleximus. Nam etsi nihili est ἤδυ (sic), quod pro ἤδη editio habet Frobenii, tamen pro verbis καὶ φρονεῖς scriptura καταφρονεῖς in codd. Cantabrig. Lobcovic. et eadem edit. Frobenii unice probanda erat. Scripserat enim Callias, uti nunc existimo,

A. Τί δὴ σὺ σεμνῆς καταφρονεῖς οὕτω μέγα;
B. ἔξεστι γάρ μοι· Σωκράτης γὰρ αἴτιος.

Dii deaeque σεμνοὶ dicuntur. Interrogatus Euripides, cur venerandam deam nescio

---

[2]) Multa sane verba et in — ύνω et eadem in — όω exeunt, Attici tamen constanter dicunt σεμνύνεσθαι non σεμνοῦσθαι, quo Herodotus utitur. Cf. Matthiae ad Eurip. Helenam v. 866. Quam rem postea Dindorfius ipse intellexit. Nam in ed. Ox. p. 511 prioris editionis verba corrigendum σεμνοῖ deleta sunt et Runkelii conjectura tota adscita.

quam (in tragoedia, ut opinor) tantopere contemnat, hujus rei causam a Socrate repetit. Vulgus enim ut Socratem ita etiam in tragoediis Euripidem *ἄθεον* putabat, de quo plura dixi ad Thesmoph. v. 451 p. 166. Profecto autem Euripides, si impiam deorum contemtionem a Socrate didicit, non ille quidem in verbis tragicis, at in sententiis fingendis a Socrate adjutus est. Non dissimilis nostrae conjecturae versus est, quo uti miror Runkelium, Eurip. Hippol. 99. Tum opportune Dindorfius observat, in iisdem Calliae *Πεδήταις* etiam alios poetas tragicos, Acestorem et Melanthium notatos fuisse. Calliae loco a Diogene praemissum est alterum Teleclidae fragmentum, *καὶ πάλιν·*

Εὐριπίδης σωκρατογόμφους

ex eadem illud Teleclidae comoedia petitum, e qua fragmentum proximum superius *ὁ Μνησίλοχος — ὑποτίθησιν.* Conjectura Casauboni, Menagii et l. l. p. 173 Elmsleji, *Εὐριπίδης σωκρατόγομφος* (de qua Casaubonus ipse dubitat) eo corruit, quod omnia hujus generis adjectiva, Aeschyleum *πολύγομφος,* tum *εὔγομφος* et *δεῤῥιδόγομφος* vim habent passivam, ut illud — *γομφος* nihil aliud quam *γομφωτὸς* sive *γομφόδετος* sive *γομφοπαγὴς* significet. Recte igitur accusativus *σωκρατογόμφους* et a Meibomio defensus est, qui *στίχους* intelligebat et a Casaubono, qui Euripidis tragoedias ita dictas vult et postremo optime judicat, fortassis aliquid deesse atque desiderari. Aut vera aut proxima vero nostra emendatio videtur, *καὶ πάλιν·*

[*γνώμας*] *Εὐριπιδοσωκρατογόμφους,*

h. e. sententias Euripidei Socratis clavo compactas. Primum enim sic illud ipsum habemus, quod huic quoque loco inesse debet, *τὸν Σωκράτη συμποιοῦντα Εὐριπίδῃ,* habemus justum metrum, anapaesticum, sermonem denique comoediae proprium habemus. Saepissime enim comici e duobus nominibus unum faciunt eaque sic componunt, ut *Εὐριπιδοσωκράτης* Socratem Euripidi similem significet, quemadmodum Aristophanes Euripidis imitator a Cratino ap. schol. Platonis p. 330 B. *γνωμοδιώκτης εὐριπιδαριστοφανίζων* dicitur. Alia ejusdem generis exempla collegi apud Toeppelium De Eupolidis Adulatoribus p. 63. Denique *γνώμας* vel simile vocabulum eo facilius excidere potuit, quod librarii in his duobus Teleclidae locis plus errarunt, quam in proximis Calliae et Aristophanis. Quare fieri etiam illud potest, ut plura verba exciderint, sive ex mea emendatione metrum fuit anapaesticum, sive nominativo *Εὐριπίδης* servato iambicum. Ita ne hic quidem in ipsum Diogenem ulla cadit erroris suspicio. [3]) Calliae versus apud Diogenem frag-

---

[3]) Dindorfius l. l. p. 23: „Et qualia quaeso sunt, inquit, proxima illa *καὶ πάλιν· Εὐριπίδης*

mentum sequitur Aristophanis, Ἀριστοφάνης Νεφέλαις·

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.

Etiam hic locus eo consilio ab Diogene allatus est, ut Euripidem tragicum Socratis ope adjutum demonstraret: quod quum minime dictum sit, certe sequitur hoc quoque fragmentum non minus quam priora corruptum esse. Et Dindorfius quidem, ut et nostrum locum et alterum Teleclidis eadem opera sanaret, principio hoc fragmentum Aristophani ereptum in Telecliden transtulit, ac tum singulari atque inaudita audacia hoc modo scribi jussit,

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς σωκρατογόμφους οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.[4])

Frustra. Nam in comoedia Euripidi tam constanter loquacitas exprobratur, ut illud τὰς περιλαλούσας comico ipsi, non Diogenis interpolationi nescio cui tribuendum sit. Quod vitium ut evitaret, Hermannus in Praefat. p. XIX quamvis et ipse verisimile putasset Teleclidis esse hos versus non Aristophanis, tamen eos ita potius corrigi voluit, καὶ πάλιν·

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφάς,
τὰς σωκρατογόμφους.

Hermannum plane secutus est Meinekius Fragm. Com. V. II P. I p. 372 ed. I (cf. p. 135 ed. II.) Horum igitur triumvirorum auctoritate commoti etiam alii non Aristophani, sed Teleclidi hosce versus adsignarunt, Bergkius Fragm. Aristoph. p. 1106 (sive p. 300 ed. II) et Beerius l. l. p. 124, cujus verba haec sunt: „Diese Verse sind höchst wahrscheinlich dem Telekleides zuzuschreiben (s. Dindorf —; G. Hermann —; Meineke —; die Gegengründe Fritzsche's Qu. Arist. I, p. 154 ff. sind nicht von Bedeutung.") At recte l. l. p. 157 judicavi hoc fragmentum non Teleclidis esse, ad quem temeraria Dindorfii conjectura aberravit, sed ejus, cui communi omnium librorum consensu tribuitur, Aristophanis.[5]) Scilicet facta (sicut Dindorfius fecit) verbi

---

σωκρατογόμφους? Immo hic quoque immanis subest hallucinatio Diogenis, qui — extudit fragmentum absurdissime conformatum —." Declamare in quemvis licet, non solum in Diogenem, sed etiam in Dindorfium.

[4]) Inepte scribit p. 23 (sive p. 513 Ox.:) „Haec igitur sunt verba poetae, sive Teleclidis seu, quod minus probabile duco, Calliae —." Calliam ne nominare quidem debebat, sed tantum Telecliden, ad quem Diogenis verba καὶ πάλιν unice pertinent.

[5]) Mirabilis ista transpositio hoc minus ferenda est, quod quum in caeteris locis primo et tertio nulla vocula in alienum fragmentum irrepserit, hic duo fragmenta ne contigua quidem,

σωκρατογόμφους transpositione vel sic Aristophanis haberemus fragmentum,[6]) minime vero Teleclidis ea ipsa ratione, quam p. 157 declaravi: *καὶ πάλιν* (sc. *Τηλεκλείδης·*) *„Εὐριπίδης * * *.“ καὶ Καλλίας — αἴτιος.* [*καὶ*] *Ἀριστοφάνης — τὰς σοφὰς, τὰς σωκρατογόμφους.* Quin Aristophanis fragmentum tum quoque manebit, etiamsi non unam vocem *σωκρατογόμφους*, sed duo senarios totos transponere libuerit, sive hoc modo — *τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι“. καὶ πάλιν· „Εὐριπίδης * * *“* [*καὶ*] *Ἀριστοφάνης — τὰς σοφὰς, τὰς σωκρατογόμφους.“ καὶ Καλλίας — αἴτιος,* sive etiam ut p. 158 monui deleto *πάλιν* et *Εὐριπίδης* id est, *τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι“. καὶ Ἀριστοφάνης — τὰς σοφὰς, τὰς σωκρατογόμφους,“ καὶ Καλλίας — αἴτιος.* Quum igitur nulla sat probabili ratione effici possit, ut hi duo Aristophanis versus sive ad Telecliden sive ad Calliam transferantur: tum ipsa sententia (*ἐδόκει συμποιεῖν Εὐριπίδῃ*) prioribus Aristophanis Nubibus sine ulla causa eriperetur. Nam secundae Nubes et in Socratis persona totae versantur, et ibidem v. 1371 — 1378 Euripidis ea mentio fit, ut Socratici ejus poesin expetere dicantur. Quod si nunc recte aut alterum Teleclidae locum aut hunc Aristophanis aut utrumque correxi: tum vero haec duo fragmenta in unum confundi nullo modo possunt. Fac alteram correctionem esse inanem, fac utramque: illud tamen manebit, ultimum fragmentum verissime ad Aristophanis Nubes a Diogene relatum esse. Nam in his duobus locis ne cogitari quidem ulla conjectura potest, qua versus Aristophanis Aristophani surripere liceat. Sed quoniam unica Dindorfii opinatio vocem *σωκρατογόμφους* transponentis falso credita est hanc vim habere posse: demonstrabo ipsam conjecturam, quae justo audacior eoque falsa est, etiam alioqui vanam esse atque inanem. Nam neque Dindorfio auctore scribere licet, *τὰς σωκρατογόμφους οὗτός ἐστι τὰς σοφάς* (verba enim *τὰς περιλαλούσας* deleri nequeunt:) neque Hermanni correctionem sequi, *τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφὰς,* | *τὰς σωκρατογόμφους* (ipsae enim tragoediae hic certe *περιλαλοῦσαι* dici vix possunt).[7]) Jam vero in Aristophane pro *Εὐριπίδης δ'*

---

sed spatio disjuncta secundum et quartum transposita commiscerentur: quum quidem hic ne minimae quidem, nedum tantae transpositioni locus relictus sit. Nam Diogenes justo ordine servato prius Teleclidae fragmentum, deinde alterum ejusdem poetae, tum Calliae, denique Aristophanis protulit. Ipsa autem poetarum verba sunt illa quidem partim corrupta et in trimetro *Φρύγες — Εὐριπίδου* etiam interpolata, sed nequaquam isto modo, ut summa imis temere miscenda sint.

[6]) Quod G. Hermannus l. l. haud dissuasit, *καὶ πάλιν* (sc. *Τηλεκλείδης·*) *„Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς — τὰς σωκρατογόμφους“*, ita tantum non incredibile videretur, si lemma *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις* abesset, quod pro nihilo esse non potest.

[7]) In choris poetice ac lyrice tragoediae ipsae *περιλαλοῦσαι* dici possunt, non item in

Valckenarius in Diatribe p. 14 et Jacobsius in additamentis ad Sulzerum V p. 349 *Εὐριπίδου δ'* conjecerunt, *Εὐριπίδῃ δ'* alii apud Reisigium Praefat. ad Nubes p. XXI et Hermannum Praef. p. XVIII, e quibus solus Valckenarius isto modo etiam *τὰς περιλαλούσας* mutandum esse perspexit. Tum omnes hi conjectores illud neglexerunt, quod a Dindorfio p. 22 atque a me p. 152 eis objectum est, non integras tragoedias Euripidi Socratem solum composuisse. Vel sic tamen hae conjecturae *Εὐριπίδου δ'* vel *Εὐριπίδῃ δ'* haud procul a vero abesse videntur. Sic enim corrigo, [*καὶ*] *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις,*

Εὐριπίδου δ' ὁ ταῖς τραγῳδίαις ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφάς. [8])

„Hic (Socrates) is est, inquit, qui Euripidis tragoediis garrulas mulieres componit et philosophas." Ita in Thesmoph. v. 547 et in Ran. 1041 dici videmus *ποιεῖν Μελανίππας, Φαίδρας, Σθενεβοίας.* Tum alibi quoque Euripides hoc ipso nomine reprehenditur, quod mulieres adeo philosophantes fecerit, ut in eo l. quem ad Ranas v. 949 attuli, Origenis contra Celsum VII p. 356 Cant. *Εὐριπίδης δὲ ὑπὸ Ἀριστοφάνους κωμῳδεῖται ὡς ἀκαιροῤῥήμων, διὰ τὸ πολλάκις περιτεθεικέναι λόγους δογμάτων, ὧν ἀπὸ Ἀναξαγόρου ἢ τινος ἔμαθε τῶν σοφῶν, βαρβάροις γυναιξὶν ἢ οἰκέταις.* Constat tragoediam, cui nomen erat *Μελανίππη ἡ σοφή*, ab Euripide scriptam fuisse: Melanippe enim in hoc philosopharum numero insignem locum obtinet. Atque haec Melanippae Euripideae dogmata Dionysius Halic. ab Anaxagora ita derivat, ut tamen eadem partim diserte Socrati tribuerit Rhetor. VIII, 10 et iterum IX, 11. Hos igitur priorum Nubium versus in vicinia ejus loci posi-

---

diverbiis, in quibus id vix dicitur nisi de personis, ut *αἱ περιλαλοῦσαι γυναῖκες.* Hoc bene viderat Valckenarius in Diatribe p. 14, b quum hic *τὰς τραγῳδίας — τὰς περιλαλήτους* conjiceret, quem olim l. l. p. 159 falso reprehendi. Praeterea Dindorfius l. l. p. 23 tertii versus initium ab Hermanno constitutum *τὰς σωκρατογόμφους* miserum appellavit, quod ut misere dictum et regium p. 158 exagitavi (debebat certe languidum appellare). Quae quum ita sint, v. *σωκρατογόμφους* minime transponendum est, neque qui id fecit Dindorfius, aut sagaciter animadvertit, ut ait Hermannus, aut praeclare vidit, ut olim ego ipse p. 152, aut optime emendavit, ut Meinekius, sed plane nihil vidit et omnia potius perturbavit, fuitque etiam infelicior C. Reisigio, qui duo versus a Diogene e Nubibus (prioribus scilicet) allatos secundis Nubibus audacissime inseruit. Illud ridiculum est, quod p. 23 (p. 513 Ox.) Dindorfius contendit, lemma *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις* apud scriptorem, cui sua debeat Diogenes, ad longe aliam rem pertinuisse. Quod quum ego p. 155 clare refutassem, et Bergkius Fragm. p. 1106 et Beerius l. l. p. 125 non Dindorfio, sed mihi fidem habuerunt. Nam transpositione facta Nubium locus excidisset ille quidem, sed mentio ejus in lemmate ad eandem rem spectaret.

[8]) Apparet priore versu *Εὐριπίδῃ δ' ὁ τὰς τραγῳδικὰς ποιῶν* propterea scribi non posse, quod tum substantivum nomen *γυναῖκας* male deesset.

tos fuisse arbitror, quo nunc in secundis Socrates ipse monstratur, h. e. circa v. 218 (οὗτος), quum antea monstrati sint Socratici v. 98; v. 107; v. 187; v. 188; v. 191; v. 192. Dindorfii p. 22 error ab Hermanno Praefat. p. XVIII refutatus est. Jam librorum in Diogene scriptura etiam idcirco suspecta videtur, quod Euripidem, qui non est inter secundarum Nubium personas ne in primis quidem verisimile est ipsum in scenam prodisse.[9]) Quare totum hunc Diogenis l. nunc ita corrigo, Ἐδόκει δὲ (sc. ὁ Σωκράτης) συμποιεῖν Εὐριπίδῃ· ὅθεν Τηλεκλείδης οὕτω φησίν·

„Ὁ Μνησίλοχος δ' ἐκεινοσὶ φρύγουσι δρᾶμα καινὸν
Εὐριπίδῃ καὶ Σωκράτει τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι."

καὶ πάλιν·

„[γνώμας] εὐριπιδοσωκρατογόμφους."

καὶ Καλλίας Πεδήταις·

Α. „Τί δὴ σὺ σεμνὴ καταφρονεῖς οὕτω μέγα;
Β. ἔξεστι γάρ μοι· Σωκράτης γὰρ αἴτιος."

[καὶ] Ἀριστοφάνης Νεφέλαις·

„Εὐριπίδου δ' ὁ ταῖς τραγῳδίαις ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφάς."

Postremo Diogenis memoria tanto gravior esse debet, quod nusquam praeterea (si ab Euripideae vitae scriptore discesseris) relatum legi, Socratem cum Euripide tragoedias una scripsisse.[10]) Aliud fragmentum a Photio servatum est p. 398, 11 Πάρνης: τὸ ὄρος θηλυκῶς· „Ἐς τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν Λυκάβηττον" Ἀριστοφάνης Νεφέλαις καὶ ἑξῆς. Codex habet ἐστιν compendio scriptum, pro quo ἐς τὴν correxit Porsonus ad Ranas v. 1088, παρὰ τὴν Naekius Choeril. p. 54. Tum κατὰ τὸν Λυκαβηττόν est versus Lycabettum (in der Richtung), sicut apud Lucian. D. D. XX, 5 οὐχ ὁρᾷς βοίδια κατὰ τὸν ἐμὸν οὑτωσὶ δάκτυλον —; Ita Nubes Athenis trans Lycabettum in Parnethem abisse

[9]) Ita recte judicavit Reisigius Praefat. p. XXI, assentiente Dindorfio p. 22. Aliter statuendum esset, si utraeque Nubes fabulae plane diversae fuissent. Cf. etiam quae p. 153 diximus praeeunte Hermanno in Praefat. p. XVIII.

[10]) Comparare quodammodo licet Aristophanis de Euripide eum locum, qui est in Ranis v. 1491 χαρίεν οὖν μὴ Σωκράτει | παρακαθήμενον λαλεῖν κτλ. et Aeliani V. H. II, 13, ubi Socrates quotiescunque Euripides tragoedias doceret, toties ludos spectatum ivisse et Euripidem amasse dicitur δηλονότι διὰ τὴν σοφίαν αὐτοῦ. Minime vero huc pertinet obscurus versus Antiphanis ap. Athen. IV p. 134 c ὁ τὰ κεφάλαια συγγράφων Εὐριπίδῃ, uti a Meinekio Fragm. Com. Vol. III p. 59 sq. ostensum est.

dicuntur, ut ab Hermanno Praefat. p. XVI et a me l. l. p. 160 observatum est. Nam Dindorfii conjectura *καὶ τὸν Λυκαβηττὸν* sententiam evertit patetque isto modo saltem dicendum fuisse *ἐς τὸν Λυκαβηττὸν καὶ τὴν Πάρνηθα.* Perspicuum est enim et jam ab aliis monitum, de Nubibus haec dici atque illud *καὶ ἑξῆς* eo pertinere, ut Comicus paullo post iterum *Πάρνης* genere usurparit femineo.[11]) Et Dindorfius quidem[12]) verbis *καὶ ἑξῆς* superstitis fabulae v. 323

Σω. βλέπε νυν δευρὶ πρὸς τὴν Πάρνηθ'· ἤδη γὰρ ὁρῶ κατιούσας
ἡσυχῇ αὐτάς

spectari contendit. At primum nubes v. 323 quum procul de Parnethe descendant, longius Athenis absunt, quam in fragmento, ubi circa Lycabettum versantur, montem Athenis propiorem: ut fragmenti versus non ante v. 323 sed paullo post eundem h. e. ante v. 326 *παρὰ τὴν εἴσοδον* locari potuerit. Deinde nubes toto in loco minime iratae sunt (*ὀργισθεῖσαι,*) quippe quae v. 358 sq. et Strepsiadem et Socratem amice consalutent. Postremo, uti p. 159 monui, v. 323 nubes in conspectum prodeunt ac tum primum adventant; at in fragmento abierunt Athenis et e medio excesserunt. Sed Dindorfio scena illa primo ita instituta videbatur, ut nubes quum vix appropinquassent, rursum subita ira percitae in montes recederent: quod etiamsi concedas, tamen illud *καὶ ἑξῆς* ne sic quidem ad v. 323 referre licebit.[13]) Omninoque Dindorfii conjecturae, cui tota scena a v. 275 ad v. 326 repugnat, ita tantum locus esse poterit, si haec scena non leviter mutata, sed denuo recensita est. Qui recensitam voluerit, miram istam brevitatem speciose praetenderit, qua chorus intra tam paucos versus 323 — 326 a Parnethe in orchestram nunc deducitur. Non magis credibile est hunc anapaestum (ut ego p. 160 conjeceram) ex ultima totius fabulae scena decerptum esse. Chorus enim comicus tum usque ad finem remanere in orchestra solet, tum semper hilari animo abit, nunquam irato. Tum Beerius l. l. p. 126 quum Dindorfii conjecturam a me refutatam

---

[11]) Ita Eustathius p. 896, 55 allato ex Eurip. Medea versu 476 pergit *καὶ ἑξῆς,* qui Medeae v. 477 et 481 sq. intelligi vult.

[12]) Ad Aristoph. Fragm. p. 18 ed. I, sed in ed. Ox. p. 509 ipse ea de re dubitat. Hermannus Praef. p. XVI eodem fere loco, quo nunc v. 323 legitur, fragmentum reponit.

[13]) Si priora Photii verba *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις* ad v. 323 referre placuerit, non poterit glossa ista non misere corrupta esse. Primum enim quum in nostris quidem Nubibus semel tantum (v. 323) *ἡ Πάρνης* legatur, verba *καὶ ἑξῆς* transponi debebunt. Tum ipse anapaestus *Ἐς τὴν — Λυκαβηττόν* certe alii fabulae, fortassis etiam poetae alii tribuendus erit. Non placet tam praeceps audacia, minime praesertim necessaria. Nam si et *καὶ ἑξῆς* alio non ad v. 323 spectat, et anapaestus recte ab omnibus, ut Porsono, Naekio, Hermanno, ipso Dindorfio prioribus Nubibus datus est, nihil hac Photii glossa sanius esse sequetur.

vidisset, e parabasi hunc anapaestum voluit sumtum esse, neque cogitavit in parabasi non de choro, sed de ipso poeta sermonem institui. Nunc vereor, ne quae de veris nubibus dicta videantur, male a nobis omnibus ad chorum nubium relata sint. Nam apud comicum etiam in coelestes nubes ira cadit, sicut eaedem v. 583 Cleoni iratae sunt.[14]) Ac fortasse verae nubes Athenis iratae in Parnethem i. e. in Boeotiae fines abisse eo dicuntur, ut coelestes nubes quasi feminas deasve sensu praeditas esse et irasci posse appareat. Jam vero de coelestibus nubibus quasi feminis v. 340 — 355, moxque de iisdem quasi deabus v. 365 sqq. metro anapaestico disputatur. In altero loco ante novam recensionem fortasse positus erat hic priorum Nubium anapaestus, postea autem a poeta deletus est cum aliis quibusdam ejusdem argumenti versibus. Ad sententiam cum hoc anapaesto comparare licet Ovid. Metam. II, 226 „nubifer Apenninus“ et Livium XXII, 30 „eam nubem, quae sedere in jugis montium solita sit.“ Sequitur Athenaei locus XI p. 479, c *κοτυλίσκος δὲ καλεῖται ὁ ἱερὸς τοῦ Διονύσου κρατηρίσκος, καὶ οἷς χέονται οἱ μύσται, ὡς Νίκανδρός φησιν ὁ Θυατειρηνὸς, παρατιθέμενος τὸ ἐκ Νεφελῶν Ἀριστοφάνους· „Μηδὲ στέψω κοτυλίσκον.“ Σιμίας δὲ ἀποδίδωσι τὴν* (pro *τὴν* cod. Laurent. *πλὴν*, quod nihili est) *κοτύλην ἄλεισον.* Verbis *οἷς χέονται οἱ μύσται* pocula ea indicari, quibus ad libationem initiati utantur adeoque praeposteram esse Casauboni opinionem *χέονται* in *χρῶνται* mutantis l. l. p. 148 recte judicavi. Sed quia haec ipsa verba proxime praecedunt eisque Aristophanis versus testimonii loco statim subjectus est: ideo captus etiam pristina de utrisque Nubibus conjectura ad mysteria l. l. fragmentum referre malui itaque explicavi: „neque implevero poculum mysticum (pocula).“ At praeterquam quod pro *κοτυλίσκον* tum *κοτυλίσκους* scribendum esset, ut ipse l. l. demonstravi, *στέφειν* plerumque non i m p l e n d i vim habet, sed c o r o n a n d i. Quamobrem prior Nicandri explicatio unice amplectenda est, quam ipse p. 148 haud improbatam insuper Pollucis auctoritate VI, 99 stabilivi: *ἔστι δέ τι καὶ ὁ κότυλος Διονυσιακὸν ἔκπωμα, ὥσπερ καὶ ὁ κοτυλίσκος.* Itaque Aristophanes minutum craterem Baccho sacrum designat nec mystici quidquam sed hoc intelligi vult: „neque coronavero Bacchi poculum.“ Nam pocula et crateres coronari solebant. Vide Alexin l. l. paullo ante p. 472 a *κρατὴρ — ὃν — συνάψας καρπίμοις κισσοῦ κλάδοις ἔστεψα,* Xenophanem ibid. p. 462, d *πλεκτοὺς*

---

[14]) Frustra Naekius l. l. „Non valde, inquit, placet *ὀργισθεῖσαι*· sed nunc non suppetit, quod melius sit.“ Eodem errore ego ipse aliquando pro *ὀργισθεῖσαι* conjeci *ὁρμηθεῖσαι*, ut coelestes nubes ventorum vi in montes agitatae dicerentur.

δ' ἀμφιτιθεὶς στεφάνους (ταῖς κύλιξι,) tum Soph. Oed. C. v. 469, Theocrit. II, 2 et latinorum poetarum exempla, quae a Buttmanno Lexilog. I p. 98 sq. collecta sunt. De sede ac loco hujus quoque fragmenti dubitari potest. Nam quum in anapaestis Nub. v. 417 recens Socratis discipulus vino abstinere (οἴνου τ' ἀπέχει) jussus sit: videri poterunt Socratici cujusdam haec verba fuisse indigne ferentis id ipsum vel palam detrectantis. Attamen Strepsiades certe paullo post v. 420 sqq. ad omnia facienda se ostendit paratum. Metrum quidem, si tetrametri finis fuit, ne a parabasi quidem abhorret, ut olim p. 143 statui. Et e parabasi hoc fragmentum Dindorfius sumtum volebat: cui p. 151 in illo fabulae loco respondi non mysteria tractanda, sed alia omnia agenda fuisse.[15]) At poeta haudquaquam de mysteriis, sed de semet ipso victoriaque sua loqui potest hac sententia: „[indignum est, nisi vicero] neque Bacchi cratera coronavero" (scil. in epulis, quas victori poetae dare choragus solebat). Atqui hoc modo verba Μηδὲ στέψω κοτυλίσκον vel pro ipsius parabasis particula haberi poterunt, vel etiam pro fine τοῦ Πνίγους, quod et ipsum in nostris Nubibus deletum est. Nam Πνῖγος in hoc ipso fere argumento id est in victoriae spe versatur, veluti Vesp. 1051 sqq. et Pac. 765 sqq. Pergo ad schol. Venetum et Ald. ad Vesp. v. 1038 τοῖς ἠπιάλοις: ἠπίαλος τὸ πρὸ τοῦ πυρετοῦ κρύος. Ἀριστοφάνης Νεφέλαις καὶ Θεσμοφοριαζούσαις· „ἅμα δ' ἠπίαλος πυρετοῦ πρόδρομος." Et mox πέρυσιν: πέρυσι γὰρ τὰς Νεφέλας ἐδίδαξεν, ἐν αἷς τοὺς περὶ Σωκράτην ἐκωμῴδησεν. ἠπιάλους δὲ αὐτοὺς ὠνόμασεν, εἰς ὠχρότητα παρασκώπτων. Hoc fragmentum a plerisque neglectum meo monitu (ad Thesmoph. p. 621 et in Quaestt. p. 117) Meinekius Fragm. Com. p. 300 (ed. II) jure recepit. Itaque in prioribus Nubibus vocabulum ἠπίαλος positum erat. Scholiasta videri potest dixisse, ἠπιάλους δὲ αὐτοὺς ὀνομάζει (scil. in Vespis,) ut paullo ante scriptum est, ἠπιάλους δὲ τοὺς φιλοσόφους φησίν. Certe ὠνόμασεν, si servabitur, non minus quam caeteri aoristi ad priores Nubes referri debebit. Ita si ὠνόμασε retinebitur, ἠπίαλος in Nubibus non proprie dictum erat, sed translate de Socraticis, qui etiam in Vesp. 1038 ἠπίαλοι appellantur (τοῖς ἠπιάλοις ἐπιχειρῆσαι πέρυσιν καὶ τοῖς πυρετοῖσιν.) Licebat autem poetae et in Nubibus et postea in Vespis, quum praesertim priorem fabulam defendere studeret, una

---

[15]) Beerius p. 126 partim a me ipso deceptus, partim Dindorfium secutus secum ipse pugnat. „Die obigen Worte, inquit, standen wohl in der Parabase der ersten Wolken —. Er (der Dichter) redet von sich als einem in des Dionysos Mysterien Eingeweihten; und vielleicht standen die Worte in solchem Zusammenhange, daß er sagte, er wolle keinen Weihebecher mehr füllen, wenn sein Stück nicht des Preises würdig wäre."

eademque comparatione uti. Verisimile est igitur, ἠπίαλος in Nubibus non proprie sed metaphorice de Socraticis usurpatum fuisse. Ceterum male Didymus in Vespis τοῖς Ἠπιάλαις conjecit. Immo ἠπίαλοι Socratici ut pallidi vocantur morbisque confecti, cujusmodi praeter Chaerephonem (Nub. v. 504) etiam alii fuerunt Socratis familiares (ibid. v. 185 sqq.) Nisi Socratici potius ut noxii cives et pestis quaedam reipublicae vexati sunt.



INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior, h. t. Decanus, privatim 1) dogmatum historiam h. VIII senis diebus tradet, et 2) historiae ecclesiasticae partem primam h. IX quinis diebus enarrabit. Publice introductionem historicam in libros symbolicos ecclesiae Luthericae binis p. h. horis definiendis tradet. In Seminarii sodalitio catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., h. t. Rector, 1) privatim senis dd. h. IX alteram historiae ecclesiasticae partem enarrabit; 2) privatim quaternis dd. h. X symbolicam tradet; 3) publice dd. Veneris et Saturni h. X doctrinae christianae historiam enarrabit; 4) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O. designatus, 1) isagogen historico-criticam in N. Testamenti libros diebus quaternis horis definiendis privatim tradet; 2) epistolas D. Pauli ad Corinthios datas privatim explicabit quotidie horis definiendis.

D. M. Baumgarten, P. P. O., 1) privatim librum Jobi interpretabitur quinquies h. XI — XII; 2) privatim introductionem in libros V. T. canonicos tradet quinquies h. XII — I; 3) publice elementa linguae sanscritae docebit et tirones in interpretando Nalo exercebit horis binis; 4) publice exercitationes exegeticas moderari perget horis binis.

D. Julius Wiggers, P. P. E., 1) publice historiam ecclesiae Megapolitanae enarrabit dd. Mart. et Ven. h. IV; 2) publice epistolam Pauli ad Galatas explicabit dd. Lun. et Jovis h. IV; 3) privatim evangelia Matthaei, Marci et Lucae interpretabitur senis dd. h. audituris commoda.

In ordine juridico.

D. Augustus Ludovicus Diemer, P. P. O., 1) bin. dieb. (Lunae et Martis) h. X — XI tradet encyclopaediam juris, ex compendio

Nicolai Falcki ed. Jhering. 1851; 2) quaternis dieb. h. III—IV docebit jus publicum et privatum Megapolitanum ex schedis suis; 3) totid. dieb. hora deinde constituenda enarrabit historiam imperii et juris Germanici, secundum compendium C. F. Eichhorn.

D. Fridericus Raspe, P. P. O., tradet principia processus judiciarii civilis, duce Linde, quater h. X et sexies h. XI.

D. Burcard. Guilielmus Leist, P. P. O., h. t. Decanus, tradet 1) Institutiones juris Romani sexies h. XI; 2) historiam juris Romani sexies h. XII.

D. Joh. Fridericus Budde, P. P. O., tradet 1) historiam juris Germanici quinquies h. X; 2) jus publicum Germanicum quinquies h. IX; 3) jus feudale quater h. XII.

D. Otto Mejer, P. P. O., jus criminale commune et Megapolitanum docebit, juncta doctrina de ordine judiciorum, quinquies p. hebd. h. XI—I.

D. Georgius Guilielmus Wetzell, P. P. O., 1) jura in re trinis scholis h. IX publice tractabit; 2) pandectas, Puchta duce, ter h. IX et sexies h. X docebit, nec non 3) relatorium processuale binis scholis h. VIII diriget.

D. Theophilus Henr. Fr. Gaedcke 1) hora IV—V collegium quod vocant processuale practicum instituet; 2) hora commoda quater p. hebd. artis notarialis tum praecepta tradet, tum exercitia practica reget.

In ordine medico.

D. Henricus Spitta, P. P. O., tradet quatern. p. h. diebus 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem; 3) clinicen propaedeuticam binis p. h. diebus.

D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit quater p. h. 1) materiam medicam h. IV; 2) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam et 3) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie h. IX—XI moderabitur.

D. Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O., 1) h. VIII—IX in demonstrationibus anatomicis osteologiam, syndesmologiam et myologiam quater per hebdomadem tradet; 2) h. III—IV artem operationum ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam docebit.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., h. t. Decanus, 1) docebit Histiologiam quaternis per hebdomadem horis; 2) moderabitur Exercitationes physiologicas practicas quotidie hor. XI—I.

D. Christianus Krauel, P. P. O., 1) tradet artem obstetriciam quater p. h. h. IV; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quotidie h. VIII moderari perget.

D. Jo. Frid. Guil. Lesenberg has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.

D. Johannes Schroeder tradet 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. Ludovicus Dragendorff offert lectiones 1) de arte obstetricia; 2) de operationibus obstetriciis.

D. Augustus Kortüm privatim lectiones offert de pathologia et therapia speciali, quater per hebd. horis commodis.

D. Augustus Strempel offert 1) publice binis diebus artem formulas medicas rite concinnandi; 2) privatim quaternis diebus pathologiam et therapiam morborum pectoris cum exercitationibus practicis in auscultatione et percussione conjunctam; 3) privatissime examinatoria et repetitoria de anatome et physiologia.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., publice 1) quaternis diebus h. III de arte rhetorica, duce inprimis Aristotele disseret; 2) ternis diebus h. VIII Theocriti Idyllia selecta interpretabitur; 3) ternis diebus h. VIII Ciceronis in L. Catilinam orationes explicabit. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Sophoclis Oedipus Rex, Lucretii De Rerum Natura Lib. I[us] atque Horatii Libri Odarum exponentur.

D. Johannes Roeper, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni, h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam senis diebus h. VII; 3) de herbis in pratis et sylvis nascentibus disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., 1) privatim agros metiendi, formasque delineandi doctrinam, adjunctis exercitationibus practicis in agris et hortis praedii cui nomen est Warnoranda instituendis, sexies p. h. tradet hora III; 2) culturam plantarum agrestium, demonstrationibus ibidem illustrandam, quater p. h. docebit h. XI.

D. Ludov. Bachmann, P. P. O., privatim 1) quater per hebdom. Apollonii Rhodii Argonautica interpretabitur; 2) bis per hebdom. Ciceronis epistolas ad Atticum explicabit; 3) privatissime quater per hebd. selecta capita Mythologiae graecae tractabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit 1) publice trigonometriam bis p. h.; 2) privatim calculum differentialem quater p. h., geologiam quater p. h., physicen experimentalem una cum collega amicissimo Schulze horis definiendis. Privatissima denique proponit collegia de qualibet matheseos vel physices parte nec non de rebus nauticis.

D. Carolus Türk, P. P. O., publice 1) de constitutionibus, quae floruerunt in Hispania, Anglia et America septentrionali foederata disseret, bis p. h. h. II; 2) Taciti Germaniam commentabitur, bis p. h. h. II; privatim 3) historiam populi Germanici docebit quinquies p. h. h. XI; 4) historiam legum Germanicarum, ter p. h. h. XII.

D. Christianus Wilbrandt, P. P. O., privatim 1) historiam literarum Germanicarum enarrabit quinis diebus h. IX; 2) aestheticam sive philosophiam artis docebit quinis diebus h. X; 3) exercitationes Seminarii philosophico-aesthetici moderabitur.

D. Carolus Hegel, P. P. O., 1) publice historiam Megapolitanam inde ab a. 1621 bis per hebd.; 2) privatim historiam medii aevi quater et 3) historiam institutionesque reipublicae Anglicae quater p. h. horis constituendis docebit.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., docebit privatim: 1) Chemiam experimentalem, diebus Martis, Mercurii et Veneris h. X — XII; 2) una cum amicissimo coll. Karsten Physicam experimentalem, horis definiendis; 3) Chemiam analyticam docebit et exercitationes chemicas moderabitur, diebus Jovis et Saturni h. VIII — XII. Privatissime: Agronomiam et rem stercorariam tradet horis definiendis.

D. Fridericus Francke, P. P. E., publice 1) philosophiam Kantii et Friesii describet et dijudicabit quaternis diebus h. X; 2) anthropologiam psychicam s. psychologiam praecipiet, quaternis diebus

h. XI. Privatim 3) logicam quinquies h. III; et 4) metaphysicam quinquies h. IV docebit.

D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III Taciti Annales interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV antiquitates Romanas illustrabit; 3) binis diebus h. III de syntaxi linguae Graecae disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. Eduardus Schmidt, P. P. E., docebit 1) publice introductionem philosophicam in theologiam dogmaticam bis p. h. h. III; 2) privatim encyclopaediam disciplinarum philosophicarum praemissa introductione universali in philosophiam, quinquies p. h. h. IV; 3) privatim historiam philosophiae universalem, quinquies p. h. h. V.

D. Carolus Weinholtz privatim 1) Introductionem in philosophiam ex conspectu suo tradet; 2) Anthropologiam psychicam ex systemate suo docebit, et 3) de principiis philosophorum, tam veterum quam recentiorum, historice et critice disseret.

D. Julius Robert privatim 1) quaternis diebus de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) ternis diebus literarum Gallicarum historiam universalem tradet. Publice 3) binis diebus qualis hoc decennio earundem literarum status fuerit, explicabit et 4) itidem binis diebus exercitationes eis profuturas moderabitur, qui linguae Gallicae magistri et ipsi aliquando futuri sint.

* * *

Bibliotheca patebit quaternis diebus h. XII — I, festo die et solis excepto, tum quovis Mercurii et Saturni die extra ferias h. XI — I, feriarum tempore tantummodo h. XII — I; **Museum** autem die Lunae h. II — IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferendae sunt leges, quae de bibliothecae academicae usu scriptae sunt. Anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem pingendi, musicam et gymnasticam doceant.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Otto Krabbe, Th. D.

Praesidet ordini Theologorum **Gustavus Wiggers,** Th. D.
Juris consultorum **Guilielmus Leist,** J. U. D.
Medicorum **Hermannus Stannius,** M. D.
Philosophorum **Joannes Roeper,** Ph. et M. D.

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLX

A DIE XVI M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE HYPERIDIS

LAUDATIONE FUNEBRI

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEFATUS EST.

LITERIS ADLERIANIS.

Pindarum, vatem Thebanum, ad extremam senectutem sanctissime vixisse accepimus, ita ut illud multarum virtutum exemplum Vobis quoque, Commilitones, proponere ad imitandum liceat. Hic igitur poeta quum cives suos bene audire cuperet, novas tamen res moliri eos noluit, veritus opinor, ne plus invidiae turbulenta civitas subiret, quam tranquilla. Immo quum ipse in vita humana divina studia unice coluit (nam divino quodam spiritu afflatum, si quem alium poetam, cecinisse videmus Pindarum), tum etiam civibus suis literarum studium commendavit, sperans hoc maxime modo antiquum patriae suae opprobrium deletum iri. Ac Pindari quidem sublimem musam commendare vix audeas, audeas Horatium; nec si cothurni minus apti videbuntur, ideo etiam socci ad pedem erunt inhabiles. Comoedia enim Plautina et Terentiana non stomachum movet sed risum, quem perdere est et operam et oleum perdere. Quo magis nobis omnibus cavendum erit, ne vel hoc tempore risum penitus perdidisse videamur. Verum de poetis veteribus et scripsimus multa saepe et postea scribemus; nunc ad eum, qui poetae finitimus et in multis ornandi generibus paene par est, ad oratorem veniamus.

Paucis abhinc annis an mensibus laudationis funebris ab Hyperide habitae maxima pars in volumine papyraceo circa Thebas Aegyptias ab H. Stobarto inventa et museo Britannico illata est. Cujus equidem orationis quatuor editionibus usus sum, principe C. Babingtoni (Cantabrigiae a. 1858), ed. Lugdunensi C. G. Cobeti, ed. L. Kayseri (in Jahnii Annal. philol. Vol. LXXVII Fasc. 6 p. 369 sqq.), postremo H. Sauppii editione (in Leutschii nostri Philologo a. 1859 Supplem. Vol. I Fasc. 1 p. 5 sqq.). Erat autem haec papyrus, quum in Babingtoni manus perveniret, in multas dilapsa lacinias, haud dissimiles illas tribus fragmentis orationis pro Lycophrone p. 21 sq. ed. Caesaris. Quodsi quis ipsius Babingtoni (Introduct. p. IX sq.) enarrationem attente legerit: a Babingtono et magno acumine nec sine labore quodam continuam orationem ex istis pannis feliciter restitutam esse judicabit. De qua re non Kaysero (l. l. p. 369 sq.) potius, quam Sauppio (l. l. p. 6 sq.) adsentior, qui hanc Babingtoni operam minime levem fuisse ostendit laudata editoris principis perspicacitate. Jam ipsa papyrus Babingtono (Introd. p. X) et Sauppio (l. l. p. 7) initio secundi post Christum n. saeculi vel adeo circa finem primi, Cobeto autem (l. l. p. 1 et p. 16 atque p. 26) ante XVI saecula i. e. tertio demum saeculo post Ch. n. videtur conscripta esse. Quodsi e mendorum frequentia, quibus haec papyrus et plurimis et saepe maximis referta est, tempora metiri licet, Cobetum ego potissimum sequor auctorem. Sed ex hac vitiorum multitudine, quibus tam antiqua papyrus obsita est, mirus ad philologos, juvenes praesertim redundare fructus poterit. Tandem enim incipient criticorum principum conjecturas pervestigare, desinent aliquando primum quodque suae editionis vitium audacter defendere, discent pro vulgata eaque saepe

falsa antiquam ubique lectionem quaerere, quaesitam explorare, exploratam si certum fuerit mendum nunc leni nunc liberiore manu persanare. Quae libertas ne in licentiam vertat, alia ejusdem Hyperidis papyro cautum est, ex qua jam a. 1853 orationes pro Euxenippo et pro Lycophrone ab eodem Babingtono primum editae sunt. Hunc enim codicem, cujus aetatem accuratius definire vix ausim, epitaphii tamen codice et antiquiorem et a vitiis multo puriorem esse facile apparet. Vellem igitur editores codicis sui virtutem eo temperamento agnoscerent, quo in Plauto F. Ritschlius Ambrosiani sui veras scripturas tueri solet, malas sine ulla dubitatione abjicere.

At vero de hoc duarum, quas dixi, orationum codice a plerisque criticis, quibus Caesar Praef. p. V adsensus est, minus recte judicari video. Hi ita censent, codicem optime esse scriptum, raro erroribus deformatum, pauca habere menda, quae non in ipso libro ab altera manu correcta sint, exceptis denique in quibus papyrus laesa sit, nonnulla tantum vitia relicta esse orthographici fere generis et quae orta sint e syllaba vel male iterata vel ob eandem formam omissa. Quibus omnibus unus in Mnemosyne II p. 310 sqq. Cobetus sese opposuit oratione pro Euxenippo eo consilio paucis recognita, ut multa primae quoque manus menda restare fides fieret. Huic caeteri, velut Caesar Praef. p. IV ita respondent, partim ut nota pro novis afferri mirentur et sic exclament: *τουτὶ μὲν ᾔδειν, πρὶν Κόβητον γεγονέναι,* partim ut „atticismum Cobetianum“ naviter irrideant. Sane jam prius constitit, Aristophanem et Platonem aoristo *ἐκλίνην* usos esse, non priore eoque Homerico (ut Odyss. σ', 213) *ἐκλίθην,* ad quem attici paullo post Xenophontem redisse videntur. At Cobetus (l. l. et in N. L. p. 340, p. 602 et p. 778) centenis locis temere mutatis et in Hyperide pro Euxen. p. 7 et p. 9 ed. Caes. contra papyrum *ἐγκατακλινῆναι* atque *κατακλινέντα* conjecit et Platonicam formam Luciano Plutarchoque inepte obtrusit. Neque ideo tamen „atticismum Cobetianum“ ne in Hyperide quidem prorsus contemno, sed Pro Euxen. p. 13 formam *καθέστακα* Hyperide indignam esse tum Cobeto l. l. tum Meinekio (Philologi V. XIV F. 1 p. 32) adsentior. Verum etsi Cobetum ipsum commisisse puto, ut ei primae manus vitia monstranti nemo accredere posset (pleraeque enim hujus critici de orationis illius locis conjecturae aut leves sunt aut vanae et inanes:) alia tamen eaque aperta primae manus menda adhuc latuisse miror, quae satis multa etiam orationibus pro Euxenippo et pro Lycophrone inesse reperta interim epitaphii papyrus argumento est. Quamobrem ut dicam quod res est, praeterquam quod supplementorum haud exigua pars probari nequit, ne de primae quidem manus fide illarum orationum pertractatio critica finita est, sed vere incipit, ideo quod nunc demum alteram papyrum ad alterius normam dirigere licet. Etenim ad epitaphii papyrum recte emendandam nobili interdum R. Bentleji audacia opus est, ad caeteras autem orationes corrigendas cautione atque prudentia R. Porsoni. Quaeritur, utrum codices vetusti, ex quibus caeteri scriptores tanquam ex fonte manarunt, epitaphii papyro similes fuerint, an orationis pro Euxenippo. De qua re sic habendum est, non modo aliam aliorum scriptorum, verum etiam in uno scriptore aliorum librorum aliam esse rationem. In universum tamen ita sentio, plerosque hujusmodi codices cum epitaphii papyro conferri debere, ita ut plerique scriptores

prosaici aliquanto magis corrupti sint, quam vulgo existimantur. Nam si ipsi partim poetae, in quibus metra vulgaria longius a vero scribam aberrare vetabant, tam foede et crudeliter habiti sunt, quam multis in fabulis Aeschylus vel in plerisque Plautus: quid tandem pedestribus scriptoribus accidisse putabimus, in quibus effrenata librariorum libido nullo plane vinculo coercebatur? Quod ad Lucianum attinet, ante hos triginta annos hunc certe scriptorem demonstrasse videor in plurimis dialogis turpissime depravatum esse. Posuit hoc idem Cobetus in „Variarum Lectionum" volumine. Simulavit autem se id quod a me didicit, ipsum solum vidisse jurabitque fortassis, jam in utero sese, priusquam ipse nasceretur, Luciani dialogos pro mendosissimis habuisse. Est mihi tanti, dummodo veritas magis magisque eluceat. Omnino philologos, qui Lucianum ab me mox editum iri putant, jam nunc monitos volo, ne inutilem virorum doctorum insectationem a nobis exspectent. Quanquam Cobetus aliorum studia Lucianea mire primum eo retardavit, quod de Venetorum quos ipse excussit codicum scripturis perpaucas edidit, reliquas autem retinuit, tum quod saepe ita locutus est, ut plane nescias utrum codicem sequatur anne conjecturam. Atqui longe aliter de conjectura judicamus, aliter de codicis lectione àntiqui. Veruntamen non eodem animo viri esse solemus, quo fuimus adolescentes. Hi enim contentionis saepe cupidiores sunt, quam veritatis, suis viribus mire confidunt, cum summo quoque viro de principatu audacter decertant, parem denique ferre possunt neminem. Quodsi alium in suo scriptore criticum et eum hominem acutum atque litigiosum competitorem nacti fuerint, tum vero talis adversarius quasi ignis incendio accedit. Ita ego quoque si juvenis essem, cum C. G. Cobeto, qui nuper alios Luciani locos feliciter correxit, alios valde depravavit, acerrime contenderem. At nunc, ut virum decet ad lenitatem propensum et erga omnes ferme, aequos iniquos, aequissimum, de Luciano meo Batavum T. Hemsterhusi aemulatorem perbene mereri facile patior neque de Cobeti laudibus quidquam detractum volo. Illud unum reprehendo, quod Cobetus omnes fere Germaniae philologos, inprimisque criticos nostros Cobeto majores tanta acerbitate objurgare consuevit. Attamen ut olim Catonem minorem, ita profecto etiam Cobetum „nunc et animi quodam impetu concitatum, et vi naturae atque ingenii elatum, et recentibus grammaticae studiis flagrantem jam usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit."

Sed unde huc digressa est, ad Hyperidis *Ἐπιτάφιον* oratio redeat. In scriptore recens invento illud ante omnia cognoscendum est, quanta principis editoris fides esse videatur. Praeterquam enim quod Simonides quidam nuper Punica fraude usus Uranii eum qui nullus unquam fuit codicem impudenter ementitus est: magna horum editorum pars codicem suum quamvis antiquum graeca fide cauponari malunt quam ex fide bona totum conferre. Veluti Minoides Menas Philostrati de arte gymnastica codicem pessime legit atque adeo plurima sua ipsius manu inseruit, id quod ab Darembergio in hujus libelli editione (Parisiis, 1858) luculente demonstratum est. Idem Minoides Menas antea Babrii poetae codicem, in quo fabulae insunt Aesopeae, non melius profecto (ne dicam pejus etiam turpiusque) compararat: quam fraudem quamvis a Boissonadio editore principe monstratam (in Praemonitione p. VIII init.) tamen neque C. Lachmannus neque amici ejus odorati sunt, primus vero animadvertit Cobetus

Ad Orat. de arte interpretandi p. 153 sqq., quem virum de hac re unum recte judicasse nunc eos quoque qui graece nesciunt, Philostrati libellus ab eodem Minoide Mena tam male acceptus docere poterit. Verum ut M. Menas in reprehensionem meritam incurrere coepit, ita C. Babingtonus, de cujus viri fide nulla dubitatio esse potest, eximia laude prosequendus est. Etenim Babingtonus ipsam prope epitaphii papyrum eamque totam, id est exemplum hujus papyri arte lithographica diligentissime expressum in lucem edidit nosque docuit papyrum ipsam, quippe quae nunc museo Britannico contineatur, inspiciundi copiam judicibus idoneis factam esse. Quid quod paullo post apud ipsum Babingtonum Goodwinus papyrum jam denuo inspexit, cujus viri tam levis dissensio est, ut ipsa quoque singularem Babingtoni fidem corroboraverit. Nam quod Cobetus in adnotatione ad Epitaphium passim fore sperat, ut codice iterum excusso aliud quiddam ex eo prodeat: id tametsi non prorsus falso dictum est, minime tamen ulla Babingtoni culpa accidit, sed ipsius vitio papyri. Velut in locis laceris, quibus saepe litera non integra sed tantum pars ejus servata est, Babingtonus literam certam certo exprimit ut per π *Π* papyri, incertam ut (π) semicirculis circumdat. At fieri vix potuit, quin princeps editor coeptam modo ejusmodi literam saepe falso interpretaretur, cujus generis plura exempla vel una Col. XII[ma] nobis exhibet. Vel versu secundo Babingtonus sibi legere visus est *ΡΑΤΟΙΣΓ* itemque postea p. 43 Sauppius, qui hinc πα]ρὰ τοῖς γ[εραιτέροις supplevit. At nisi caecutio septima litera non *Γ* fuit sed primus ductus *Π* literae, ut jam supplendum sit πα]ρὰ τοῖς π]ρεσβυτέροις. Tum initio versus noni Babingtonus legit καλῶς σ, Sauppius autem καλῶς ο. Immo sexta literula pro primo ductu α literae habenda videtur, loco ita potius suppleto *ΚΑΛΩΣ Α*[ποθνήσκοντας. Nam ut initium versus octavi *ΤΕΛΕΥΤΗΣ* ostendit, de Atheniensibus iis hic sermo fuerat, qui in bello Lamiaco pro patria cecidissent: quod attice dici solet καλῶς ἀποθανεῖν, ut a Xenophonte ap. Stobaeum T. 124, 42, Lycurgo in Leocr. 49, 8, Aeschyl. Choeph. v. 350. Recte enim Horatius: „dulce et decorumst, pro patria mori.“ Alia hujusmodi exempla ex ejusdem columnae versu 13 atque e versibus 23 et 24 depromere possum. Tamen pleraque Babingtonus recte legit, suam quoque totius orationis recensionem addidit, mutila saepius feliciter supplevit, mendosa conjecturis sanare, obscura explicationibus illustrare studuit, prudentem se virum et circumspectum exhibuit, postremo de hac oratione unus omnium optime meritus est. Quem ut omnes videant ab temeritate abhorrere: in locis mutilis quot literarum spatium in codice relictum esse viderit, totidem sibi literas putat supplendas esse; in qua re si quid usquam peccavit, certe in eam peccavit partem, quae est tutior. At Cobetus p. 18 et p. 72 quum columnam XII[tam] vicenorum fuisse versuum conjiceret, unam tamen lineam (32) quatuordecim tantum literis constare jussit toto versu ita suppleto: *ΠΕΡΙΛΕΩΣ*[θένους. Et hoc quidem codicis nostri auctoritate caret: illud fieri potest, ut aliquando spatium tribus fere literis majus sit quam critici supplementum. Tot enim literarum spatium vacuum scriba, ne quid male omissum videri posset, linea — addita in fine versuum his tantum locis explevit, Col. III, 32; Col. VII, 26 et 30; Col. VIII, 32, denique Col. XI, 6. Praeterea semel (Col. III, 33) hoc ipsum in versus fine spatium iteratione *ΠΑΣΑΝΠΑΣΑΝ* expletum est. Ab his

minores lineae differunt ab novae enuntiationis initio interdum positae, quas p. 54 sq. Sauppius attigit. Quod autem Cobetus p. 19 saepe in codice versus tantum dimidiatos perscribi contendit, id ab ea re quae illo (Col. XII, 32) agitur loco, alienum est. Cadit enim tantummodo in ultimum columnae versum, adde etiam paenultimum, neque a librarii arbitrio suspensum est, sed necessitate expressum. Alia est enim chartae nostrae forma, alia veteris papyri, cujus in extrema columna saepius tantae spatii angustiae sunt, ut prior tantum versus pars inscribi literis possit, altera pars spatio ipso deficiente non possit. In epitaphii papyro columnis extremis hi versus dimidiati leguntur, C. VI, 40; C. VII, 39; C. X 43 et C. XIV, 43 atque 44, in quos versus papyrus tota desinit. Sunt autem hi,

THNKOINHNEΛEΥΘ. PIΛ.
TΩNEΛΛHNΩN

quos versus Cobetus solus p. 7 recte ita legit, *τὴν κοινὴν ἐλευθερίαν τῶν Ἑλλήνων*, uti profecto in ipsa exstat papyro, in qua post *EΛEΥΘ. PIΛ.* nihil deest. At Babingtonus p. 25, Sauppius p. 49, Kayser p. 377 quum ea quae de dimidiatis versibus dixi nescirent, quasi ex ipsius scilicet papyri spatio vacuo *τὴν κοινὴν ἐλευθερίαν* [*τὴν*] *τῶν Ἑλλήνων* suppleverunt, qui articulus ne per se quidem ferri potest. Postremo C. XIV, 44 verbis *TΩN EΛΛHNΩN* et versum illum et columnam totam scito finitam esse, neque in hac quidem columna ullam ab librario literam adjectam fuisse aut adjici per spatium potuisse. Deinceps autem proximae columnae a XV[ta] perierunt. Illuc revertor. Secundum Babingtonum is de quo mox plura dicam Cobetus et vir de oratoribus eorumque fragmentis bene meritus Sauppius honoris causa nominandi sunt. Et Cobetus quidem, qui p. 18 unius vitii emendationem ab se „diu et multum“ frustra quaesitam fatetur, de nonnullis locis tam bene et cogitato scripsit, ut editio ejus haudquaquam cum pauculis istis conferenda sit, quae idem antea in diariis de oratione pro Euxenippo chartis illusit. Sauppius autem quam modestum hic quoque criticum se praebuerit, quum universa ejus recognitio tum p. 53 sq. vitiorum quae huic papyro insint enumeratio declarant. Nusquam Sauppius id ausus est dicere, quod Cobetus p. 1 et saepius confirmavit, hunc quidem codicem „mendis scatere.“ Cum hoc Cobeti judicio (dicam aperte) nostra ratio magis convenit. Nam videor mihi non pauca menda, quae ne Cobetus quidem nedum caeteri animadverterunt, recte sustulisse. Ac multis fortasse gratum facerem, si jam nunc ea mendorum genera, quae in hac papyro potissimum exstant, accurate describerem. At praeterquam quod vulgaria quaedam genera jam Sauppius p. 53 sq. optime disposita dedit: verendum est, ne isto modo prooemium ipsa prope Hyperidis oratione longius evaderet. Quare unum hic mendorum genus, ad quod solus ante nos Cobetus attendit, satis sit commemorasse. Qui quum vidisset initio orationis pro Euxenippo versum unum incuria neglectum et in ora libri suppletum esse: et in hac et in funebri oratione nonnulla per librariorum festinationem penitus omissa conjecit. Et in epitaphio quidem Cobetus hoc errorum fonte bis saltem bene reperto primum (p. 15) Col. IX, 14 nonnulla excidisse recte vidit, non vidit idem quae desunt, ea post vocem *παίδων* demum excidisse totumque locum aliter supplendum esse. Tum Col. XIII, 37 post vocem *ἀνδρῶν*

aliquid deesse Cobetus p. 21 bene perspexit, cujus tamen supplementum, uti recte p. 59 Sauppius, ad sententiam prorsus ineptum est. Ego vero praeterea sex septem epitaphii locis modo unius vocabuli modo plurium malam praetermissionem animadverti: quibus in locis omnibus res adeo manifesta est, ut oculis cerni queat et manu plane teneri. Sed longe utilius fuerit aliquot mendorum genera hic attulisse, quae in Hyperide neque inveniuntur neque omnino in his quidem papyris cogitari possunt. Nam his tam antiquis voluminibus non nova vitia vitiis addita, sed prima vitiorum elementa, neque adultas jam corruptelas verum tunc primum nascentes ubique contineri apparet. Quamobrem primum violenta verborum trajectione abstinendum est, qua eadem in iis scriptoribus, quorum lectio vulgata paucis abhinc saeculis primum exstitit, ut in Luciano nonnunquam utendum esse codices antiqui demonstrant. At in Hyperide bis tantum ad vocum transpositionem quasi ad aram confugi et eam utrobique lenissimam. Tum vero nulla plane in papyris Hyperideis cogitari glossemata possunt. Male igitur Cobetus Pro Euxen. p. 11 ed. Caes. quasi glossemata delevit verba sanissima: *οὐ προσήκοντα αὐτὴν ἐγκλήματα τῇ πόλει ἐγκαλοῦσαν.* Male idem Cobetus iterum Pro Euxen. p. 13 in verbis: *τίνας οὖν κέκρικα καὶ εἰς ἀγῶνα καθέστακα;* verba *καὶ εἰς ἀγῶνα καθέστακα* omnia expunxit, quum Lightfootus *κατέστησα* caeteris non mutatis recte scripsisset. Pessime vero idem Cobetus ad Epitaphium p. 16 Col. X, 1 *λαμβάνειν* tanquam „scioli interpolationem" delevit locumque corruptum porro corrupit, ut jam quae ipse excogitavit, atticismo, historiae et sanae rationi juxta repugnent. Invenit tamen, id quod nollem, qui ducem caecum sequeretur, Sauppium p. 59. Atqui ut in adnotatione declarabo, adspexisse illum Hyperidis locum est correxisse: qui quidem quae certo dixit, ea ipsa a Diodoro Siculo memoriae prodita sunt. Quid quod Cobetus l. l. p. 33 infelicissima conjectura sua tanquam fundamento scilicet novae doctrinae inniti ausus est. Nam p. 31 sqq. serio negare videtur, de quo inter omnes dudum convenit, antiquissimum quemque codicem interpolationibus et glossematis liberrimum, recentissimum quemque iisdem esse solere plenissimum. Sequitur, ut ad ipsam Hyperidis orationem transeam, ad quam sine magna fiducia et cum quadam timiditate accedo. Subvereor enim, ne quod caeteris omnibus hic interdum accidit, idem mihi quoque usu veniat, atque ut in his tenebris Aegyptiacis omnes non solum Hypsaea verum etiam ea, quae nunquam dispicere potest, talpa simus caeciores. Haec hactenus.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) encyclopaediam et methodologiam theologicam quinis diebus tradet h. VIII; 2) dogmatum historiam senis diebus enarrabit h. IX. Publice theologiam pastoralem, legum ecclesiasticarum Mecklenburgicarum ratione habita, tradet binis p. h. horis definiendis. In Seminarii sodalitio catecheticas sodalium exercitationes horis constitutis moderari perget.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim quinis diebus h. IX historiae ecclesiasticae partem alteram enarrabit; 2) privatim quinis diebus h. X theologiam moralem docebit; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim symbolicen sive doctrinam ecclesiarum et sectarum quinis diebus tradet h. XI; 2) privatim epistolas Pauli minores interpretabitur quinis diebus h. XII; 3) publice exercitationes exegeticas moderabitur binis horis definiendis.

Lic. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim librum Jobi interpretabitur quinquies p. h. hora VIII—IX; 2) privatim V. Ti. theologiam propheticam adumbrabit quinis p. h. scholis h. VII—VIII; 3) publice lectiones Rabbinicas instituet, duce Heilbuti Chrestomathia Rabbinica (Hannov. 1856) bis p. h. horis definiendis.

In ordine juridico.

D. Fridericus Raspe, P. P. O., tradet principia processus judiciarii civilis, duce Linde, quater h. X et sexies h. XI.

D. Otto Mejer, P. P. O., quinquies per hebd. h. XII jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum, h. XI jus criminum commune docebit.

D. Georgius Guilielmus Wetzell, P. P. O., h. t. Decanus, sexies h. XI ordinem judiciorum civilium, et senis scholis h. XII institutiones juris romani profitebitur.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., tradet 1) pandectas duodenis per hebd. scholis h. VII et VIII; doctrinam de hereditatibus quinis per hebd. scholis h. XII.
D. Victor de Meibom, P. P. O., 1) jus mercatorium et cambiale quinquies h. IX; 2) historiam juris Germanici quinquies h. X docebit.

D. Theophilus Henr. Fr. Gaedcke, 1) encyclopaediam juris h. c. profitebitur; 2) processum judiciarium civilem quum communem tum Megapolitanum h. c. duce Martino docebit; 3) scholam civilem eamque practicam h. c. moderabitur; 4) privatissime repetitoria et examinatoria commilitonibus offert.

In ordine medico.

D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit: 1) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus demonstrandam quater p. h.; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico more solito moderari perget.
D. Hermannus Stannius, P. P. O., docebit: 1) encyclopaediam et methodologiam binis p. h. horis; 2) anatomen comparatam senis p. h. horis; 3) exercitationes physiologicas practicas binis p. h. horis.
D. Carolus Bergmann, P. P. O., h. t. Rector, 1) anatomes partem alteram; 2) historiam ovi hominis et animalium vertebratorum tradet; 3) exercitationes anatomicas assistente Gronau Prosectore dirigere perget.
D. Gustavus Veit, P. P. O., h. t. Decanus, 1) de morbis mulierum binis diebus h. VII disseret; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quinquies p. h. h. VIII moderabitur.
D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) de morbis organorum uropoëticorum et de syphilide binis diebus h. IX disseret; 2) exercitationes microscopicas anatomen pathologicam spectantes binis diebus h. IX et 3) exercitationes practicas in clinico medico quaternis diebus h. X et binis diebus h. h. IX et X moderabitur.

D. Theodorus Ackermann, P. P. E., policlinicum medico-chirurgicum quotidie h. XII—I moderabitur.

D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. Augustus Classen ophtalmiatricen ter, chirurgiam generalem quater p. hebd. horis commodis docebit; in nosocomio ophthalmico quotidie hora XII exercitationes practicas moderabitur.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., privatim 1) binis diebus h. VIII Terenti Phormionem explicabit; 2) quaternis diebus h. VIII Aristophanis Vespas interpretabitur; 3) binis diebus h. III antiquitates scenicas illustrabit. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Lycurgi oratio in Leocratem et Lucreti De Rerum Natura libri II—V tractabuntur.

D. Johannes Roeper, P. P. O., 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam senis diebus h. VII; 3) de herbis in pratis et silvis nascentibus disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., 1) senis diebus h. III agros metiendi formasque delineandi doctrinam adjunctis exercitationibus practicis tradet; 2) culturam plantarum agrestium, demonstrationibus illustrandam quater p. h. docebit h. X.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) Euripidis Medeam bis p. h., 2) Callimachi hymnos bis p. h. interpretabitur; 3) item binis diebus Plinii epistolas explicabit. Privatissime quater p. h. de Topographia Graeciae veteris, duce Pausania, disseret.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., publice docebit trigonometriam bis p. h.; privatim 1) de calculo integrali disseret ter p. h.; 2) physices experimentalis partem alteram (physicen generalem, acusticen, opticen) tradet quinquies p. h.; 3) geologiam quater p. h.; 4) geodaesiam elementarem bis p. h. horis definiendis.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., h. t. Decanus, 1) chemiam universalem docebit et experimentis illustrabit, quotidie h. X—XI; 2) exercitationes chemicas moderabitur, diebus Martis et Veneris h. III—VII; 3) privatissime agronomiam docebit.

D. Erwinus Nasse, P. P. O., 1) de exitibus et reditibus publicis quinquies h. X, 2) de arte publicae securitatis salutisque tuendae disseret, quinis horis h. IX.

D. Carolus Bartsch, P. P. O., privatim 1) grammaticam theodiscam quaternis per hebd. scholis docebit; 2) historiam literarum provincialium (Provenzalisch) bis p. h. enarrabit. Publice 3) Seminarii philologici germanici exercitationes moderari perget.

D. Georgius Voigt, P. P. O., publice 1) historiam saeculorum XVI et XVII enarrabit; 2) Macchiavelli historiam Florentinam interpretabitur.

D. **Fridericus Francke**, P. P. E., 1) publice quaternis p. h. diebus anthropologiam psychicam praecipiet; privatim 2) senis diebus metaphysicam explicabit; 3) quaternis diebus historiam philosophiae recentioris inde ab aera christiana usque ad nostra tempora, sive a Paulo apostolo usque ad Kantium et qui sequuntur enarrabit.

D. **Georgius Nicolaus Busch**, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III—IV Ciceronis de oratore libros interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV—V Sophoclis Oedipum Coloneum explicabit; 3) binis diebus h. III—IV de syntaxi linguae Latinae disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. **Eduardus Schmidt**, P. P. E., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. **Carolus Weinholtz** privatim 1) Organoidealismi quem appellat principia et fines, comparatis doctrinis philosophorum novissimorum, docebit; 2) de logica antiqua, nova et novissima disseret comparato libro suo: »Die Wissenschaftswege« (Rostock, 1840. 43).

D. **Julius Robert** 1) privatim de lingua Gallica scholas practicas habebit quater p. h.; 2) privatim bis p. h. de grammatica linguae francogallicae disseret; 3) gratis historiam litterarum francogallicarum novissimam inde ab anno 1848 docebit.

D. **Ferdinandus de Roda** in Seminarii sodalitio cantum liturgicum publice docebit.

Bibliotheca extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis, tum etiam quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Carolus Bergmann, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Fridericus Philippi**, Th. D.
Juris consultorum **Georgius Wetzell**, J. U. D.
Medicorum **Gustavus Veit**, M. D.
Philosophorum **Franciscus Schulze**, Ph. D.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXIII

A DIE XV M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE SCRIPTORIBUS SATIRICIS

SPECIMEN PRIMUM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.

Ad vitam bene beateque agendam, Commilitones, utrum fletus Heracliti, an risus Democriti saepius valuerit, dubitari vix potest. Certe in Democriti sententiam alii philosophi magis videntur propensi fuisse, ut qui docerent hominem esse *ζῶον λογικὸν καὶ γελαστικόν* (quasi parum latine dicatis animal risibile). Ipse vero Democritus quum tristi homini et moroso nihil satis recte procedere judicasset, non solum aequam mentem rebus in arduis sed hilarem in ipsis miseriis servare nos voluit et jocorum salibus animum humaniter oblectare. Quodsi vos quoque Democrito adsentiri quam Heraclito malueritis, Q. Horati Flacci Sermones aliosque hujusmodi libros naviter legisse haud poenitebit.

Juvat nunc de his ipsis scriptoribus satiricis, qui fontes jocorum sunt inexhausti, paucis disserere. Ac primum quidem de C. Lucilii satira in universum disputabo, deinde ad Horatium, Persium, Juvenalem transibo, denique in Menippum, in satiram Menippeam et in omnes hujus operis auctores disputatio nostra desinet. Satirae nomen a dramatis Graecorum satyricis ductum esse J. Casaubonus (de satir. poesi I, 1 p. 22 ed. Ramb.) recte negavit, oblitus ille quidem scriptores qui hoc errore ducuntur afferre, ut Diomedem III, 9, 5 p. 446 ed. Gaisf. et Isidorum Origg. VIII c. 7 (sive T. III. p. 265 Corp. Grammat. ed. Lindem.) et caeteris puto antiquiorem, Lucianum in Baccho c. 5 et Bis Accusat. c. 33. Nam Alexandrini soli drama satyricum, quo aequales riderent, interdum scripsisse videntur, si modo Athenaeus II p. 55 D vera tradidit. Tum idem Casaubonus II, 3 p. 219 genus carminis, qui *Σίλλοι* dicuntur, ex omni Graecorum poesi plurima cum Romanorum satira communia habuisse conjecit, omisso Archilochi iambo, qui non minus apte comparari poterat. Enimvero ut satira Romana penitus intelligatur, comoedia Graecorum, ex quo fonte satira derivata est, dies noctesque versari debet. De qua re ut mihi quoque dicendum sit, quum rei gravitas facit tum Casauboni et post eum caeterorum levitas, qui satiram cum comoedia magna quadam affinitate jungi verbo concedunt, neque tantam rem diligentius perquirere student. Ac primum Casaubonus II, 3 p. 218 satiram comoediae speciem recte dici posse negat, quum illae genere differant et satira ab dramatica poesi abhorreat et quum omnino aliud sit comicos imitari, aliud comoediam scribere. Ego contrariae sententiae primum auctores ponam, Isidorum Origg. VIII, 7 (T. III. p. 265 ed. Lindem.): „duo sunt genera comicorum, id est veteres et novi. Veteres, qui et joco ridiculares exstiterunt, ut Plautus, Actius (sic), Terentius. Novi, qui et satirici, a quibus generaliter vitia carpuntur, ut Flaccus, Persius, Juvenalis et alii. Hi enim universorum delicta corripiunt“ cet. Illud omitto, quod Luciano in Piscat. c. 26 et c. 37 et Bis Accus. c. 33 *κωμῳδεῖν* nihil aliud est, nisi „satiram scribere“: hoc enim verbum, uti bene Perizonius ad

Aelian. Varr. Hist. II, 13 p. 87, saepe est alios quovis ludibrio, non comoediarum tantum exagitantis. Sed tamen J. Lydus De Magistr. I, 41 p. 153 ed. B. satiram Romanorum certo *τὴν σατυρικὴν κωμῳδίαν* appellavit. Hinc Sullae comoedias satyricas apud Athenaeum VI p. 261, c: „*αἱ ὑπ' αὐτοῦ γραφεῖσαι σατυρικαὶ κωμῳδίαι τῇ πατρίῳ φωνῇ*" satiras ipsas quoque fuisse interpretor, non uti Casaubonus II, 4 p. 243 aliique precario finxerunt, Atellanas. Ipsi tamen saturarum scriptores graece *σπουδογέλοιοι* dici solent, nusquam *σατυρικοὶ* dicuntur (recte enim J. Lydus De Magistr. I, 41: *οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικούς*), ac ne *κωμικοὶ* quidem, nisi forte ab Suida: *Μένιππος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κέρκωπες* (*καὶ Ὄφεις* add. Eudocia) *καὶ ἄλλα.* Nam hunc Suidae Menippum fuisse Gadarenum, saturae Menippeae parentem bene Reinesius conjecit: quem secutus in Vindic. Strabon. p. 234 A. Meinekius etiam *δρᾶμα* saturam dici recte posse arbitratus est. Jam vero, ut unum de multis auctoribus nominem, Diomedes III, 9, 5 p. 446 ed. Gaisf. satiram Romanorum „carmen maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum" dici ostendit. Nimirum hoc et Diomedes et caeteri volunt, C. Lucilium satirae romanae inventorem castigandis hominum vitiis ad veteris Atheniensium comoediae exemplum se totum composuisse. Debuit ita Lydus quoque De Magistr. I, 41 scribere, sed duplicem in eo commisit errorem. Primum enim ita loquitur, ac si non Lucilius sed posteriores demum saturae auctores veterem comoediam secuti essent, deinde Lucilio, quem variis metris usum esse constat, heroicum tantummodo metrum tribuit. Idem tamen nescio quid de Rhinthonis comoedia hexametris conclusa addidit, quam ipsam Lucilium dicit imitatum esse. Verba J. Lydi infra posui: *Ῥίνθων ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν· ἐξ οὗ λαβὼν* (ita scribendum pro *πρῶτος λαβών*) *τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. μεθ' ὃν καὶ τοὺς κατ' αὐτὸν* (ita scribendum pro *μετ' αὐτὸν*) —. Veruntamen non satis est, Lucilium antiquae comoediae poetas secutum esse, qui et numero plurimi fuerunt et genere ipso partim inter se diversi. Immo magni refert scire, quosnam ex hoc comicorum genere duces ille potissimum selegerit. Comici autem, a quibus sive ipse Lucilius sive satirici posteriores toti pendeant, nominantur hi: Eupolis atque Cratinus Aristophanesque ab Horatio Serm. I, 4, 1 (qui Eupolin assiduo lectitavit, ut in Serm. II, 3, 12 testatus est, sicut Juvenalis II, 92 et Lucianus Adv. Ind. c. 27 clare indicant se ejusdem Eupolidis *Βάπτας* legisse), item Cratinus, „iratus Eupolis" et Aristophanes a Persio Sat. I, 124, Cratinus et Eupolis ab Lydo De Magistr. I, 41 his verbis: *οἱ νεώτεροι* (*σατυρικοὶ*) *τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες,* tum Eupolis et Aristophanes ab Luciano in Bis Accus. c. 33 cl. Piscat. c. 25. Plures afferre locos non opus est. Vel sic enim apparet, satiram romanam maxime quidem ab Eupolidis exemplo, tum ab Cratino et secundum hos ab Aristophane suspensam fuisse. Atqui Eupolis unus omnes comicos acerbitate longe superaverat, id quod et fragmenta monstrant et scriptor incertus *Περὶ κωμῳδίας* p. X ed. Dind. testatur: *Εὔπολις — πολὺ τὸ λοίδορόν τε καὶ σκαιὸν ἐπιφαίνει.* Nempe Lucilium simili asperitate in cives aequales etiam in primores invectum esse Trebonius ap. Cic. Epp. ad Fam. XII, 16, 3,

Horatius Serm. II, 1, 69, Persius I, 114 sq., Juvenalis I, 165 aliique certatim docuerunt. Tametsi igitur Isidorus comoediae speciem appellare satiram non debuit, recte tamen vidit, veteris Atheniensium comoediae Lucilium vestigia legisse. Quam rem plerique scriptores magna consensione agnoscunt, in his ipse Horatius, qui idem (in Sermon. I, 10, 66) Lucilium Graecis intacti carminis facit auctorem. Quinctilianus solus quum et ipse miram in Lucilio libertatem atque inde acerbitatem fuisse dicat, tamen ut in Terenti Varronis satira de Menippo, ita non minus inepte de vetere comoedia tacet in Lucilio atque adeo his uti verbis audet: „Satira quidem tota nostra est“ (X, 1, 93). Quod autem Lucilium certo scimus ab vetere Graecorum comoedia pendere, id quum per se vim habet non exiguam, tum eo majorem, quod caetera quae de aliis Lucili fontibus traduntur, pleraque sunt incertissima. Itaque nollem sane necessitudinem, quae Lucilio cum vetere comoedia intercessit, ab viris doctis tam parvi aestimatam esse. Sed eo fortasse neglecta est, quod neque e Lucili carminibus praeter fragmenta quidquam superest et caeterorum Romanorum satirae omnes interciderunt, quae quidem liberae rei publicae tempore scriptae erant. Quae enim satirae aetatem tulerunt, sub imperatoribus editae sunt, quum satirae libertas primum lege Cornelia „de injuriis“ (anni ut videtur 673 a. U. C.) et iterum Julia lege „de majestate“ (anni 708) mire coercita esset. Attamen his legibus scriptores satirici non semper obtemperarunt, velut ipse Lucianus, qui alioquin imperatori Romano ex animo deditus erat. Neque enim per illas ipsas leges nominatim cives irridere licuit, quod Eupolidis tempore factitatum graeci ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν appellant, ut in Quaestt. Aristoph. p. 305 ostendi. Tamen ut Eupolis Hyperbolum in Maricante, Aristophanes Socratem in Nubibus risit et in Equitibus Cleonem: ita Lucianus in libro: Ῥητόρων διδάσκαλος c. 24 virum ab se traductum nominavit risitque Julium Pollucem ut malum rhetorem et ut hominem pessime moratum, de qua re C. F. Rankius (in „Polluce et Luciano“ p. 30 sqq.) optime disputavit. Juvenalis vero etsi vivis parcere videri vult neque nisi in mortuos saevire (I, 170 sq.), mortuos tamen nominatim ridere non dubitat, in quos haud raro tantum acerbitatis virus evomit, ut germanum tibi Eupolin legere videaris. Venio ad locutionem Lucili, parum illam accuratam, humilem et quotidiani similem sermonis, quae non tam veteris quam novae Graecorum comoediae socco videtur conveniens fuisse. Namque, ut Horatius (Sermon. I, 4, 45) aliique testantur, et de hoc comoediae genere utrum poema esset necne dubitatum est, et satiras Horatius ibidem poesin esse negat. Sed quoniam hi comici eodem modo quo oratores differunt, quorum alii ut Demosthenes actioni, alii velut Hyperides narrationi magis studebant: fieri potuit, ut Lucilius non ille quidem Philemonem sed tamen Menandrum in actione sequeretur. Etenim a Pseudodemetrio De Elocutione c. 193 ἡ ὑποκριτικὴ λέξις et ἡ γραφικὴ ita discretae sunt, ut haec addantur: διὰ τοῦτο δὲ καὶ Μένανδρον ὑποκρίνονται λελυμένον ἐν τοῖς πλείστοις, Φιλήμονα δὲ ἀναγιγνώσκουσιν. Omnes enim satirici aut sicuti Lucianus et Petronius vero dialogo personis distincto aut sine personarum vicibus specie dialogi utuntur per ὑπόκρισιν h. e. per mimicam alienae personae simulationem, dum vultus, habitus ac verba

loquentum fingunt, ut plures inter se colloqui faciant. Mimica hac dialogi specie Juvenalis valde delectatur, neque caeteri ac ne Horatius quidem ab ea abhorrent, ut in Sermon. II, 3, ubi modo Damasippus, modo Stertinius, modo ipse Horatius, modo Stoicus secum quasi cum alio loquuntur. Veruntamen unde hanc *ὑπόκρισιν* satirici singuli mutuati sint, haud satis constat, siquidem Persius eam non novae Graecorum comoediae sed Sophronis Mimis acceptam dicitur retulisse ab Lydo de Magistr. I, 41: *Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν.*

Sicuti Quinctilianus l. l. Graecis nihil reliqui fecit, quod imitari Lucilius posset: ita Lydus l. l. inventori saturae Lucilio admodum nihil reliquit, quod Graecis incognitum ipse inveniret. Ac Lydus quidem acceperat, Rhinthonem omnium primum heroicis versibus comoediam scripsisse, cujus exemplo incitatum Lucilium eodem metro comoediam (i. e. saturam) composuisse. Quodsi Lydo fides est, Lucilius non hexametrum ipsum, quem ab Ennio potius acceptum frequentavit, debuit Rhinthoni, sed inclusam hexametro comoediam. Et cum tot aliis generibus eam quoque comoediam, cui ab hoc Rhinthone nomen fuit Rhinthonicae, Romani susceperant: quam vel ipse Lydus paullo ante I, 40 nominavit saepius, nunquam descripsit. Hoc unum Lydus I, 41 clare indicat, Rhinthonis comoedia homines omnino non nominatim irrisos fuisse: quod ipsum quum ab Lucilio veteris comoediae imitatore fieri solitum sit, non video, quidnam a Rhinthone Lucilius adsumere potuerit praeter facetias fortasse, quibus tamen Lucilius ipse abundabat. Nam quod jocosas res et comicas ut Rhintho sic etiam Lucilius hexametris persecutus est, id equidem in haud magno ponam discrimine. Denique fuerunt, qui de ipsius Rhinthonis comoediis integris hexametro pertextis dubitarent, ut Bodeus (Gesch. d. dram. Dichtk. d. Hell. III, 2 p. 99). Quae quum ita sint, utrum saturae romanae inventor Rhinthonem ulla ex parte secutus sit necne, in medio relinquendum est. Nam si historiae leges violare placuerit, Lydi iniquitatem longe superare licebit multosque alios Lucili duces scilicet et auctores fingere, ut Archilochum, poetas *Σίλλων,* quos supra dixi, tum *φλυακογράφους* et poetas *παρῳδῶν,* ut *κιναιδογράφους* omittam. Ita fuit, cui Lucilius Bionem Borysthenitem videretur imitatus esse, errore manifesto. Multi vero, ut intpp. ad Horat. Epist. II, 2, 60 et scriptores quidam historiae literariae, in his Groddeckius II p. 119 sibi compertum habere visi sunt, Bionem eundem ab Luciano imitatione expressum esse. Nihil profecto minus. Neque enim si Menippus hujus Bionis imitator fuit, idcirco idem cadit in Lucianum, qui Menippi imitatorem se saepius profitetur, Bionis mentionem facit nullam. Quin etiam exstiterunt, qui Lucili satiram ad veteris comoediae exemplum compositam non tam ab Lucilio, quam multo ante ab Ennio repertam esse narrarent. In quorum numerum Casaubonum nimis multorum hic signiferum II, 2 p. 198 et II, 3 p. 214 invitus refero, qui Ennium Lucilianae quoque satirae principem et quasi auctorem esse voluerit. Sed Casaubono C. F. Hermannus (De satirae romanae auctore p. 19) bene se opposuit, quanquam Ennii satiram, qualis fuerit, definire non ausus est. At verissime Diomedes III, 9, 5 p. 446: „satira dicitur carmen

— maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. Et (corr. Set) olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius." Itaque Ennii Pacuviique satira carmen fuit e variis poematis, adde argumentis, mixtum, justae saltem comoediae absimile, satirae vero Lucilianae dissimillimum. Adeo in Ennii satira atque Lucilii argumentum ipsum plane fuit diversum, communis quodammodo metrorum varietas, etsi Lucilius libros singulos singulis metris et plerosque heroico scripsit. Ceterum de vocis satira ac potius satura veriloquio idem Casaubonus II, 4 p. 245 — 259 vere rationeque judicavit. Verum simili errore Casaubonus II, 2 p. 199 Terenti Varronis satiram multo prius ab Ennio illustratam esse contendit, in qua re Quinctiliani loco X, 1, 95 deceptus est. Fabius enim descripta Lucilii et qui hunc imitati sunt satira ita pergit secundum codices: „alterum illud et jam (recte anonymus et jam pro etiam) prius satirae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro." Et haec quidem male ab aliis accepta multoque pejus mutata (omnia enim genuina sunt) Casaubonus p. 199 bene explicavit. Sane enim illud vult Quinctilianus, satirae Varronianae genus sola carminum varietate mixtum Lucilii aetate prius fuisse et antiquius: id enim jam ab Ennio conditum esse: hoc interesse tantum, quod Ennius sola carminum varietate usus sit, Varro autem prosam quoque satirae suae miscuerit. Tantus tamque ingens error non dico ab Casaubono sed ab ipso jam Quinctiliano commissus est, ut locus esset verbis plenis mendacii: „Satira quidem tota nostra est," neve ullum satirae genus Graecis debitum esse videretur. At hunc Quinctiliani errorem Varro ipse refutavit, de quo praeter alios Macrobius in Saturnal. I, 12 ita scribit: „Menippi libros M. Varro in satiris aemulatus est, quas alii cynicas, ipse appellat Menippeas." Alia testimonia ab Fr. Oehlero (Varronis Sat. Reliq. p. 28) collecta sunt. Ergo minime Enniana, ut Quinctilianus finxit, hujus Varronis satira fuit, sed Menippea. Atqui non Ennius, sed Menippus et e Menippo M. Terentius Varro homines risit nominatim. Sed de Ennii satura ut tot tantique viri tam foede errarent, non solum Quinctiliani X, 1, 95 mendaciolo effectum est, sed etiam mala explicatione Horati Serm. I, 10, 66, de quo versu C. F. Hermannus l. l. p. 45 egregie meritus est.

Nunc ad Horati satiram transeo, qui Lucilium (in Serm. I, 10, 66) Graecis intacti carminis auctorem appellavit, id quod de Lucilio solo dici speciosissime potuit. Etenim Romani, qui in aliis poeseos generibus Graecos vel imitati sunt vel interpretati, quantopere hac inventionis laude in uno Lucilio superbiant, vel Quinctilianus l. l. abunde declarat. Ita Romanis etiam postea satira mordicus tenenda erat: qua amissa ipsius poeseos decus magna ex parte videretur amissum iri. At sicut Eupolidis comoedia, ita etiam satira Lucilii in liberae tantum rei publicae tempora cadit; sub Imperatoribus vero scribi edique certe neutra earum potuit. Quamobrem Horatius satis digne laudari nequit, quippe qui Romanos, quomodo sub Principe satirae condendae sint, tam egregie docuerit. Scient omnes, qui quidem Aristophanem comicum lectitaverint, e quanto et quam immenso Luci-

lianae satirae campo in quam exiguum gyrum Horatius tunc compulsus sit. Ceterum Horati tantus erga Augustum Principem amor fuit, ut nusquam se longe quam Lucilium deteriore loco esse questus sit, sed qui Augustum sciret inanem speciem liberae rei publicae retinere cupere, de hac re quae una omnium difficillima est, constanter tacuerit. Quin ipse Lucilius, qui stans pede in uno multos dictasse versus fertur, in uno versu tecte cauteque faciendo, si Horati aevo vixisset, „saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.“ Sed dictum illud (Serm. II, 1, 7): „nequeo dormire,“ id est ingeni vis in homine ad satiras epodosque scribendos nato atque suscepti amor negoti vicit omnia. Non ille Corneliam legem laesit, non Juliam, non denique idem ipsius leges satirae usquam violavit. Nam joco tantum dicit (Serm. II, 1) satiris suis C. Trebatium Testam, qui in jure civili tum familiam ducebat, offensum esse, serio autem Augusti ipsius auctoritate et laude satiras suas defendit (Serm. II, 1, 83: „sed bona si quis | judice condiderit laudatus Caesare?“). Quodsi Lucilius satirae romanae inventor tantam gloriam adeptus est, ut eum quidam (teste Quinctiliano X, 1, 93) omnibus poetis praeferre non dubitarent: ne Horatius quidem justa laude fraudandus erit, qui satiram haud leviter sane mutatam et ab interitu servarit et ad memoriam propagaverit sempiternam. Ac Romani quidem Lucilium, qui omni cura solutus quidvis scribere impune poterat, et Horatio, qui inventore se minorem esse ipse fatetur (Serm. I, 10, 48 et II, 1, 75) et caeteris ejusdem operis auctoribus videntur anteposuisse. Ego vero aequum censeo, cum iis magis poetis, qui sub imperatoribus ipsi quoque legum vinculis tenebantur, Horatium conferri, quo comparandi genere Lydus De Magistr. I, 41 optime usus est: *οἱ νεώτεροι,* inquit, *τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες, τοῖς μὲν Ῥίνθωνος μέτροις τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν, Ὁράτιος μὲν οὐκ ἔξω τῆς τέχνης χωρῶν* (pro *χωρῶν* corrige *ὅρων*), *Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν· Τοῦρνος δὲ καὶ Ἰουβενάλιος καὶ Πετρώνιος, αὐτόθεν ταῖς λοιδορίαις ἐπεξελθόντες τὸν σατυρικὸν νόμον παρέτρωσαν.* Ceterum quae apud J. L. Lydum De Magistr. I, 40 et 41 de comoedia antiqúa leguntur, in universum tam docte scripta sunt, ut ex antiquo fonte hausta esse videantur, sive ex Jubae opere praeclaro *Θεατρικὴ ἱστορία*, de quo et ego ad Arist. Thesmoph. v. 1175 et Meinekius in Hist. Com. Gr. p. 15 plura diximus, sive potius ex iis libris, quos ipse Lydus p. 51, 19 et p. 269, 11 ed. Bekk. nominatim attulit, e Varronis „Antiquitatibus rerum humanarum et divinarum,“ sive ex alio ejusdem dignitatis auctore derivata sunt. Illud vero per se intelligitur, etiam sub Principe, dummodo ne singuli cives sed mores hominum universe notentur, satiram ingeniosam, facetam, urbanam atque tersam scribi posse. Hoc nomine praeter Horatium inprimis Juvenalis laudandus est atque is quem reliquis, qui hodieque supersunt satiricis praeferre soleo, Lucianus. Sed Lucianus, qui modum tenuisse cavillando videbatur, senex honoris causa ab imperatore (Commodo, ut opinor) amplissimo muneri in Aegypto praefectus est, Juvenalis vero, quum sua tempora et ipsum quodammodo imperatorem figurate notasse visus esset, octogenarius per honorem militiae ab Hadriano in extrema Aegypti relegatus mox angore et taedio periit. Alio tempore de Horati satira pluribus exponam. Haec hactenus.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim quinis diebus h. IX philosophiae christianae historiam tradet; 2) quinis diebus h. X theologiam moralem docebit; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim symbolicen et polemicen docebit sive doctrinam ecclesiasticam exponet et defendet quinquies h. XI et diebus Jovis et Veneris h. XII; 2) privatim historiam passionis et resurrectionis Domini secundum evangelium Joannis comparatis caeteris evangeliis explicabit diebus Lunae, Martis et Mercurii h. XII; 3) publice conversatorium exegeticum instituet de altera Petri epistola et epistola Judae binis horis definiendis.

Lic. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim V. Ti vaticinia Messiana interpretabitur quinquies p. h. hora III; 2) privatim librum Jobi explicabit quinis p. h. scholis hora IV; 3) publice in conversatorio exegetico cantica quae in V. Ti libris historicis occurrunt explicanda proponet die Veneris h. VI—VIII vesp.; 4) privatissime sed gratis linguam Syriacam docebit duce F. Uhlemanni libro (ed. II. Berol. 1857), binis p. h. horis definiendis.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies per hebd. h. VIII—IX, 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinquies per hebd. h. VII—VIII narrabit; et 3) publice catecheticas exercitationes in Seminario homiletico-catechetico moderabitur.

In ordine juridico.

D. Otto Mejer, P. P. O., h. t. Decanus, 1) jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum quinquies p. hebd. h. XI, 2) processum criminalem item communem et Mecklenburgicum quinquies p. hebd. h. IX docebit.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., profitebitur 1) institutiones juris Romani quinis per hebd. scholis h. XI; 2) doctrinam de hereditatibus, quinis scholis h. XII; 3) historiam juris Romani quinis scholis h. VIII.

D. Victor de Meibom, P. P. O., 1) historiam juris Germanici quinis scholis h. IX tradet et 2) jus mercatorium et cambiale quinquies p. hebd. h. X docebit.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., jus criminale sexies per hebd. hora X docebit.

In ordine medico.

D. Carolus Strempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., docebit: 1) encyclopaediam et methodologiam horis ternis; 2) anatomen comparatam horis quaternis.

D. Carolus Bergmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) anatomes c. h. partem alteram tradet ternis p. hebd. horis; 2) physiologiam docebit senis p. hebd. horis; 3) exercitationes anatomicas assistente Prosectore L. Gronau diriget.

D. Gustavus Veit, P. P. O., 1) artem obstetriciam quaternis p. h. scholis h. VII—VIII docebit; 2) medicinam forensem diebus Martis et Veneris h. VII—VIII et die Saturni h. VIII—IX tradet; 3) exercitationes practicas in clinico obstetricio quinquies p. hebd. h. VIII—IX moderabitur.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomen pathologicam ternis p. h. diebus h. IX, 2) pathologiam et therapiam ternis diebus h. IX docebit; 3) exercitationes practicas in clinico medico senis diebus h. X moderabitur.

D. Gustavus Simon, P. P. O., 1) ophthalmologiae partem alteram binis horis, 2) akiurgiam binis p. h. horis docebit; 3) exercitationes akiurgicas, 4) exercitationes practicas in clinico chirurgico et ophthalmiatrico moderabitur.

D. Theodorus Ackermann, P. P. E., tradet privatim: 1) materiam medicam quinis p. hebd. horis; 2) policlinicum medico-chirurgicum quinis p. hebd. horis moderabitur.

D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., h. t. Decanus, privatim: 1) quaternis diebus h. VIII Taciti Annales l. I—V interpretabitur; 2) binis diebus h. VIII Euripidis Hecubam explicabit; 3) trinis diebus h. III A. Persii Flacci satiras explanabit; 4) item trinis diebus h. III artem Graecorum metricam illustrabit. Horis consuetis Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Aristophanis Acharnenses atque M. Fabii Quinctiliani Oratt. Institut. liber X[us] tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., h. t. Rector, 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam, senis diebus h. VII; 3) de herbis in pratis et silvis nascentibus disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) agros metiendi formasque delineandi doctrinam tradet, adjunctis exercitationibus practicis, sexies p. h. h. III; 2) culturam plantarum agrestium quater p. h. docebit h. X.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim: 1) ter per hebd. Ciceronis epistolas ad Atticum explicabit; 2) ter per hebd. Sophoclis Trachinias interpretabitur; privatissime: quater per hebd. de artis operibus, quae a Pausania describuntur, disseret.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit publice trigonometriam bis p. h.; privatim: 1) geometriam analyticam quater p. h.; 2) physices experimentalis partem alteram (phys. gener., acusticen, opticen) quinquies p. h.; 3) geologiam, quater p. h. horis definiendis.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., 1) chemiam docebit et experimentis illustrabit, quotidie h. X—XI; 2) exercitationes chemicas moderabitur, diebus Martis et Veneris h. II—VI; 3) exercitationes agronomicas moderabitur, horis definiendis.

D. Carolus Bartsch, P. P. O., 1) privatim mythologiam germanicam docebit trinis p. h. scholis; 2) privatim grammaticam comparativam dialectorum romanicarum tractabit quater p. hebd.; 3) publice Seminarii philologici teutonici exercitationes moderari perget.

D. Georgius Voigt, P. P. O., privatim: 1) Britanniae historiam politicam tradet quinis p. h. scholis; 2) de Gallorum seditione a. 1789 exorta et de regno quod eam insecutum est imperatoris disseret, ternis p. h. scholis. Publice Lamberti de Hersfeld annales binis p. h. scholis interpretabitur.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., quinis horis suo tempore statuendis tractabit: 1) doctrinam de reditibus publicis; 2) politicen oeconomicam.

D. Fridericus Francke, P. P. E., 1) publice quaternis p. h. diebus anthropologiam psychicam s. psychologiam praecipiet; 2) privatim metaphysicam quinis p. h. diebus docebit; 3) privatim lineamenta historiae philosophiae itidem quinis p. h. diebus designabit.

D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III—IV Sophoclis Oedipum Coloneum interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV—V Taciti historiarum libros explicabit; 3) binis diebus h. III—IV de particulis graecis disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. Eduardus Schmidt, P. P. E., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Carolus Weinholtz privatim: 1) bibliothecae oeconomiam ex conspectu suo (Entwurf der Bibliothekswirthschaftslehre, Rost. 1862) docebit; 2) de linguae origine organica disseret.

D. Julius Robert 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam literarum francogallicarum saeculi 18^{mi} docebit ter p. h.; 3) virorum literatorum, qui nunc florent imagines depinget publice bis p. h.

D. Ferdinandus de Roda in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit, quater p. h.

D. Salomo Gustavus Ludovicus Cohen privatim 1) exercitationes practicas in clinico veterinario in eorum usum qui agriculturae student ter p. h. reget horis III—V; 2) de animalium domesticorum partu adjuvando binis diebus; 3) de disciplina publica deque medicina forensi in morbis animalium contagiosis binis diebus disseret.

D. E. John de agricultura privatissimas tantum scholas habebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis patebit, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur
J. Roeper, Med. et Phil. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **A. G. Dieckhoff**, Th. D.
Jurisconsultorum **O. Mejer**, J. U. D.
Medicorum **C. Bergmann**, M. D.
Philosophorum **F. Fritzsche**, Ph. D.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXIII—IV

A DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE ORIGINE TRAGOEDIAE

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEFATUS EST.

LITERIS ADLERIANIS.

Est genus hominum, qui ingenii vitio de rebus dubitant omnibus, nihil unquam ausi credere. Quod tametsi valde reprehendendum est, tamen in literis pervestigandis parum equidem malim quam nimium credere. Namque ut in rebus religiosis, quarum partim sicut captus est hominum difficiles intellectu sunt nec tam demonstrari volunt quam credi, magnam vim id ipsum habet, posse te credere: ita in literis quum aliis tum eis maxime quae insigni obscuritate involutae sunt, praecipua quaedam virtus censetur, ingenio esse incredulo. Quum enim hic ad verum indagandum omnia referantur, docti est vera quaerere, quaesita si fieri possit invenire, inventa plane scire, sin veritas adhuc lateat, veri simillima sequi, sin quid inveniri non possit, id penitus nescire, postremo omnia bene perscrutari, nihil temere credere. Sed quae res sciri vix possunt, earum pars tam tenuis atque exigua est, ut serio ne quaerenda quidem esse videatur: quemadmodum Tiberius imperator joco quaesisse dicitur, quod Achilli nomen inter virgines fuisset, quidve Sirenes solitae essent cantare? Ab aliis vero literarum partibus, quibus et ipsis tenebrae adhuc offusae sunt, maximarum rerum momenta pendent: quae omnia, dum ulla reperiendi spes supersit, omnino perquirenda sunt, ne aut tute (quo nihil turpius est) in errore pristino perseveres, aut ut aliorum errores opera tua tandem corrigantur.

Ad hoc postremum genus locus de tragoediae graecae origine pertinet, quem locum nunc paucis placet attingere. Thespis igitur, qui Ol. 61, 2. (535 a. Ch. n.) primum tragoedias docuit, idem ut Horatio A. P. v. 276 aliisque permultis visum est, ipsam tragoediam invenit, ut inter omnes constat, certe unum invenit actorem choroque suo adjecit (Diogenes L. III, 56: *τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν*). Neque tamen chorus solus antea cantaverat, sed id quod e verbo Diogenis l. l. *διεδραμάτιζεν* aliisque indiciis perspectum est, coryphaeus chori jam tum fuerat interlocutor, quam rem Pollux IV, 123 fin. diserte testatus est. Adeo Thespis uno actore ad chori ducem addito duo jam habuit, qui nunc singuli verba facerent nunc ambo inter se colloquerentur. Neque enim Philostratea Vit. Apollon. VI, 11: *τὰς τῶν ὑποκριτῶν ἀντιλέξεις εὗρε* repugnant, sed ad secundum actorem pertinent ab Aeschylo additum. Ceterum unus Thespidis actor plures per totam fabulam videtur personas egisse, praesertim quum Thespis personas linteas invenisse ab Suida s. v. *Θέσπις* dicatur. De quibus rebus vide inprimis C. F. Hermannum De distrib. pers. in trag. p. 14 sq. caetera optime disserentem, praeter id quod Aristoteleis Poet. IV, 16: *τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν* (*Αἰσχύλος*), quae nihil ad hanc causam attinent, uti non debuit. Nempe in hoc loco, quem ne caeteri quidem intellexisse videntur, Aristoteles *τὸν λόγον* de solo tragoediae argumento choris opposito attice usurpavit. Porro et Aristoteles ibidem IV, 14 et Zenobius V, 40 et alii e dithyrambo potissimum tragoediam natam esse testantur ac ne comoedia quidem vetus Cratini, ut ex Hesychio s. *Πυρπερέγχει* patet, dithyrambo abstinuit. Ceterum quaecunque

de Thespidis tragoedia accepimus, ea ab dithyrambi Pindarici splendore tam longe abhorrent, ut sannione et scurra attico digniora esse videantur, quam primo tragicae poesis auctore. Ipse enim Thespis saltator fuit (Aristoteles ibid. § 18, Aristoph. Vesp. v. 1478 sq., Athenaeus I. p. 22, a), tragoedia Thespidis primum subita et ex tempore fusa (*αὐτοσχεδιαστική*, Aristoteles l. l. § 14), tum ambitu brevis, genere toto ludicra atque ea satyrica (Aristoteles ibid. § 17 sq.) Quin ne satyri quidem Thespidis multum laudis meruerunt, sed post Thespin Pratinas demum fabulas vere satyricas primum composuit (Casaubonus De Satyr. Poes. p. 120 sq.). Deinde Thespis aut omnino nihil scripti in vulgus edidit, uti Bentlejo De Phalar. p. 281 ed. Lips. visus est, aut si quidquam ediderat, id certe paullo post in oblivionem abiit. Qui autem sub Thespidis nomine versus feruntur complures, eos partim ab Heraclide Pontico suppositos esse Bentlejus l. l. e Diogene L. V, 92 certo demonstravit, post quem Nauckius Trag. Gr. Fragm. p. 647 bene vidit unum Pseudo — thespidis fragmentum, quod Clemens Al. Strom. V p. 675 habet, aliquanto post Heraclidis tempora fictum esse atque adeo post Christum primo exstitisse. Ceterum de Suidae loco sub *Σοφοκλῆς* — : *καὶ ἔγραψεν — λόγον καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ, πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος* sic habendum est. „Sophocles, inquit, scripsit sermone pedestri d e c h o r o, adversus Thespin et Choerilum disputans (*ἐρίζων*).“ Hoc libro Sophoclis (qui tertium invenit actorem) chori breves illi quidem, sed vere tragici choris Thespidis Choerilique jure praelati erant. Fugit autem viros doctos, hunc Sophoclis librum spurium fuisse et adulterinum. Verum hujus operis auctorem nescio, hoc tamen scio, rem et materiam Chamaeleontis ingenio dignam fuisse. Nam *Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Θέσπιδος* ab Photio p. 357, 13 sive Suida s. *Οὐδὲν π. τ. Δ.* et *περὶ Αἰσχύλου* ab Athenaeo IX p. 375 f. et X p. 428 f. affertur. Nunc ad Thespin redeo, qui nec tragicus, nec lyricus poeta, neque omnino magnus poeta vere fuit, sed magnus saltator et fabulae editor satyricae, qua et Bacchi res contineri solerent et cujus chorus e satyris constaret ludibundis (Bentlejus De Phalar. p. 284). Contra flebilis tragoediae et tanto nomine dignae primum auctorem Phrynichum novimus Thespidis discipulum (Plutarchus Sympos. I, 1, 5: *Φρυνίχου καὶ Αἰσχύλου τὴν τραγῳδίαν εἰς μύθους καὶ πάθη προαγόντων*). Tamen Phrynichum qui tragoediae auctorem nominarit, praeter Pseudoplatonem in Minoe p. 321, A: *ἡ τραγῳδία — ἀπὸ Θέσπιδος ἀρξαμένη — ἀπὸ Φρυνίχου* novi neminem. Aeschylum autem Quintilianus nominavit Inst. Or. X, 1, 66: „Tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit.“ Quae quum ita sint, non Phrynichus sed Thespis pro vero tragoediae inventore propterea maxime habitus est, quod ante Thespin actor peculiaris nullus fuerat. Nam sermocinatione et colloquio carere vera tragoedia nullo modo potest, choris tragicis (quos Phrynichus eximios scripserat) aequo animo caret, sicut omnibus choris et Romanorum tragoedia caruit et tragoediae recentiores eaeque luculentissimae carent Shakespeari, Goethi, aliorum. Sed temporum illorum bene memori comparantique Plutarchi fabellam (Vit. Solonis c. XXIX. fin. cl. Diogene L. I, 59) Thespis fortasse non magis ingenii culpa quam Atheniensium superstitione videbitur impeditus esse, ne quid praeter ipsius Bacchi res Bacchi festo edere auderet. Certe hic vir quum Satyros agrestes nudare solitus carmine vere tragico nunquam certaverit: pro satyrici dramatis, qualis est Euripidis Cyclops, primo auctore jure meritoque habebitur, pro tragoediae graecae parente haberi idem nullo modo poterit.

Qui igitur ab Thespide tragoediam esse inventam voluerunt, veluti Casaubonus De Sat. Poes. p. 120, Bentlejus De Phalar. p. 311, Lobeckius, G. Hermannus, alii, illi origines tragoediae penitus latere abditas contenderunt, quae res ab Hermanno minime dissimulata, cum Aristotele autem, qui id nullo dixit loco, non recte communicata est. Contra qui Thespidis aetate tragoediam antiquiorem fuisse judicarunt, ei jam ante Thespin tragoediam (ut ipsi appellant) lyricam exstitisse opinati sunt. Posuit hoc post Vatry Francogallum A. Boeckhius in Oecon. Athen. II. p. 361 sqq. ed. prim. et positum postea saepius defendit. Quam Boeckhi conjecturam Lobeckius in Aglaoph. p. 974 sqq. maximeque G. Hermannus Opusc. VII. p. 211 sqq. refutare studuerunt, quum eadem ab viris doctissimis,

quos l. l. p. 212 Hermannus ordine recensuit, ab Welckero, C. O. Müllero, F. Thierschio, A. L. G. Jacobo, Plehnio, G. Schneidewino uno ore comprobata esset. A quibus omnibus Hermannus tantopere dissensit, ut p. 235 lyricam tragoediam eo abire juberet, quo olim egregia Hermanni ipsius opera (in Opusc. I p. 44 sqq.) rem commentitiam abisse scimus, Eichstaedti drama comicosatyricum. Sane ad inscriptiones tres frustra Boeckhium confugisse easque omnes longe aliter explicandas esse et Lobeckius l. l. et Hermannus p. 223 sqq. luculente demonstrarunt. Deinde ad summam rei hac Boeckhi conjectura nihil profectum esse, neque quidquam quod memoria valde dignum sit aut certam historiae fidem habeat, allatum Bernhardyus (Gr. Literat.-Gesch. I. p. 350) bene intellexit. Ac ne illud quidem Boeckhius nos docuit, cujusmodi tandem tragoedia mere lyrica esse potuerit, quam nos nisi dramaticam mente concipere nullam solemus. Omnino hoc potius quaeritur, quo vinculo Epigenis poetae Thespide prioris sive tragica sive lyrica poesis cum Atticorum tragoedia in argumentis, in numeris et metris rebusque omnibus conjuncta fuerit. Quam Epigenis poesin e tragoedia et ea mere lyrica constitisse facilius ego Boeckhio concederem, si id scire nostra magnopere interesset, utrum lyrica fuerit, an ut Hermannus p. 217 finxit, dramatica. Attamen sic quoque Boeckhius magna laude efferendus est, qui de tragoedia, qualis ante Thespin fuerit, id est de re longe gravissima diu multumque cogitaverit. Lobeckius autem viam in tali causa ingressus tutiorem quum p. 975 Epigenis Sicyonii cothurnos acerbo dicto risisset, caeteras res Thespide priores voluntaria quadam oblivione conterere maluit quam explorare vel extremo saltem digito attingere. Ceterum Lobeckius quoque p. 976 Bentleio (l. l. p. 311) adsentiens in his rebus aliquid inesse certi professus est neque unquam dubitatum esse, quin ante Thespidis aetatem prima jacta sint tragoediae fundamenta. Quod ad me attinet, ego quos duces hic fugiam, habeo plures, quem plane sequar, ne Boeckhium quidem habeo. Quamobrem etsi me vestigia terrent, tamen ut aliorum studia denuo excitentur, tam veteris memoriae recordatio mihi videtur repetenda esse et alio modo quaerendum, cujusmodi tandem ante Thespin sive ipsa tragoedia fuisse videatur sive tragoediae mox oriturae elementa.

Comoedia quum primum, ut est in Aristotele Poët. c. IV, 14, e phallicis nata esset, postea tamen ad res Bacchi omnino non pertinuit, sicut in Aristophane unicum superest hujusmodi carmen in Acharn. v. 251 sqq., quocum confer Photium p. 637, 22 et Semum Athenaei XIV p. 622, c. Eodemque modo tragoedia quum primum e dithyrambo orta esset (Aristoteles ibidem: *ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων*, inquit, *τὸν διθύραμβον*), mox tamen ipsa quoque a Bacchi rebus sejuncta est neque quidquam veteris moris permansit, nisi ut tum quoque Liberalibus et tragoediae et comoediae apud Atticos docerentur. Sed eisdem diebus festis Liberi patris postea et dithyrambici seorsim cyclios choros duxerunt et tragici praeter tragoedias drama ediderunt satyricum. Itaque Phrynichi, Aeschyli et post eos caeterorum tragoedia flebilis et a Bacchi rebus aliena a Thespidis tragoedia probe discernenda est, quae et in Bacchi rebus versabatur et eadem erat satyrica et ne dithyrambo quidem carebat. Hinc vel maxime quaerendum est, utrum elementa tragoediae apud Dorienses natae ad Thespidis attici tragoediam solam, an partim etiam ad veram tragoediam, qualem primum Phrynichi novimus, referri debeant. Exordiar autem a dithyrambo, qui jam ante Thespin ab choro satyrico cantatus est, id quod praeter Aristotelem Poët. c. IV, 14 Suidas s. *Ἀρίων* testatur, qui: *λέγεται*, inquit *καὶ τραγικοῦ τρόπου εὑρετὴς γενέσθαι, καὶ πρῶτος χορὸν στῆσαι, καὶ διθύραμβον ᾆσαι, καὶ ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ, καὶ Σατύρους εἰσενεγκεῖν ἔμμετρα λέγοντας.* Quae transponendo in hunc modum corrige: *καὶ πρῶτος χορὸν στῆσαι καὶ ᾆσαι, καὶ διθύραμβον ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ* —. Et Athenis ipsis Thespidis adhuc aetate chori satyrici (i. e. tragici) dithyrambum cecinerunt, auctore Zenobio V, 40 p. 137 L.: *Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον: — ἐπειδὴ τῶν χορῶν ἐξ ἀρχῆς εἰθισμένων διθύραμβον ᾄδειν εἰς τὸν Διόνυσον, οἱ ποιηταὶ ὕστερον* (scil. inde a Phrynicho) *ἐκβάντες τὴν συνήθειαν ταύτην Αἴαντας καὶ Κενταύρους γράφειν ἐπεχείρουν. ὅθεν οἱ θεώμενοι σκώπτοντες ἔλεγον· οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. διὰ γοῦν τοῦτο τοὺς Σατύρους ὕστερον ἔδοξεν αὐτοῖς προσεισάγειν* (ita recte Hermannus ad Eurip. Cyclop.

Praef. p. XI pro *προεισάγειν*), *ἵνα μὴ δοκῶσιν ἐπιλανθάνεσθαι τοῦ θεοῦ.* Hunc Zenobii locum e Chamaeleontis libro „*περὶ Θέσπιδος*" petitum esse docent Photius p. 357, 5, sive Suidas s. *Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον: — τὸ πρόσθεν εἰς τὸν Διόνυσον γράφοντες τούτοις ἠγωνίζοντο, ἅπερ καὶ σ α τ υ ρ ι κ ὰ ἐλέγετο, ὕστερον δὲ μεταβάντες εἰς τὸ τραγῳδίας γράφειν, κατὰ μικρὸν εἰς μύθους καὶ ἱστορίας ἐτράπησαν μηκέτι τοῦ θεοῦ μνημονεύοντες· ὅθεν καὶ τοῦτο* (ita scribendum) *ἐπεφώνησαν. καὶ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Θέσπιδος τὰ παραπλήσια ἱστορεῖ.* Quum igitur Thespidis aetate chororum satyricorum et cycliorum numeri eidem fuissent: Pratinas tamen postea satyris ab tragoedia secretis satyrici chori rhythmos quoque a dithyrambicis graviter deflexit, quae res e melicis Cyclopis Euripideae, in quibus nihil est dithyrambici, certo sequitur, nec metrici quidam ut Marius Victorinus II, 11, 7 probare contraria possunt. Eodem tempore, si non aliquanto prius dithyrambici poëtae, ut supra conjeci, seorsum choros cyclios Athenis ducere coeperunt. Tragici vero quum dramate mere satyrico recens invento pietati erga Bacchum plane satisfacerent: e tragoedia Phrynichea, quae ab ludicris Bacchi rebus abhorret, et dithyrambum, qui necessario cum Bacchi cultu cohaeret, et numeros dithyrambi removere conati sunt. Hinc chori tragicorum Phrynichei non amplius a dithyrambis pendent, a quibus adhuc pendere vulgo crediti sunt, propterea quod Thespidis chorus dithyrambicus cum Phrynichi et Aeschyli choro male confusus erat. Immo vinculis tragici chori et dithyrambici magis magisque solutis in utroque alia omnia exstiterunt, chori stationes, numerus personarum, saltationis genus, modi melopoiiae atque harmonia, argumentum consiliumque poetae, verborum compositio et novitas, ipsa denique utrorumque numerorum natura. Nam quis cum dithyrambo vetere, ut Pindari ap. Dionysium Hal. De Compos. Verb. c. 22, ullum Aeschyli chorum rhythmorum causa comparare ausit? Itaque quae Boeckhius quum alibi tum De metris Pindari III, c. 14 p. 274 scripsit, „tragicos dithyrambicae corruptionis in rhythmis plenos esse," ea omnino vere dicta esse negamus. Euripides sane in tragoediis recentioribus novae musicae corruptione infectus est. At praeterquam quod latius haec corruptela patuit et universam illo tempore poesin lyricam pervasit, omnis haec e recentioris formae dithyrambis contagio non tam ad choros Euripidis pertinuit, qui ne tum quidem antistrophici esse desierunt, quam ad monodias. Quanta enim inter dithyrambum monodiamque recentiorem similitudo intercesserit, ipse olim (De Monodiis Eurip. I p. 14) demonstravi. Sed haec licentia et quasi luxuries ne in monodias quidem Euripidis e vetusto illo, quo Thespis usus erat, sed e recentiore et eo longe diverso dithyrambo permanavit Melanippidis Melii, Cinesiae Atheniensis, Phrynidis Lesbii, Timothei Milesii, Philoxeni Cytherii. Jam dithyrambi et harmoniae phrygiae vestigia ab Aeschylo vix ulla, tenuissima a Sophocle relicta sunt, teste scriptore Vitae Sophocleae fin: *φησὶ δὲ Ἀριστόξενος, ὡς πρῶτος τῶν Ἀθήνηθεν ποιητῶν τὴν φρυγίαν μελοποιίαν εἰς τὰ ἴδια ᾄσματα παρέλαβε καὶ τῷ διθυραμβικῷ τρόπῳ κατέμιξεν.* At ne *νητοειδὴς* quidem tropos, quem Aristides Quintilianus De Musica p. 30 tragico opposuit: *τρόποι δὲ μελοποιίας γένει μὲν τρεῖς· διθυραμβικὸς, νομικὸς, τραγικός. ὁ μὲν οὖν νομικὸς τρόπος ἐστὶ νητοειδὴς, ὁ δὲ διθυραμβικὸς μεσοειδὴς, ὁ δὲ τραγικὸς ὑπατοειδής*, ne ille quidem a tragoedia abhorret, sed ad dochmiacos numeros ab Euripide in Oreste v. 140 sqq. adhibitus est, ad cujus carminis v. 170 scholium exstat egregium: *τοῦτο τὸ μέλος ἐπὶ ταῖς λεγομέναις νήταις ᾄδεται καὶ ἔστιν ὀξύτατον*, quod scholium ipsius Aeschyli auctoritate confirmare licet, qui item de dochmiacis in Agam. v. 1112: „*ὀρθίοις ἐν νόμοις*" (h. e. *ὀξυτάτοις*). Illuc revertor. Ego enim quum supra Phrynichum dixi, idem dixi Aeschylum, qui severam tragoediam a Phrynicho vix inchoatam longe melius perfecit et inter tragoediae auctores ab Horatio A. P. v. 279 loco a Thespide proximo repositus est. Aeschylus enim unus tragoediam ad tantum fastigium evexit, ut Aeschyli ingenio diceres ex ipsa Iliade ‚nescio quid majus natum esse Iliade'. Phrynichus igitur, primus (ut ait Plutarchus in Sympos. I, 1, 5) flebilis tragoediae auctor (Choerilum enim nemo hic quidem nominavit ac ne Pratinam quidem, melicum alioquin eximie praestantem) sed Phrynichus ante omnia dithyrambi tumorem, quasi aliquam tragoediae strumam videtur exsecuisse. Deinde

Phrynichus Polyphradmonis f. ut est apud Suidam s. v., muliebrem personam addidit et tetrametrum (trochaicum) invenit i. e. multo ante inventum ad tragoediam transtulit, sicut eundem ad comoediam Aristophanes ap. Suidam s. v.: malo enim hic Aristoteli Poët. IV, 18. adsentiri quam Meinekio Hist. Crit. Com. p. 150. Nam tragicis (Aeschylum semper excipio) singulis fere singula aut certe non multa simul nova inventa ab Suida tribuuntur, ut Choerilo, Pratinae, Neophroni Sicyonio, Sophocli, Euripidi. Jure autem tragoediam et inventam esse eodem tempore et perfectam Themistius Or. XXVI p. 382 Dind. negavit, ante quem Aristoteles Poët. IV, 14. de tragoedia diserte scripsit: *κατὰ μικρὸν ηὐξήθη — καὶ πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα* —. Ita etiam Phrynichus certo lyricos, fortassis etiam Sicyonios poetas et Phliasios, certo e tragicis atticis Thespin, fortasse Pratinam quoque aut Choerilum secutus est. At nos hodie non pauca, quae ab aliis poetis Phrynichus adsumserat, quum unde sumserit primum auctorem ignoremus, in unum omnia conferre Phrynichum coacti sumus. Hunc et lyricum fuisse excellentem et de tragoedia praeclare meritum esse non sum nescius; sed quaecunque Phrynicho tribuere soleo, si solus omnia invenisset, poeta ipso Aeschylo prope major videtur futurus fuisse. De argumentis, quis non *τὰ βακχικὰ πάθη* meminit, de quibus acuta conjectura est Lobeckii in Aglaoph. p. 693 (confer etiam ibid. p. 1103), quae ipsa *Διονύσου πάθη* nascenti tragoediae argumento fuisse C. O. Müller in Doriens. II p. 359 ed. Schneid. et ad Aesch. Eumen. p. 191 ingeniose finxit, partim probante ut videtur Lobeckio in Aglaoph. p. 688. Et in Thespidis fabulam *τὰ Διονύσου πάθη* fortassis cadere possunt, quae eadem a Phrynicho procul abhorrent. Immo verissime Suidas s. v. *Φρύνιχος*: — *ἐνίκα ἐπὶ τῆς ξζ' Ὀλυμπιάδος*. Etenim hac ipsa Olympiade (ante Chr. 510) Pisistratidae exacti sunt, a quibus frustra Phrynichus petiisset, ut sibi res a Baccho alienas Bacchi festo primum canere liceret. Sed apud populum vix liberum, si quid ad imminuendas veteres sub Pisistratidis caerimonias pertineret, id tum maxime multo tutius fuit et impetrabilius. Quanquam sic quoque primis Phrynichi fabulis illud vulgo succlamatum est: „*οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον*,“ cujus proverbii origo sane, uti Plutarcho Sympos. I, 1, 5 aliisque visum est, ad Phrynichi nostri tragoedias videtur referenda esse. Nempe Pisistratus olim non tam tragoediam Thespidis quam saltationem ejusdem juverat, sicuti multo post pantomimorum saltationibus impense favit Octavianus, auctore primum Maecenate, tum etiam Pylade monente (ap. Cassium Dionem LIV, 17, ubi pantomimus: *συμφέρει σοι, Καῖσαρ, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀποδιατρίβεσθαι*). Immo Phrynichus, in cujus tragoediis non *Λυκοῦργος, Πενθεὺς, Βάκχαι*, non ullum ejusmodi nomen sed alia omnia exstant, quum severam tragoediam nasci non posse vidisset, priusquam a Bacchi rebus quae pleraeque prope scurriles sunt abducta esset: primus aut inter primos ingentem rem aggressus, quae ad religiones pertineret victa Atheniensium superstitione tragoediam ipsam a Bacchi cultu et choros tragoediae a dithyrambo, hymno bacchico plane sejunxit. Maximam enim partem res mythicae (*μῦθοι καὶ πάθη* Plutarchus Sympos. I, 1, 5.) partim etiam ut in ‚Phoenissis‘ historicae neque tragoedia indignae tractatae sunt, sed paucis necdum satis decore, judice idoneo Aristophane, qui in Ranis v. 908 verbis *μώρους λαβὼν παρὰ Φρυνίχῳ τραφέντας* diverbia Phrynichi aperte vituperavit. Quem quum unico actore oporteret esse contentum, ita tragoedias scripsit, ut cum coryphaeo actor pauca interloqui soleret, pleraque autem longe pleraque e choris meris constarent. Quare Aristoteles et in Problem. XIX, 31 *τὰ μέλη* Phrynichi fuisse dicit *πολλαπλάσια τῶν μέτρων* et in Poët. IV, 16 ab Aeschylo chori carmina deminuta esse. Atque choros Phrynichi saepe ab ipso Aristophane summa laude celebrari videmus, velut in Vespis v. 220, ibid. v. 269, Avv. v. 749, Thesmoph. v. 166. Namque Phrynichi nostri temporibus lyrica Graecorum poesis maximo opere floruit, quam eandem Platonis (quem vide De Legg. III p. 700, E.) aetate recentiores lyrici mirifice corruperunt: *κεραννύντες* (verba sunt Platonis) *θρήνους τε ὕμνοις καὶ παίωνας διθυράμβοις καὶ αὐλῳδίας δὴ ταῖς κιθαρῳδίαις μιμούμενοι καὶ πάντα εἰς πάντα ξυνάγοντες κ. τ. ἑ.* Et Aeschylus quidem vi animos perfregit, Phrynichus autem voluptate perfuderat et jucunditate commendatus erat. Verum ut nos Demosthenem in quo maxima vis est dulci inprimis oratori

Hyperidi praeferre solemus: ita Aristophanes Aeschyli choros (*πολὺ πλεῖστα δὴ καὶ κάλλιστα μέλη*, his enim verbis in Ran. v. 1253 utitur) Phrynicheis profecto non postposuit. Quamobrem investiganda meliore Phrynichi, lyrici magis poëtae (Aristoteles Problem. XIX, 31) tragoedia non tam diverbia spectare debemus quam choros, qui tum ubique in eodem argumento versabantur. Nam Euripides demum multo post chorum suum nonnunquam aliena intercinere passus est more novo, quum Phrynichus in melicis ap. Pausaniam X, 31, 2 et haud dubie in omnibus choris rem egisset propositam. Qui ut quodam numinis afflatu tragoediam denuo conderet, Baccho excluso aliorum heroum graves miserabilesque casus non tam ab Homero quam a lyricis poetis sumsit, et sumsit magis quam elegit. Attamen inter lyricos quoque habuit, quem in materie non nimis dissimili insequi ducem posset, Stesichorum, epici carminis onera (ut bene Quintilianus) lyra sustinentem. Sed nonnullis in fabulis epicorum potius vestigiis videtur institisse. Praeterea tragici chori poëtarum Sicyoniorum jam tum exstabant, ad quorum exemplum Phrynicho vel maxime tragicos componere choros liceret. Adeo tragici chori jam ante Phrynichum reperti erant, qui ut ad lyricam poesin referuntur, ita singulare genus efficiunt et a caeteris hujus poesis partibus diversum. In summo autem fastigio tragicus chorus Phrynichi et Aeschyli stetit, quorum chorum Aristophanes non solum Euripidi verum etiam Sophocli anteponere non dubitavit. At tantus flos quum subito existere certe non potuerit, alii et ei boni poetae quos Phrynichus imitatus esse videatur, quaerendi atque circumspiciendi sunt. Primum igitur Phrynicho dithyrambis rejectis *ΘΡΗΝΟΙ* potissimum eorum lyricorum consulendi erant, quorum jam tum uti exemplis paullo ante Simonidem posset, quem in miseratione commovenda facile praecipuum fuisse accepimus. Sic et Euripidis choros Aristophanes in Ran. v. 1299 partim a threnis dixit pendere et ab Anacreonte Aeschylum atque Sophoclem scholiastes ad Prometheum v. 128: *ὁ ῥυθμὸς Ἀνακρεόντειός ἐστι κεκλασμένος πρὸς τὸ θρηνητικόν. ἐπεδήμησε γὰρ τῇ Ἀττικῇ Κριτίου ἐρῶν καὶ ἠρέσθη* (vulgo: *ἠράσθη*) *λίαν τοῖς μέλεσι τοῦ τραγικοῦ* (corrige: *ἠρέσθησαν λίαν τοῖς μέλεσιν αὐτοῦ οἱ τραγικοί*, eodemque redit Welckeri conjectura: *ἠρέσθη λ. τ. μέλεσιν αὐτοῦ ὁ τραγικός*). *ἐχρῶντο δὲ αὐτοῖς οὐκ ἐν παντὶ τόπῳ, ἀλλ' ἐν τοῖς θρηνητικοῖς, ὡς καὶ Σοφοκλῆς Τυροῖ β'*. Omnino multi lyrici, quos tragici imitati sint, a Pseudoplutarcho De Musica, in his etiam Sappho p. 1136 D afferuntur. Phrynichi quidem nostri carmina, quae scholiasta ad Ran. v. 1298 sq. non tam *τραγῳδικὰ* quam *κιθαρῳδικὰ* fuisse scribit i. e. non tam tragica quam lyrica nec tam ad tibiam cantata quam ad citharam, ex aliis lyricis tanquam fonte profluxerant, ex aliis Aeschylea, sicut Aristophanes ibidem v. 1295 testantem Aeschylum induxit: *ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ | λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων*. De qua re olim ad Ranas p. 393 conjecturas attuli parum veri similes. Hodie quosnam lyricos praeter Epigenem Phrynichus eximie secutus sit, me prorsus nescire fateor: sed Aeschylus in melicis permulta, velut praelongos versus dactylicos (Ran. v. 1293) ab Alcmane, Ibyco inprimisque ab Stesichoro sumsisse videtur, et eadem fere quae Plutarchus l. l. p. 1133 F Stesichoro, Aeschylo Timachidas ad Aristoph. Ran. v. 1282 attribuit.

Dixi Thespin inventorem tragoediae vulgo existimatum esse, quod primum actorem certo invenisset, Phrynichum autem actore Thespidis retento et argumentum tragoedia dignum tractare coepisse et chorum vere tragicum introduxisse chorique Phrynichei tantum fuisse splendorem, quantus postea in nullum tragicorum praeter unum Aeschylum cadere potuisse videatur. Quibus de rebus Hermannum l. l. p. 218 a Boeckhio frustra dissensisse arbitror. Restat, ut tragoediae, quae Thespidi antecessit, vestigia paucis persequi conemur. Principio Pseudoplato in Minoe p. 321 a. *ἡ τραγῳδία*, inquit, *ἐστὶ παλαιὸν ἐνθάδε, οὐχ ὡς οἴονται ἀπὸ Θέσπιδος ἀρξαμένη οὐδ' ἀπὸ Φρυνίχου, ἀλλ' εἰ θέλεις ἐννοῆσαι, πάνυ παλαιὸν αὐτὸ εὑρήσεις ὂν τῆσδε τῆς πόλεως εὕρημα*, quod ipse non ut „paradoxon“ (Bentlejus De Phalar. p. 279) proponit sed ut rem cogitatione investigatam. Hic igitur Atheniensibus jam ante Thespidis tempora tragoediam dat, similiterque iisdem „*πρὸ Θέσπιδος*“ Pollux IV, 123 fin. chorum tribuit: quem chorum Aristoteles docet fuisse dithyrambicum. Praeterea etiam haec Themistii Or. XXVI p. 382 Dind: *καὶ οὐ προσέχομεν Ἀριστοτέλει ὅτι τὸ μὲν πρῶτον*

ὁ χορὸς εἰσιὼν ᾖδεν εἰς τοὺς θεούς, Θέσπις δὲ πρόλογόν τε καὶ ῥῆσιν ἐξεῦρεν — et ad Athenienses et ad dithyrambum manifesto referenda sunt. Neque Diogenes L. III, 56: ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις — huic sententiae ullo modo adversatur. Enimvero haec Athenaei XIV p. 630, c.: συνεστήκει δὲ καὶ σατυρικὴ πᾶσα ποίησις τὸ παλαιὸν ἐκ χορῶν, ὡς καὶ ἡ τότε τραγῳδία· διόπερ οὐδὲ ὑποκριτὰς εἶχον, haec igitur magnam habent dubitationem. Athenis enim justae tragoediae fabula satyrica (quam antiquiorem fuisse praeter Aristotelem Poët. IV, 17 et § 18 Photius p. 357, 5 sive Suidas s. Οὐδὲν π. τ. Δ. testantur), huic satyricae rursus dithyrambi tempore praecesserunt. Quodsi oriens primum sine actore fabula Thespidis magis illa quidem satyrica tragoediae nomine dicenda est: tamen etiamtum usque ad Pratinae tempus cum satyris plane confusa erat. Itaque Athenis nullo tempore haec duo extiterunt, quae Athenaeus vere fuisse narrat, fabula satyrica et praeterea tragoedia, utraque e choris composita sine ullo histrione. In hos se laqueos Athenaeus induit: qui si de unis Athenis locutus est, quid scriberet nihil pensi habuit. Quapropter Athenaeus satyricam fabulam dixisse potest etiam Atticorum, tragoediam vero dixisse videtur Doriensium, praesertim quod haec non necessario ad Bacchum attineret. Quum enim satyrica fabula semper Bacchica fuerit, ex Athenaeo sequitur, antiquissimam tragoediam, quam ipse a satyris secernit, non semper Bacchicam fuisse. Ceterum de his Athenaei verbis quum Hermannus l. l. p. 218 minus apte disseruisset: postea in Praef. ad Eurip. Cycl. init. (p. V) multo melius tragoediae nomine ab Athenaeo dithyrambum dici conjecit, cujus tamen aliud atque Bacchicum argumentum fuisset. Nunc de re nimis obscura choro Doriensium ‚tragico' dicturus sum, licet in bicipiti somniasse Parnasso non meminerim. Verum ut Pyrrho duabus rationibus in statera examinatis postremo utra verior esset plane dicitur ignorasse: ita ego argumentis allatis et utraque parte similiter expensa ac paene exaequata ipsam rem in medio relinquam. Pertinent autem haec ad lyricam maxime poesin, quae omnino tot optimis poetis ex hoc ipso genere deperditis explicatus habet difficiles. Huc accedit, quod Athenienses invidia et odio occoecati ubique de Doriensium laude literaria detraxisse videntur, quum sibimet ipsi omnia vindicare solerent, antiquae autem Dorum gloriae etiam tacendo obtrectarent. In hunc Atheniensium livorem C. A. Böttiger in Opusc. p. 331 acerbius solito invectus est. Sed hic quoque ab Aristotele proficiscar, qui in Poët. III, 5: ἀντιποιοῦνται τῆς τε τραγῳδίας καὶ τῆς κωμῳδίας οἱ Δωριεῖς — τῆς τραγῳδίας ἔνιοι τῶν ἐν Πελοποννήσῳ —. Cui Doriensium sententiae primum mire favet ipsa dialectus sive doricae formae, quae in tragicorum choris (adde etiam comicorum) prope solae dominantur. Et Phliasiis quidem Dioscorides in Anthol. Pal. VII, 707, v. 4. (cf. ibid. 37, v. 3.) satyrici dramatis inventionem ob id maxime adsignasse videtur, quod Pratinam (qui tamen Athenis fabulas suas docuit) genere Phliasius fuit: in qua re cum Hermanno ad Aristot. Poët. p. 109 consentio. Dioscoridi adde scriptorem Vitae Sophocl. init. (Βιογράφοι p. 127 ed. Westerm.), qui de ipso Sophocle tragico: ἀπιστητέον καὶ τῷ Ἴστρῳ φάσκοντι αὐτὸν οὐκ Ἀθηναῖον ἀλλὰ Φλιάσιον εἶναι — εὑρεῖν, si modo ibi lectio Φλιάσιον et mox Φλιάσιος servanda est. Immo verissime Bentlejus De Phalar. p. 311 Aristotelis verba: ἔνιοι τῶν ἐν Πελοποννήσῳ inprimis de Sicyoniis accipienda esse judicavit, probe ille memor Themistii (Or. XXVII p. 406 ed. Dind.): τραγῳδίας εὑρεταὶ μὲν Σικυώνιοι, τελεσιουργοὶ δὲ Ἀττικοὶ ποιηταί. Nullius autem de hac re gravius testimonium est quam Herodoti V, 67: τά τε δὴ ἄλλα οἱ Σικυώνιοι ἐτίμων τὸν Ἄδρηστον καὶ δὴ πρὸς, τὰ πάθεα αὐτοῦ τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον, τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμέοντες, τὸν δὲ Ἄδρηστον. Κλεισθένης δὲ χοροὺς μὲν τῷ Διονύσῳ ἀπέδωκε, τὴν δὲ ἄλλην θυσίην τῷ Μελανίππῳ. Verbo ἀπέδωκε, quod C. O. Müller (Die Dorier I p. 408 ed. Schneidew.) mire interpretatus choros illos primum Dionyso ductos esse finxit, Herodotus id unum indicavit, choros per se Dionyso magis utpote deo quam Adrasto debitos fuisse. Immo Sicyonii primum tristes Adrasti casus choris tragicis prosequi Adrastum non item Liberum colentes soliti erant, tum vero Clisthenes hos choros Adrasti memoriae ademtos dicavit Libero. Ipsi autem Sicyoniorum chori quamvis et lugubres et sacri Adrasto

tamen et ab Müllero l. l. 408 et Hermanno l. l. p. 216 pro dithyrambicis habiti sunt, puto quod eosdem postea Clisthenis jussu ad Bacchum translatos esse constaret. Adde quod etiam phallica, per quae comoediis Aristoteles Poët. IV, 14 praelusum ait, Sicyoniis solemnia fuerunt teste Athenaeo XIV p. 621, f. et Semo p. 622 c: unde non mirum est, comoediae inventionem ab Oneste Anthol. Palat. XI, 32 Sicyonem repente transferri. At sive semper dithyrambi sive prius threni Adrasto cantati sunt, haec multo potius tenenda erunt, primum Sicyonios mala (*τὰ πάθεα*) herois sui cecinisse, tunc autem ipsum heroa initio non Bacchum fuisse sed Adrastum: quod utrumque a Thespidis fabula abhorret, Phrynichi autem choris tragicis exemplo esse sane potuit. Jam e poetis Sicyoniis Thespim atticum tempore secuti sunt Praxilla poëtria, cujus etiam dithyrambi exstiterant, Praxillam lyricam tragicus isque Euripidis in Medea dux Neophron Sicyonius, quem minime Alexandro Macedoni sed Aeschylo fere aequalem fuisse alibi ostendam. His tempore non paullo antecessit Bacchidas Sicyonius, poeta lyricus, cujus epigramma apud Athenaeum XIV p. 629, a exstat, et quem Thespidi ferme vel Choerilo tragicis aetate supparem vel his quoque vetustiorem fuisse suspicor. Alius vero poeta, qui in nostra causa momentum facit, Epigenes Sicyonius adhuc Adrasto necdum Dionyso choros duxit ideoque aetate superior fuit Clisthene, qui tyrannus una generatione Thespim antecessit. Ab hoc Epigene comicum Epigenem, qui Antiphani comico aequalis fuit, Bentlejus De Phalar. p. 279 recte ille quidem distinxit, sed frustra dubitavit, an Sicyonius Epigenes unquam vixisset, quem per comicum cognominem non magis quam per comicum Phrynichum tragicum ejusdem nominis poetam reddere suspectum licet. Quin quidem vixerit Epigenes Sicyonius et jure inter poëtas relatus sit, praeter Bentlejum l. l. vix quisquam ac ne Hermannus quidem ad Aristot. Poët. p. 104 dubitavit. Multo post idem Hermannus (Opusc. VII p. 217) eundem Epigenem defendit tanquam ‚dramaticae' tragoediae inventorem, oblitus dramaticam tragoediam omnium consensione Athenis non Sicyone neque ab Epigene sed longe serius a Thespide inventam esse. Sed priusquam quaeramus, qualis ille tragicus cujusve tragoediae inventor fuerit, testes interrogandi sunt. Incipiam a Photio p. 357, 5 sive Suida s. *Οὐδὲν π. τ. Δ.*, sive Apostolio XIII, 42 (T. II p. 584 ed. L.): *Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον: Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τραγῳδίαν εἰς αὐτὸν* (ita Photius et Apostolius, sed *εἰς τὸν Διόνυσον* Suidas) *ποιήσαντος ἐπεφώνησάν τινες τοῦτο, ὅθεν ἡ παροιμία. βέλτιον δὲ οὕτως* —. Quibus in locis *τραγῳδίαν εἰς τὸν Ἄδραστον ποιήσαντος* ex ipso Herodoto V, 67 corrigendum esse unus optime vidit C. O. Müller Dor. II p. 360 ed Schneid. Ceterum multo post Epigenem Achaeus tragoediam cui nomen erat *ΑΔΡΑΣΤΟΣ* teste Harpocratione s. *Ἀργᾶς* (p. 32, 17 ed. B.) Athenis docuit. Hic adde de Epigene nostro cod. Coislinianum ap. Leutschium Paroemiogr. I. p. 137: *τῆς γὰρ ποιήσεως τὸ πρῶτον ἐκ διθυράμβου τὴν καταρχὴν* (corrige, *τὴν ἀρχὴν*) *εἰληφυίας καὶ τὰ πρὸς τὸν Διόνυσον ἀνήκοντα πραγματευομένης, Ἐπιγένης ὁ Σικυώνιος οὐχ οὕτω ποιήσας ἤκουσε τοῦτον τὸν λόγον· οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον.* Desinam in Suidae s. *Θέσπις* locum memoria dignum: *Θέσπις, Ἰκαρίου πόλεως Ἀττικῆς, τραγικὸς ἑκκαιδέκατος ἀπὸ τοῦ πρώτου γενομένου τραγῳδιοποιοῦ Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τιθέμενος, ὡς δέ τινες, δεύτερος μετὰ Ἐπιγένην· ἄλλοι δὲ αὐτὸν πρῶτον τραγικὸν γενέσθαι φασίν.* Quam priscorum tragicorum successionem Lobeckius in Aglaoph. p. 975 vel ideo improbat, quod vix dubitari possit, quin Arion et huic similes alii illo ordine positi fuerint. Sane Arion tragicorum primus fuisse dicitur ab Jo. Tzetza ad Lycophr. p. 256 ed. Müll.: *τραγικοὶ δὲ ποιηταὶ Ἀρίων, Θέσπις, Φρύνιχος, Αἰσχύλος κ. τ. ἑ.* At fabulosus ille Arion etsi minime poeta fuit tragicus, tamen ab Hellanico aliisque pro dithyrambi inventore habitus est. Itaque hoc testimonium persona detracta fidem habet non minorem quam Aristotelis verba in Poet. IV, 14: *ἡ τραγῳδία — ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον.* Fortasse tamen Lobeckius Arioni similes alios tragicos aetate suppares, de quibus tacet, Aristolochum et Lysinum, qui in Pseudophalaridis Epistolis XVIII p. 102 atque XCIII p. 284 ed. Schäfer. memorantur, magis reformidavit, spectra verius tragoediae quam tragicos poëtas. Maxime vero Lobeckius Suidae tragicis XV ementitam epicorum successionem opposuit, h. e. Homeri stemma

ab genealogis fictum, de quo ipse ibid. I p. 323 sqq. optime disseruit. Et quum Agonis scriptor epicos Homero scilicet priores XV, et Charax XIV numeraverint: magna eis similitudo cum his XV tragicis intercedit. Verendum est enim ne XV tragicorum numerus utpote ad XV pseudepicos exactus fidem habere nequeat. Ex quo tamen minime sequitur, Suidae s. *Θέσπις* narrationem totam esse commentitiam. Nam Homerici stemmatis auctores quum soli scirent, quid Juno cum Jove fabulata esset, in rebus mere mythicis, tragicorum Thespide priorum scriptores in re historica versati sunt, in lyricae poeseos historia cum prima tragoedia conjunctae. Quare haec XV tragicorum series multo potius cum philosophorum in unaquaque schola successionibus apud Diogenem Laertium aliosque comparanda est. Nam id unum ab Lobeckio effectum est, ut apud Suidam s. *Θέσπις* numerus *ἑκκαιδέκατος* justa quadam suspicione vix carere possit. Fac pro eo *ὄγδοος* dicendum fuisse: habebis verbi causa duo parentes dithyrambi, duo item satyrici chori auctores, tres denique tragoediae Phrynicheae anteambulones. An quisquam erit, qui talia omnino quaerenda esse negare ausit? Quid igitur utilius cognitu est aut magis necessarium quam historia poeseos lyricae: de hac enim maxime nunc agimus. Fac denique XIV tragicos ac potius praecursores tragoediae de medio omnes tollendos esse (quod ne quis occipiat, graviter intercedo): unus tamen sic quoque qui loco moveri non possit Epigenes manebit. Tunc igitur Suidas s. *Θέσπις* hoc dicet, Epigenem Sicyonium primum omnium tragicorum fuisse et Thespin ab eo secundum, aliis tamen placere Thespin tragicum ordine primum exstitisse. Ego vero dudum vereor, ne Lobeckius quum stemma Homericum comparasset et ei soli pernimium tribuisset, primariam rem neglexerit. Hoc enim quaerendum erat, qui factum sit, ut Thespis ab aliis grammaticis decimus sextus, ab aliis post Epigenem secundus, ab aliis tragicus omnium primus fuisse diceretur. Apparet autem primum eos, qui Epigenem solum exciperent, non tantum huic plus quam caeteris XIV tribuisse, sed etiam Epigenem pro vere tragico poëta habuisse. Et hoc illud est, quod jam supra significavi, Epigenem qui Adrastum non Bacchum neque ludicras res sed lugubres caneret, poetam Phrynichi tragici quam Thespidis videri similiorem fuisse. Tum id quoque satis apparet, qui ne Epigene quidem ad hunc numerum relato ab Thespide tragoediam primum conditam esse dixissent, eos ipsum Epigenem cum aliis XIV exemtos voluisse, non quo Epigenes et caeteri aut nunquam vixissent aut certe non fuissent poetae, sed quod eos omnes lyricos fuisse poetas dicerent, tragicos autem negarent. Verum iisdem minime negandum erat, ab Epigene Sicyonio aliisque lyricis chori Atticorum tragici elementa lyrica, argumenta ipsosque rhythmos sumi potuisse. Ac si meam opinionem tantis rebus inserere licet, plane suspicor Epigenem omnino non tragicum poetam sed unice lyricum fuisse. Quum enim Aristoteles vel de Phrynichi tragoedia partim illa jam dramatica hisce verbis usus sit in Problem. XIX, 31: *οἱ περὶ Φρύνιχον ἦσαν μᾶλλον μελοποιοί*, non intelligo, quomodo tanto ante Thespin Epigenes lyrica poesi tum maxime vigente, dramate autem nondum invento poëta esse tragicus potuerit. Itaque quod Peloponnesii ac potissimum Sicyonii sibi tragoediam vindicarunt, id unice ad choros tragoediae spectare potuit. Fateor equidem ad inveniendam tragoediam Sicyoniis poetis per se ne opus quidem fuisse atque Phrynichum tragicum ab aliis lyricis, qui ante ipsum jam multi floruerant, lugubres modos repetere potuisse. Nunc autem quum ab Sicyoniis poetis choros tragicos ex parte pendere testis sit historia: suspicari cogimur, Phrynichum modos quoque suos ad priscos modos in memoriam Adrasti praeceptos partim accommodasse et Epigenis lyrici exemplum in choris imitatum esse. Chori enim tragici tametsi ad lyricam poesin referendi sunt, tamen in hac poesi, cujus notio generalis est, specie a caeteris hujus poesis partibus chori tragici magnopere distant. Quanquam vel sic Phrynichi chorus ab hymno Epigenis Sicyonii in magna similitudine diversus fuerit necesse est: quando Aeschylei chori reliquis ejusdem tragoediae partibus adeo illigati et tam arcte cum iis connexi sunt, ut inde divelli nullo modo posse videantur. Quamobrem et Boeckhium caeterosque et ex altera parte Lobeckium atque G. Hermannum, etsi neutros plane sequi duces audeo, tamen utrosque partem veri vidisse opinor nec tantum Hermanni lancem

propendere, ut Boeckhium quasi in altera lance positum deprimat. Ut enim Hermannus ‚tragoediam‘ lyricam exstitisse suo jure negavit: ita Boeckhius tragoediam atticam ab lyrica Doriensium poesi suspensam fuisse non minus recte perspexit. Qui quod nomine parum apto usus est ideoque ‚tragoediam lyricam‘ falso commentus esse dicitur: primum defensores Boeckhii, ut C. O. Müller (Die Dorier II. p. 408) cautius de ‚initiis tragoediae (lyricae) needum veris dramatis‘ locuti sunt, deinde videndum est, ne Boeckhii sententia omnino in verbi magis quam rei ipsius controversiam adducta sit. Certe ego cujusmodi tandem ‚tragoediam lyricam‘ esse voluerit, a Boeckhio nusquam sat clare dictum esse reperio. Quid, quod ipsi jam Graeci similiter ac Boeckhius voce „τραγῳδία“ abusi sunt. Nam ab Suida s. Σιμωνίδης Simonidi Ceo praeter alia etiam τραγῳδίαι (ita vulgo, sed τραγῳδία cod. Parisinus et schol. Aldinus ad Ar. Vespas v. 1411) tribuuntur, quas ego potius ‚threnodias‘ fuisse Lobeckio l. l. p. 977 prorsus adsentior. Ita plane poetis Thespide prioribus maximeque Sicyoniis ut Epigeni „τραγῳδίαι“ (hoc ipso nomine) ab Athenaeo XIV p. 630, c, ab Photio p. 357, 5, ab Suida s. Θέσπις et τραγικοὶ χοροὶ ab Herodoto V, 67 adsignantur. Qui ita locuti sunt, primum in re ipsa, ut supra dixi, habuerunt quod sequi recte liceret, tum ne verbo quidem plane lapsi sunt, sed in negligentiam quandam inciderunt. Praeclare autem docuit Bentlejus De Phalar. p. 315, cui Wesselingius ad Herodot. V, 67, non item C. A. Böttiger Opusc. p. 331 adsensus est, Herodotum et si qui alii ita locuti sunt, eos prolepsis figuram sive id anticipationis genus usurpasse, quod omnibus omnino scriptoribus commune sit. Huc accedit, quod et ipsum hoc nomen τραγῳδία apud novitios Graecos perlate patuisse scimus, ut recte Lobeckius in Agl. p. 977 et quod κωμῳδεῖν saepe est alios extra theatrum irridere, de qua re Perizonius ad Aelian. Varr. Hist. II, 13 p. 87 exposuit, et quod v. κωμῳδία haud raro de ‚satira‘ Romanorum usurpatur, uti nuper (De scriptoribus satiricis I p. 4) ostendimus. Quibus omnibus Meinekii locos in Hist. Com. p. 527 cumuli loco adjicere licet.

Explicavi, ut potui, tragoediae graecae origines atque sedulo cavi, ne quid nimis viderer adfirmasse. De comoediae autem incunabulis, re non minus impedita atque tragoediae primordiis innexa et ab iis suspensa, alius mihi seorsim dicendi locus constitutus est.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim ternis diebus h. IX recentiorem philosophiae christianae inde a Cartesio ad nostra usque tempora historiam enarrabit; 2) privatim quinis diebus h. X et diebus Jovis et Veneris h. IX. theologiam dogmaticam tradet; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim quinis diebus h. III epistolam ad Hebraeos interpretabitur; 2) privatim quinis diebus h. IV. Isagogen in N. Testamentum docebit; 3) publice conversatorium theologicum moderabitur binis horis definiendis.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice de die dominica quid scriptura sacra et ecclesia nostra statuat profitebitur, semel p. h. hora defin.; 2) privatim historiam sacram Veteris Foederis enarrabit quinis p. h. scholis, hora XII—I; 3) privatim Psalmos interpretabitur, quinquies p. h. hora XI—XII; 4) privatissime sed gratis selecta versionis bibliorum quam Peschito vocant nec non S. Ephraemi Syri capita explicanda proponet, binis p. h. horis definiendis.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies p. hebd. h. VIII, 2) privatim historiam dogmatum quinquies per hebd. h. XII enarrabit; 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario homiletico-catechetico die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

In ordine juridico.

D. Otto Mejer, P. P. O., h. IX encyclopaediam et methodologiam juris, h. XI jus publicum Germanicum quinquies per hebd. docebit.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., h. t. Decanus, 1) institutiones juris Romani tradet quinis per hebd. scholis h. XI; 2) jus here-

ditarium docebit quinis scholis h. XII; 3) collegium quod vocant practicum civile instituet die Saturni h. III—V vel aliis horis commodis.

D. Victor de Meibom, P. P. O., 1) jus privatum Germanicum quinis p. h. scholis h. III, 2) jus feudale ter h. IV, 3) introductionem in jus Meklenburgicum ter h. IV tradet.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., theoriam processus civilis ordinarii secundum jus commune tradet, juris particularis Meklenburgici habita ratione, sexies p. h. hora IX.

D. Theodorus Muther, P. P. O., 1) pandectas tradet duodenis per hebd. scholis h. X—XII; 2) exercitationes exegeticas habebit semel p. h. hora commoda.

In ordine medico.

D. Carolus Strempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., tradet: 1) encyclopaediam et methodologiam horis ternis; 2) pathologiam generalem horis binis; 3) disseret de morbis epizooticis et zoonusis hominis horis binis.

D. Carolus Bergmann, P. P. O., tradet: 1) anatomes c. h. partem primam senis p. hebd. horis; 2) anatomen comparatam ternis p. hebd. horis; 3) medicinam forensem in usum jurisconsultorum ternis p. hebd. horis; 4) exercitationes anatomicas assistente Prosectore L. Gronau diriget.

D. Gustavus Veit, P. P. O., h. t. Decanus, 1) artem obstetriciam quaternis p. h. scholis h. III docebit; 2) de morbis mulierum quaternis p. h. scholis h. II disseret; 3) exercitationes practicas in clinico obstetricio senis diebus h. VIII moderabitur.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomen pathologicam binis p. h. horis; 2) pathologiam et therapiam specialem senis diebus h. IX docebit; 3) exercitationes practicas in clinico medico senis diebus h. X moderabitur.

D. Gustavus Simon, P. P. O., docebit: 1) chirurgiae partem primam quaternis, 2) ophtalmologiae partem binis p. h. scholis; 3) exercitationes practicas in clinico chirurgico et ophthalmiatrico senis diebus moderabitur.

D. Theodorus Ackermann, P. P. E., privatim 1) quaestiones pathologicas et diagnosticas quaternis p. h. horis instituet; 2) materiam medicam quaternis p. h. horis docebit; 3) policlinicum medico-chirurgicum quaternis p. h. horis moderari perget.

D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum; 4) examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., privatim: 1) quaternis diebus h. VIII Aristophanis Ranas interpretabitur; 2) binis diebus h. VIII Horati sermones (lib. I^mum^) explicabit; 3) ternis diebus h. III antiquitates scenicas illustrabit. Horis consuetis Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Euripidis Andromache atque C. Plini Secundi Hist. Natur. Libb. XXXV seqq. tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., h. t. Rector, privatim docebit: 1) zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, senis diebus h. XI; 2) plantas cryptogamicas explicabit diebus Martis et Veneris h. X; publice 3) familias quasdam regni vegetabilis paulo accuratius tractabit diebus Lunae et Jovis h. X.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) quinquies p. h. culturam silvarum docebit h. IX; 2) de praedio rite administrando exponet quinis diebus h. III.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim: 1) ter p. h. Euripidis Jonem interpretabitur; 2) ter p. h. Propertii carmina explicabit; privatissime: 3) quater p. h. selecta capita Mythologiae graecae tractabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., h. t. Decanus, docebit publice 1) astronomiam popularem bis p. h.; privatim: 2) calculum differentialem, quater p. h.; 3) mineralogiam, quater p. h.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., 1) chemiam organicam docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. IV—VI; 2) physices partem alteram de calore, electricitate et magnetismo docebit et experimentis illustrabit diebus Martis et Jovis h. IV—VI; 3) exercitationes chemicas moderabitur, diebus Martis et Veneris h. VIII—XII, nec non quotidie horis commodis.

D. Carolus Bartsch, P. P. O., 1) publice de Goethio et Schillero disseret bis p. h.; 2) privatim grammaticam theotiscam tradet quaternis p. h. scholis; 3) Seminarii philologici teutonici moderari perget exercitationes.

D. Georgius Voigt, P. P. O., privatim: 1) historiam reipublicae Romanae docebit quater p. h.; publice 2) historiam nationis Germanicae a Caroli V. electione usque ad pacis Westfalicae compositionem enarrabit binis p. h. scholis; 3) exercitationibus historicis fontes medii aevi explicabit.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., 1) doctrinam oeconomiae publicae quinis diebus, 2) disciplinam publicam (Polizeiwissenschaft) tradet.

D. Fridericus Francke, P. P. E., publice 1) initia philosophiae, habita ratione ejus methodi et summae, breviter praescribet, quaternis p. h. dd.; 2) philosophiam historiae generis humani designabit, ternis p. h. dd.; privatim 3) metaphysicam quinis et 4) ethicam s. doctrinam morum philosophicam exponet, itidem quinis p. h. dd.

D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III—IV Thucydidis libros primos interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV—V Taciti historiarum libros explicabit; 3) binis diebus h. III—IV de vita Romanorum privata disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. Carolus Weinholtz privatim docebit: 1) organoidealismi institutiones ex systemate suo (Leipzig 1856); 2) de psychologiae, quae vulgo dicitur, et anthropologiae organico-psychicae discrimine, nec non de psychologiae illius infirmitate disseret.

D. Julius Robert 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam literarum francogallicarum saeculi 18mi docebit ter p. h.; 3) virorum literatorum, qui nunc florent imagines depinget publice bis p. h.

D. Ferdinandus de Roda in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit, quater p. h.

D. Salomo Gustavus Ludovicus Cohen: 1) scholas practicas veterinarias habebit in eorum usum qui agriculturae student; 2) de solea equorum ferrea additis demonstrationibus practicis exponet; 3) de equi specie externa, aetatis notis, cibo et curatione additis demonstrationibus practicis disseret.

D. E. John de cura agri horis definiendis tractabit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis patebit, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur
J. Roeper, Med. et Phil. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **J. Bachmann**, Th. D.
Jurisconsultorum **H. A. Schwanert**, J. U. D.
Medicorum **G. Veit**, M. D.
Philosophorum **H. Karsten**, Ph. D.

DOMUS ACADEMICAE
NUNC RESURGENTIS
FUNDATIONEM
A. D. XII M. MARTII A. D. CIↃ IↃ CCCLXVII
RITE PERAGENDAM
RECTOR ET CONCILIUM
UNIVERSITATIS LITERARUM ROSTOCHIENSIS
INDICUNT.

EMENDATIONUM LYSIACARUM
PARTEM PRIMAM
F. FRITZSCHIUS
PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.

Quum Lysiae orationes scholarum potissimum causa diligentius tractare coepissem, in multas incidi conjecturas, quarum partem hac ad scribendum occasione data tandem evulgabo. Brevi autem tempore ad Lysiam sive expurgandum sive perpoliendum magna quaedam facta est accessio: tantopere studia criticorum et curae in hoc oratore positae ponendaeque nunc fervent. Neque enim amplius, ut interpretes quidam vetusti, verba et literas solas aucupamur, sed cognitas jam res quoque habemus, quae oratoribus atticis insunt: quas ipsas si quis quaerere noluerit, ne verba quidem certo poterit invenire. Quod vero ad Lysiam pertinet, Herm. Sauppius et praeclare demonstravit unum Palatinum sive Heidelbergensem codicum reliquorum fontem esse et Florentini codicis sive Laurentiani, qui C est Bekkero, interpolationibus plurimis maximisque liberare hunc oratorem coepit. Inprimis autem C. Scheibius egregie de Lysia meritus est, quem scriptorem bis edidit adjuncta etiam meliore libri Heidelbergensis collatione, quae C. L. Kaysero debetur. Sed eodem fere tempore alii quoque et ii multi aliquid sibi de Lysia scribendum esse putarunt, quorum non unus, sicut ille ipse C. L. Kayer Lysiae multum sane profuit. Horum nonnullos, ut C. Foertschium veterem amicum honoris causa saepius nominassem, nisi hic brevitati dare operam coactus essem. Omnino autem priorum quorundam somnus criticorum nunc sepultus est, qui Lysiam corrigendum suscipere id esse ducebant medicinam dare mortuo et ob eam causam ab Lysia prorsus abhorrere solebant. Contra hodie ad Lysiae ejusdem studium tanquam ad communem bonarum emendationum officinam permultos undique videmus confluere. Tametsi sic quoque restituendi spes exigua ac prope nulla nobis relicta est. Nemo enim sperare potest fore, ut aut papyrus aut codex rescriptus, aut antiquus certe ac vere bonus codex usquam reperiatur, qui aliquot tamen orationes puriores a communi labe servaverit. Quamobrem primum nunc eos locos redintegrare omnino non licet, in quibus vel magna pars verborum funditus interiit, vel antiquum vitium non ipsum sed malam ejus correctionem et velut somnii aenigma traditum accepimus. Deinde si Heidelbergensis quoque codex talis est, qualem omnes uno ore esse fatentur, hoc est multiplici mendarum, vitiorum corruptionumque genere plenissimus: sequitur, ut in Lysia saepissime ad meram res redeat conjecturam, cujus conjecturae fundamentum rursus tanquam in aqua in libro Heidelbergensi ponendum est. Itaque nemo mirabitur, quod de tot Lysiae locis men-

dosis tam variae sunt criticorum tamque discrepantes sententiae. Veruntamen periculum est, ne nimia et plane ingenti conjecturarum mole mens juvenilis confundi atque adeo obrui videatur et ipsa ingeni acies quae acuenda erat hebescere. Quod ne quis temere ab nobis dictum esse arbitretur, legat quaeso vel A. Westermanni, viri in Lysia optime versati ‚Quaestionum Lysiacarum Partem Tertiam' (Lipsiae a. 1865 editam), in quo libello vir doctissimus omnes omnium conjecturas de locis unius orationis ‚in Eratosthenem' ad hunc diem propositas bene collegit. Quanquam autem plurimae conjecturae tum ab ingeni acumine tum attici sermonis scientia valde commendantur: tamen in tanto numero tamque immenso perpaucas equidem inesse judico, quibus emendationibus loci mendosi certo emendati sint. Adeo in plerisque conjecturis criticorum maxime antiquiorum artem admiror, usum desidero. Neque enim id agitur, ut subtilitas conjectorum atque doctrina ostendi possit, sed ut vero invento ipsa Lysiae manus in integrum restituatur. Vellem igitur criticos olim multo majorem cautionem atque prudentiam ad tantam rem adtulisse. Quid enim adtinebat ea fingere et in unius Lysiae codicibus facta credere, quae in nullo scriptoris graeci codice unquam accidisse hodie constat? Fuerunt autem olim, non dico qui membris totis permutandis vim facerent, sed qui summa imis miscendo Lysiam e Lysia paene sublatum vellent. Quamobrem C. G. Cobeti et similium quorundam qui nunc florent criticorum exemplum ad imitationem propono: qui si minus id quod vere ab Lysia scriptum erat ubique adsecuti sunt, id tamen semper fere conjecerunt, quod per se fieri saltem potuerit. Atque haec omnia velim in Lysia tractando juvenes nostri bene teneant iidemque cogitent, veniam criticis dandam esse antiquioribus, quippe qui ne ad malum quidem fontem libri Heidelbergensis accedere possent, sed coacti essent pejores etiam et turbidiores rivulos ubique consectari. Caeterum supersedi equidem de singulis locis nunc multa dicere, saepe tacui ideo quod lectores ipsos quoque cogitare voluissem et e Lysia, cujus simplex admodum sermo est, pleraque haurire (neque enim pueris talia scribuntur), interdum denique meam adnotationem Lysiae verbis subjeci. Eadem fere ratione nunc etiam in Luciani dialogis edendis versari soleo. Etsi centenos Luciani locos corrigere malo quam denos Lysiae neque dubito, quin in Lysia cum aliis ipse quoque saepius erraverim, praesertim in ejusmodi scriptore, qui (si quis alius) modestiam docere nos omnes debeat. Nam in quo oratore ne J. Bekker quidem isque vir etiamtum necdum senex satisfacere aliorum exspectationi potuerit, quis tanta erit confidentia, ut in eo unum se existimet nullos plane errores commisisse?

ΛΥΣΙΟΥ
ΚΑΤΑ ΕΡΑΤΟΣΘΕΝΟΥΣ
ΤΟΥ ΓΕΝΟΜΕΝΟΥ ΤΩΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ, ΟΝ ΑΥΤΟΣ ΕΙΠΕ ΛΥΣΙΑΣ.

Οὐκ ἄρξασθαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι, ὦ ἄνδρες δικασταί, τῆς κατηγορίας, 1
ἀλλὰ παύσασθαι λέγοντι. τοιαῦτα γὰρ αὐτοῖς τὸ μέγεθος καὶ τοσαῦτα τὸ πλῆθος εἴρ-
γασται, ὥστε μήτ' ἂν ψευδόμενον δεινότερα τῶν ὑπαρχόντων κατηγορῆσαι, μήτε
τἀληθῆ βουλόμενον εἰπεῖν ἅπαντα δύνασθαι, ἀλλ' ἀνάγκη ἢ τὸν κατήγορον ἀπει-
πεῖν ἢ τὸν χρόνον ἐπιλιπεῖν. τοὐναντίον δέ μοι δοκοῦμεν πείσεσθαι ἢ ἐν τῷ πρὸ 2
τοῦ χρόνῳ. πρότερον μὲν γὰρ ἔδει τὴν ἔχθραν τοὺς κατηγοροῦντας ἐπιδεῖξαι, ἥτις
εἴη πρὸς τοὺς φεύγοντας· νυνὶ δὲ παρὰ τῶν φευγόντων χρὴ πυνθάνεσθαι, ἥτις ἦν
αὐτοῖς πρὸς τὴν πόλιν ἔχθρα, ἀνθ' ὅτου τοιαῦτα ἐτόλμησαν εἰς αὐτὴν ἐξαμαρτά-
νειν. οὐ μέντοι ὡς οὐκ ἔχων οἰκείας ἔχθρας καὶ συμφορὰς τοὺς λόγους ποιοῦμαι,
ἀλλ' ὡς ἅπασι πολλῆς ἀφθονίας οὔσης ὑπὲρ τῶν ἰδίων, ἢ ὑπὲρ τῶν δημοσίων
ὀργίζεσθαι. ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταί, οὔτ' ἐμαυτοῦ πώποτε οὔτε ἀλλότρια 3
πράγματα πράξας νῦν ἠνάγκασμαι ὑπὸ τῶν γεγενημένων τούτου κατηγορεῖν, ὥστε
πολλάκις εἰς πολλὴν ἀθυμίαν κατέστην, μὴ διὰ τὴν ἀπειρίαν ἀναξίως καὶ ἀδυνάτως
ὑπὲρ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ ἐμαυτοῦ τὴν κατηγορίαν ποιήσωμαι· ὅμως δὲ πειράσομαι
ὑμᾶς ἐξ ἀρχῆς ὡς ἂν δύνωμαι δι' ἐλαχίστων διδάξαι.

Οὑμὸς πατὴρ Κέφαλος ἐπείσθη μὲν ὑπὸ Περικλέους εἰς ταύτην τὴν γῆν 4
ἀφικέσθαι, ἔτη δὲ τριάκοντα ᾤκησε· καὶ οὐδενὶ πώποτε οὔτε ἡμεῖς οὔτε ἐκεῖνος

---

1. *τοιαῦτα γὰρ* Contius, Hamaker et Westermannus. *τοιαῦτα* libri.

2. *ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἢ ὑπὲρ τῶν δημοσίων ὀργίζεσθαι* libri, quae mendosa esse Canter, Reiskius, Auger et Dobraeus certatim viderunt. equidem voce *ἢ* deleta transpono verba *ὑπὲρ τῶν ἰδίων* in hunc modum: — *καὶ συμφορὰς ὑπὲρ τῶν ἰδίων τοὺς λόγους ποιοῦμαι, ἀλλ' ὡς ἅπασι πολλῆς ἀφθονίας οὔσης ὑπὲρ τῶν δημοσίων ὀργίζεσθαι.* ita Lysias, qui videri vult causam agere potissimum privatam (§ 3: *ὑπὲρ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ ἐμαυτοῦ*), non solum rhetorici antitheti causa voces *ὑπὲρ τῶν ἰδίων* addiderit, sed prope necessario ut inquilinus, quem nisi ab Eratosthene coactus esset, per se parum decebat universae reip. causam simul tueri.

δίκην οὔτε ἐδικασάμεθα οὔτε ἐφύγομεν, ἀλλ' οὕτως ᾠκοῦμεν δημοκρατούμενοι, ὥστε
5 μήτε εἰς τοὺς ἄλλους ἐξαμαρτάνειν μήτε ὑπὸ τῶν ἄλλων ἀδικεῖσθαι. ἐπειδὴ δ' οἱ
τριάκοντα πονηροὶ καὶ συκοφάνται ὄντες εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, φάσκοντες
χρῆναι τῶν ἀδίκων καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν, ὡς τοὺς λοιποὺς πολίτας ἐπ' ἀρετὴν
καὶ δικαιοσύνην τραπέσθαι, τοιαῦτα λέγοντες οὐ τοιαῦτα ποιεῖν ἐτόλμων, ὡς ἐγὼ
περὶ τῶν ἐμαυτοῦ πρῶτον εἰπὼν καὶ περὶ τῶν ὑμετέρων ἀναμνῆσαι πειράσομαι.
6 Θέογνις γὰρ καὶ Πείσων ἔλεγον ἐν τοῖς τριάκοντα περὶ τῶν μετοίκων, ὡς εἶέν τινες
τῇ πολιτείᾳ ἀχθόμενοι· καλλίστην οὖν εἶναι πρόφασιν τιμωρεῖσθαι μὲν δοκεῖν, τῷ
δ' ἔργῳ χρηματίζεσθαι· πάντως δὲ τὴν μὲν πόλιν πένεσθαι τὴν δ' ἀρχὴν δεῖσθαι
7 χρημάτων. καὶ τοὺς ἀκούοντας οὐ χαλεπῶς ἔπειθον· ἀποκτιννύναι μὲν γὰρ
ἀνθρώπους περὶ οὐδενὸς ἡγοῦντο, λαμβάνειν δὲ χρήματα περὶ πολλοῦ ἐποιοῦντο.
ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς δέκα συλλαβεῖν, τούτων δὲ δύο πένητας, ἵνα αὐτοῖς ᾖ πρὸς τοὺς
ἄλλους ἀπολογία, ὡς οὐ χρημάτων ἕνεκα ταῦτα πέπρακται, ἀλλὰ συμφέροντα τῇ
8 πολιτείᾳ γεγένηται, ὥσπερ τι τῶν ἄλλων εὐλόγως πεποιηκότες. διαλαβόντες δὲ τὰς
οἰκίας ἐβάδιζον. καὶ ἐμὲ μὲν ξένους ἑστιῶντα κατέλαβον, οὓς ἐξελάσαντες Πείσωνί
με παραδιδόασιν· οἱ δὲ ἄλλοι εἰς τὸ ἐργαστήριον ἐλθόντες τὰ ἀνδράποδα ἀπεγρά-
φοντο. ἐγὼ δὲ Πείσωνα μὲν ἠρώτων, εἰ βούλοιτό με σῶσαι χρήματα λαβών· ὁ
9 δ' ἔφασκεν, εἰ πολλὰ εἴη. εἶπον οὖν ὅτι τάλαντον ἀργυρίου ἕτοιμος εἴην δοῦναι·
ὁ δ' ὡμολόγησε ταῦτα ποιήσειν. ἠπιστάμην μὲν οὖν ὅτι οὔτε θεοὺς οὔτ' ἀνθρώ-
πους νομίζει, ὅμως δ' ἐκ τῶν παρόντων ἐδόκει μοι ἀναγκαιότατον εἶναι πίστιν παρ'
10 αὐτοῦ λαβεῖν. ἐπειδὴ δὲ ὤμοσεν, ἐξώλειαν ἑαυτῷ καὶ τοῖς παισὶν ἐπαρώμενος,
λαβὼν τὸ τάλαντόν με σώσειν, εἰσελθὼν εἰς τὸ δωμάτιον τὴν κιβωτὸν ἀνοίγνυμι·
Πείσων δ' αἰσθόμενος εἰσέρχεται καὶ ἰδὼν τὰ ἐνόντα καλεῖ τῶν ὑπηρετῶν δύο καὶ
11 τὰ ἐν τῇ κιβωτῷ λαβεῖν ἐκέλευσεν. ἐπεὶ δὲ οὐχ ὅσον ὡμολόγητο εἶχεν, ὦ ἄνδρες
δικασταί, ἀλλὰ τρία τάλαντα ἀργυρίου καὶ τετρακοσίους Κυζικηνοὺς καὶ ἑκατὸν Δα-

---

5. *πονηροὶ μὲν* libri. Reiskius solus *μὲν* recte delevit, quod ita tantum servari potest, si post v. *ὄντες* tale quiddam excidit: [*χρηστοὶ δ' εἶναι λέγοντες*] —. nam apodosis certo incipit a verbis *φάσκοντες χρῆναι*, ut docent inferiora *τοιαῦτα λέγοντες* (,quum dicerent oportere — quum igitur talia dicerent').

ibid. *καὶ τοὺς λοιποὺς — τραπέσθαι* libri. vitium non in v. *τραπέσθαι* sed in vocula *καὶ* quaerendum erat. scribendum: *ὡς τοὺς λοιποὺς — τραπέσθαι* (i. e. ,ὥστε, ita ut').

ibid. *τραπέσθαι καὶ* libri. *καὶ* ab Marklando, Dobraeo, Rauchensteinio et Scheibio recte expunctum est.

6. *γενέσθαι τὴν* libri. recte Marklandus aliique: *πένεσθαι, τὴν δ'* —.

11. *ὡμολόγησα* Laurentianus falso, *ὡμολ‿* [ὁ] Palatinus, *ὡμολογοῦν* vel *ὡμολόγει* libri quatuor, *ὁμολογεῖν* Aldina. quum aliorum conjecturis uti non liceat, interim scribo: *ὡμολόγητο* (,quantum preti pactum erat').

ρεικοὺς καὶ φιάλας ἀργυρᾶς τέτταρας, ἐδεόμην αὐτοῦ ἐφόδιά μοι δοῦναι· ὁ δ' ἀγα-
πήσειν με ἔφασκεν, εἰ τὸ σῶμα σώσω. ἐξιοῦσι δ' ἐμοὶ καὶ Πείσωνι ἐπιτυγχάνει 12
Μηλόβιός τε καὶ Μνησιθείδης ἐκ τοῦ ἐργαστηρίου ἀπιόντες, καὶ καταλαμβάνουσι
πρὸς αὐταῖς ταῖς θύραις καὶ ἐρωτῶσιν, ὅποι βαδίζοιμεν· ὁ δ' ἔφασκεν, εἰς τἀδελ-
φοῦ τοῦ ἐμοῦ, ἵνα καὶ τὰ ἐν ἐκείνῃ τῇ οἰκίᾳ σκέψηται. ἐκεῖνον μὲν οὖν ἐκέ-
λευον βαδίζειν, ἐμὲ δὲ μεθ' αὑτῶν ἀκολουθεῖν εἰς Δαμνίππου. Πείσων δὲ προσελθὼν 13
σιγᾶν μοι παρεκελεύετο καὶ θαρρεῖν, ὡς ἥξων ἐκεῖσε. καταλαμβάνομεν δὲ αὐτόθι
Θέογνιν ἑτέρους φυλάττοντα· ᾧ παραδόντες ἐμὲ πάλιν ᾤχοντο. ἐν τοιούτῳ δ' ὄντι
μοι ἀποκινδυνεύειν ἐδόκει, ὡς τοῦ γε ἀποθανεῖν ὑπάρχοντος ἤδη. καλέσας δὲ 14
Δάμνιππον λέγω πρὸς αὐτὸν τάδε· ἐπιτήδειος μέν μοι τυγχάνεις ὤν, ἥκω δ' εἰς
τὴν σὴν οἰκίαν· ἀδικῶ δ' οὐδέν· χρημάτων δ' ἕνεκα ἀπόλλυμαι. σὺ οὖν ταῦτα
πάσχοντί μοι πρόθυμον παράσχου τὴν σεαυτοῦ δύναμιν εἰς τὴν ἐμὴν σωτηρίαν.
ὁ δ' ὑπέσχετο ταῦτα ποιήσειν. ἐδόκει δ' αὐτῷ βέλτιον εἶναι πρὸς Θέογνιν μνησ-
θῆναι· ἡγεῖτο γὰρ ἅπαν ποιήσειν αὐτόν, εἴ τις ἀργύριον διδοίη. ἐκείνου δὲ δια- 15
λεγομένου Θεόγνιδι, (ἔμπειρος γὰρ ὢν ἐτύγχανον τῆς οἰκίας καὶ ᾔδειν ὅτι ἀμφίθυρος
εἴη) ἐδόκει μοι ταύτῃ πειρᾶσθαι σωθῆναι, ἐνθυμουμένῳ ὅτι, ἐὰν μὲν λάθω, σωθή-
σομαι· ἐὰν δὲ ληφθῶ, ἡγούμην, εἰ μὲν Θέογνις εἴη πεπεισμένος ὑπὸ τοῦ
Δαμνίππου χρήματα λαβεῖν, οὐδὲν ἧττον ἀφεθήσεσθαι· εἰ δὲ μή, ὁμοίως ἀπο-
θανεῖσθαι. ταῦτα διανοηθεὶς ἔφευγον, ἐκείνων ἐπὶ τῇ αὐλείῳ θύρᾳ τὴν φυλακὴν 16
ποιουμένων· τριῶν δὲ θυρῶν οὐσῶν, ἃς ἔδει με διελθεῖν, ἅπασαι ἀνεῳγμέναι
ἔτυχον. ἀφικόμενος δὲ εἰς Ἀρχένεω τοῦ ναυκλήρου ἐκεῖνον πέμπω εἰς ἄστυ, πευσό-
μενον περὶ τοῦ ἀδελφοῦ· ἥκων δὲ ἔλεγεν ὅτι Ἐρατοσθένης αὐτὸν ἐν τῇ ὁδῷ λαβὼν
εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπαγάγοι. καὶ ἐγὼ τοιαῦτα πεπυσμένος τῆς ἐπιούσης νυκτὸς 17
διέπλευσα Μέγαράδε. Πολεμάρχῳ δὲ παρήγγειλαν οἱ τριάκοντα τοὐπ' ἐκείνων
εἰθισμένον παράγγελμα, πίνειν κώνειον, πρὶν τὴν αἰτίαν εἰπεῖν, δι' ἥντινα ἔμελλεν
ἀποθανεῖσθαι· οὕτω πολλοῦ ἐδέησε κριθῆναι καὶ ἀπολογήσασθαι. καὶ ἐπειδὴ 18
ἀπεφέρετο ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου τεθνεώς, τριῶν ἡμῖν οἰκιῶν οὐσῶν οὐδεμιᾶς εἴασαν
ἐξενεχθῆναι, ἀλλὰ κλισίον μισθωσάμενοι προὔθεντο αὐτόν. καὶ πολλῶν ὄντων ἱμα-
τίων αἰτοῦσιν οὐδὲν ἔδοσαν εἰς τὴν ταφήν, ἀλλὰ τῶν φίλων ὁ μὲν ἱμάτιον, ὁ δὲ
προσκεφάλαιον, ὁ δὲ ὅ τι ἕκαστος ἔτυχεν ἔδωκεν εἰς τὴν ἐκείνου ταφήν. καὶ ἔχοντες 19

---

12. *εἰς τἀδελφοῦ* Cobetus. *εἰς τὰ τοῦ ἀδελφοῦ* libri.

13. *ἀποκινδυνεύειν* Reiskius solus, recte. *κινδυνεύειν* libri.

15. *ἡγούμην, εἰ μὲν* Reiskius et alii. *ἡγούμην μὲν, εἰ* Palatinus, *ἡγούμην δὲ εἰ* libri duo.

17. *τὸ ἐπ'* Aldina, *τὸ ὑπ'* codices omnes. hinc crasin *τοὐπ'* restitui. ineptum est enim *ὑπό* et *ἐπί* necessarium.

19. *κτήσεσθαι* Dobraeus. *κτήσασθαι* libri.

ibid. *ἐκ τῶν ὤτων ἐξείλετο* libri. sed locum corruptum magis nuper corrupit nova interpunctio. immo corrigendum erat: *ἐκ τῶν ὤτων ἐξείλοντο.*

μὲν ἑπτακοσίας ἀσπίδας τῶν ἡμετέρων, ἔχοντες δὲ ἀργύριον καὶ χρυσίον τοσοῦτον, χαλκὸν δὲ καὶ κόσμον καὶ ἔπιπλα καὶ ἱμάτια γυναικεῖα, ὅσα οὐδεπώποτε ᾤοντο κτήσεσθαι, καὶ ἀνδράποδα εἴκοσι καὶ ἑκατὸν (ὧν τὰ μὲν βέλτιστα ἔλαβον, τὰ δὲ λοιπὰ εἰς τὸ δημόσιον ἀπέδοσαν) εἰς τοσαύτην ἀπληστίαν καὶ αἰσχροκέρδειαν ἀφίκοντο καὶ τοῦ τρόπου τοῦ αὑτῶν ἀπόδειξιν ἐποιήσαντο· τῆς γὰρ Πολεμάρχου γυναικὸς χρυσοῦς ἑλικτῆρας, οὓς ἔχουσα ἐτύγχανεν, ὅτε τὸ πρῶτον ἦλθεν εἰς τὴν
20 οἰκίαν Μηλόβιος, ἐκ τῶν ὤτων ἐξείλοντο. καὶ οὐδὲ κατὰ τὸ ἐλάχιστον μέρος τῆς οὐσίας ἐλέου παρ' αὐτῶν ἐτυγχάνομεν· ἀλλ' οὕτως εἰς ἡμᾶς διὰ τὰ χρήματα ἐξημάρτανον, ὥσπερ ἂν ἐχθροὶ μεγάλων ἀδικημάτων ὀργὴν ἔχοντες, οὐ τούτων ἀξίους γε ὄντας τῇ πόλει, ἀλλὰ πάσας μὲν τὰς χορηγίας χορηγήσαντας, πολλὰς δ' εἰσφορὰς εἰσενεγκόντας, κοσμίους δ' ἡμᾶς αὐτοὺς παρέχοντας καὶ πᾶν τὸ προσταττόμενον ποιοῦντας, ἐχθρὸν δ' οὐδένα κεκτημένους, πολλοὺς δ' Ἀθηναίων ἐκ τῶν πολεμίων λυσαμένους· τοιούτων ἠξίωσαν οὐχ ὁμοίως μετοικοῦντας ὥσπερ αὐτοὶ
21 ἐπολιτεύοντο. οὗτοι γὰρ πολλοὺς μὲν τῶν πολιτῶν εἰς τοὺς πολεμίους ἐξήλασαν, πολλοὺς δ' ἀδίκως ἀποκτείναντες ἀτάφους ἐποίησαν, πολλοὺς δ' ἐπιτίμους ὄντας
22 ἀτίμους κατέστησαν, πολλῶν δὲ θυγατέρας μελλούσας ἐκδίδοσθαι ἐκώλυσαν. καὶ εἰς τοσοῦτόν εἰσι τόλμης ἀφιγμένοι, ὥσθ' ἥκουσιν ἀπολογησόμενοι καὶ λέγουσιν ὡς οὐδὲν κακὸν οὐδ' αἰσχρὸν εἰργασμένοι εἰσίν· ἐγὼ δ' ἐβουλόμην ἂν αὐτοὺς ἀληθῆ
23 λέγειν· μετῆν γὰρ ἂν καὶ ἐμοὶ τούτου τἀγαθοῦ οὐκ ἐλάχιστον μέρος. νῦν δὲ οὔτε πρὸς τὴν πόλιν αὐτοῖς τοιαῦτα ὑπάρχει οὔτε πρὸς ἐμέ· τὸν ἀδελφὸν γάρ μου, ὥσπερ καὶ πρότερον εἶπον, Ἐρατοσθένης ἀπέκτεινεν, οὔτε αὐτὸς ἰδίᾳ ἀδικούμενος οὔτε εἰς τὴν πόλιν ὁρῶν ἐξαμαρτάνοντα, ἀλλὰ τῇ ἑαυτοῦ παρανομίᾳ προθύμως
24 ἐξυπηρετῶν. ἀναβιβασάμενος δ' αὐτὸν βούλομαι ἐρέσθαι, ὦ ἄνδρες δικασταί. τοιαύτην γὰρ γνώμην ἔχω· ἐπὶ μὲν τῇ τούτου ὠφελείᾳ καὶ πρὸς ἕτερον περὶ τούτου διαλέγεσθαι ἀσεβὲς εἶναι νομίζω, ἐπὶ δὲ τῇ τούτου βλάβῃ καὶ πρὸς αὐτὸν τοῦτον ὅσιον καὶ εὐσεβές. ἀνάβηθι οὖν μοι καὶ ἀπόκριναι, ὅ τι ἄν σε ἐρωτῶ.

25 Ἀπήγαγες Πολέμαρχον ἢ οὔ; Τὰ ὑπὸ τῶν ἀρχόντων προσταχθέντα δεδιὼς ἐποίουν. Ἦσθα δ' ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, ὅτε οἱ λόγοι ἐγίγνοντο περὶ ἡμῶν; Ἦν. Πότερον συνηγόρευες τοῖς κελεύουσιν ἀποκτεῖναι ἢ ἀντέλεγες; Ἀντέλεγον. Ἵνα

---

20. ὥσπερ ἂν ἕτεροι libri omnes mendose. equidem vix dubito scribere: ὥσπερ ἂν ἐχθροί, id quod verba inferiora: ἐχθρὸν δ' οὐδένα κεκτημένους magnopere confirmant.

ibid. πάσας μὲν τὰς Reiskius aliique. πάσας τὰς libri.

21. ἀτίμους Marklandus aliique. ἀτίμους τῆς πόλεως libri. (saepe ab initio novae codicum paginae in codd. additamenta prorsus aliena leguntur.)

24. ἀπόκριναι, ὅ τι Brunckius ad Aristoph. Pac. v. 118. ἀπόκριναι, εἴ τι libri.

25. ἵνα ἀποθάνωμεν ἢ μὴ ἀποθάνωμεν; Reiskius et alii. ἵνα μὴ ἀποθάνωμεν; Laurentianus. ἵνα ἀποθάνωμεν; caeteri libri.

*ἀποθάνωμεν ἢ μὴ ἀποθάνωμεν; Ἵνα μὴ ἀποθάνητε. Ἡγούμενος ἡμᾶς ἄδικα
πάσχειν ἢ δίκαια; Ἄδικα. Εἶτ', ὦ σχετλιώτατε πάντων, ἀντέλεγες μὲν, ἵνα σώσειας,* 26
*συνελάμβανες δὲ, ἵνα ἀποκτείνειας; καὶ ὅτε μὲν τὸ πλῆθος ἦν ὑμῶν κύριον τῆς
σωτηρίας τῆς ἡμετέρας, ἀντιλέγειν φὴς τοῖς βουλομένοις ἡμᾶς ἀπολέσαι· ἐπειδὴ δὲ
ἐπὶ σοὶ μόνῳ ἐγένετο καὶ σῶσαι Πολέμαρχον καὶ μὴ, εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπήγαγες;
εἶθ' ὅτι μὲν, ὡς φὴς, ἀντειπὼν οὐδὲν ὠφέλησας, ἀξιοῖς χρηστὸς νομίζεσθαι, ὅτι δὲ
συλλαβὼν ἀπέκτεινας, οὐκ οἴει ἐμοὶ καὶ τουτοισὶ δοῦναι δίκην;*

Καὶ μὴν οὐδὲ τοῦτο εἰκὸς αὐτῷ πιστεύειν, εἴπερ ἀληθῆ λέγει φάσκων ἀντειπεῖν, 27
*ὡς αὐτῷ προσετάχθη. οὐ γὰρ δή που ἐν τοῖς μετοίκοις πίστιν παρ' αὐτοῦ ἐλάμβανον.
ἐπεί τοι τῷ εἰκὸς ἦν προσταχθῆναι ὅστις ἀντειπών τε ἐτύγχανε καὶ γνώμην ἀποδε-
δειγμένος; τίνα γὰρ ἂν εἰκὸς ἦν ἧττον ταῦτα ὑπηρετῆσαι ἢ τὸν ἀντειπόντα οἷς ἐκεῖ-
νοι ἐβούλοντο πραχθῆναι; ἔτι δὲ τοῖς μὲν ἄλλοις Ἀθηναίοις ἱκανή μοι δοκεῖ* 28
*πρόφασις εἶναι τῶν γεγενημένων εἰς τοὺς τριάκοντα ἀναφέρειν τὴν αἰτίαν· αὐτοὺς
δὲ τοὺς τριάκοντα, ἐὰν εἰς σφᾶς αὐτοὺς ἀναφέρωσι, πῶς ὑμᾶς εἰκὸς ἀποδέχεσθαι;
εἰ μὲν γάρ τις ἦν ἐν τῇ πόλει ἀρχὴ ἰσχυροτέρα ταύτης, ὑφ' ἧς αὐτῷ προσετάττετο* 29
*παρὰ τὸ δίκαιον ἀνθρώπους ἀπολλύναι, ἴσως ἂν εἰκότως αὐτῷ συγγνώμην εἴχετε·
νῦν δὲ παρὰ τοῦ ποτὲ καὶ λήψεσθε δίκην, εἴπερ ἐξέσται τοῖς τριάκοντα λέγειν ὅτι
τὰ ὑπὸ τῶν τριάκοντα προσταχθέντα ἐποίουν; καὶ μὲν δὴ οὐκ ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἀλλ'* 30
*ἐν τῇ ὁδῷ σώζοντα αὐτὸν καὶ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα [φοβούμενον] συλλαβὼν ἀπή-
γαγεν. ὑμεῖς δὲ πάντες [ἐκείνοις] ὀργίζεσθε, ὅσοι εἰς τὰς οἰκίας ἦλθον τὰς ὑμε-
τέρας ζήτησιν ποιούμενοι ἢ ὑμῶν ἢ τῶν ὑμετέρων τινός. καίτοι εἰ χρὴ τοῖς διὰ* 31

---

26. *ἀποκτείνειας*; Kayser. *ἀποκτείνῃς* codices, *ἀποκτείνοις* edd. vett.

ibid. *δοῦναι δίκην*;] recte Madvigius: *δεῖν δοῦναι δίκην*;

27. *προσετάχθη* Reiskius. *ἐτάχθη* libri.

ibid. *ἐπεί τοι* Taylorus. *ἔπειτα* libri.

ibid. libri: *τῷ πίστιν εἰκὸς ἦν* (unus Laurentianus *οὐ πιστὸν* pro *πίστιν*). delevi *πίστιν* cum Marklando et Dobraeo, quem vide in Adversar. I, 1 p. 213.

ibid. *προσταχθῆναι ἢ ὅστις ἀντειπὼν γε* libri. *ἢ* delevi cum Dobraeo et cum Reiskio *ἀντειπών τε* scripsi.

ibid. *τίνα γὰρ ἂν* Cobetus. *τίνα γὰρ* libri.

29. *ταύτης, ὑφ' ἧς* Reiskius. *αὐτῆς, ὑφ' ἧς* libri.

ibid. *παρὰ τοῦ* Canter. *παρ' αὐτοῦ* libri.

30. libri: *σώζοντα αὐτὸν καὶ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα ὃν συλλαβών.* unus Laurent. habet *σώζων αὐτὸν* et postea *ὃν* omittit. vitiose scripta sanare convenit, non haec verba temere omnia delere. ego cum dubitatione supplevi: *σώζοντα αὐτὸν καὶ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα [φοβούμεν] ον συλλαβών* (i. e.: ‚quum servare se vellet et tyrannorum decreta pertimesceret').

ibid. libri: *πάντες ὀργίζεσθε* deficiente dativo. supplevi: *πάντες [ἐκείνοις] ὀργίζεσθε,* prorsus ut de eisdem paullo post scriptum est: *ἐκείνοις ἂν δικαιότερον ἔχοιτε.*

31. *χρὴ τοῖς* Reiskius et alii. *χρὴ τούτοις* libri.

τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν ἑτέρους ἀπολέσασι συγγνώμην ἔχειν, ἐκείνοις ἂν δικαιότερον ἔχοιτε· κίνδυνος γὰρ ἦν πεμφθεῖσι μὴ ἐλθεῖν καὶ καταλαβοῦσιν ἐξάρνοις γενέσθαι. τῷ δὲ Ἐρατοσθένει ἐξῆν εἰπεῖν ὅτι οὐκ ἀπήντησεν, ἔπειτα ὅτι οὐκ εἶδεν· ταῦτα γὰρ οὔτ᾽ ἔλεγχον οὔτε βάσανον εἶχεν, ὥστε μηδ᾽ ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν βουλομένων
32 οἷόν τ᾽ εἶναι ἐξελεγχθῆναι. χρῆν δέ σε, ὦ Ἐρατόσθενες, εἴπερ ἦσθα χρηστὸς, πολὺ μᾶλλον τοῖς μέλλουσιν ἀδίκως ἀποθανεῖσθαι μηνυτὴν γενέσθαι ἢ τοὺς ἀδίκως ἀπολουμένους συλλαμβάνειν. νῦν δέ σου τὰ ἔργα φανερὰ γεγένηται οὐχ ὡς ἀνιω-
33 μένου, ἀλλ᾽ ὡς ἡδομένου τοῖς γιγνομένοις. ὥστε τούσδε ἐκ τῶν ἔργων χρὴ μᾶλλον ἢ ἐκ τῶν λόγων τὴν ψῆφον φέρειν, ἃ ἴσασι γεγενημένα τῶν τότε λεγομένων τεκμήρια λαμβάνοντας, ἐπειδὴ μάρτυρας περὶ αὐτῶν οὐχ οἷόν τε παρασχέσθαι. οὐ γὰρ μόνον ἡμῖν παρεῖναι οὐκ ἐξῆν, ἀλλ᾽ οὐδὲ παρ᾽ αὑτοῖς εἶναι, ὥστ᾽ ἐπὶ τούτοις ἐστὶ πάντα τὰ κακὰ εἰργασμένοις τὴν πόλιν πάντα τἀγαθὰ περὶ αὑτῶν λέγειν.
34 τοῦτο μέντοι οὐ φεύγω, ἀλλ᾽ ὁμολογῶ σοι, εἰ βούλει, ἀντειπεῖν· θαυμάζω δὲ τί ἄν ποτ᾽ ἐποίησας συνειπὼν, ὁπότε ἀντειπεῖν φάσκων ἀπέκτεινας Πολέμαρχον. φέρε δὴ, τί ἂν εἰ καὶ ἀδελφοὶ ὄντες ἐτύχετε αὐτοῦ ἢ καὶ υἱεῖς; ἀπεψηφίζεσθ᾽ ἄν; δεῖ γὰρ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, Ἐρατοσθένην δυοῖν θάτερον ἀποδεῖξαι, ἢ ὡς οὐκ ἀπήγαγεν αὐτὸν, ἢ ὡς δικαίως τοῦτ᾽ ἔπραξεν. οὗτος δὲ ὡμολόγηκεν ἀδίκως συλλαβεῖν, ὥστε ῥᾳδίαν ὑμῖν
35 τὴν διαψήφισιν περὶ αὑτοῦ πεποίηκε. καὶ μὲν δὴ πολλοὶ καὶ τῶν ἀστῶν καὶ τῶν ξένων ἥκουσιν εἰσόμενοι τίνα γνώμην περὶ τούτων ἕξετε. ὧν οἱ μὲν ὑμέτεροι ὄντες πολῖται μαθόντες ἀπίασιν ὅτι ἢ δίκην δώσουσιν ὧν ἂν ἐξαμάρτωσιν, ἢ πράξαντες μὲν ὧν ἐφίενται τύραννοι τῆς πόλεως ἔσονται, δυστυχήσαντες δὲ τὸ ἴσον ὑμῖν ἕξουσιν· ὅσοι δὲ ξένοι ἐπιδημοῦσιν, εἴσονται πότερον ἀδίκως τοὺς τριάκοντα ἐκκηρύττουσιν ἐκ τῶν πόλεων ἢ δικαίως. εἰ γὰρ δὴ αὐτοὶ οἱ κακῶς πεπονθότες λαβόντες ἀφήσουσιν, ἦ που σφᾶς αὐτοὺς ἡγήσονται περιέργους ὑπὲρ ὑμῶν τιμωρουμένους.
36 οὔκουν δεινὸν, εἰ τοὺς μὲν στρατηγοὺς, οἳ ἐνίκων ναυμαχοῦντες, ὅτι διὰ χειμῶνα

---

32. *μέλλουσιν ἀδίκως*] *μέλλουσι δικαίως* Marklandus conjiciebat.

33. *μόνον ἡμῖν*] *μόνον ὑμῖν* Marklandus.

34. *ποτ᾽ ἐποίησας* Dobraeus et alii. *ποτε ποιήσαις* libri.

ibid. *ἀπεψηφίσασθε*; libri. Marklandus: *ἀπεψηφίσασθε ἄν*; Kayser autem: *ἀπεψηφίζεσθε*; ego scripsi: *ἀπεψηφίζεσθ᾽ ἄν*; sane enim imperfecto opus est, quum sermo sit de judicibus. tum syntaxis eadem saepius est apud Aristophanem, unde simul discas nullam hic esse lacunam, velut in Acharn. v. 543: *φέρ᾽, εἰ — καθῆσθ᾽ ἂν ἐν δόμοισιν*;

35. *ὅτι ἢ δίκην δώσουσιν*] sententiae causa sic transpono: *ἢ ὅτι δίκην δώσουσιν.*

ibid. *τιμωρουμένους* Marklandus et alii. *τηρομένους* Palatinus, *τηρουμένους* reliqui libri.

36. *ὅτι* Marklandus. *ὅτε* libri.

ibid. *ἐποίησαν ἡττηθῆναι ναυμαχοῦντας* Palatinus et vulgo, deficiente accusativo objecti. sed veram lectionem exhibere videntur Parisinus Vindobonensis et pr. m. Mosquensis: *ναυμαχοῦντες*, quam recepi (i. e. ‚qui id egerunt, ut ipsi vincerentur‘).

οὐχ οἷοί τ' ἔφασαν εἶναι τοὺς ἐκ τῆς θαλάττης ἀνελέσθαι, θανάτῳ ἐζημιώσατε, ἡγούμενοι χρῆναι τῇ τῶν τεθνεώτων ἀρετῇ παρ' ἐκείνων δίκην λαβεῖν· τούτους δέ, οἳ ἰδιῶται μὲν ὄντες καθ' ὅσον ἐδύναντο ἐποίησαν ἡττηθῆναι ναυμαχοῦντες, ἐπειδὴ δὲ εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, ὁμολογοῦσιν ἑκόντες πολλοὺς τῶν πολιτῶν ἀκρίτους ἀποκτιννύναι, οὐκ ἄρα χρὴ αὐτοὺς καὶ τοὺς παῖδας ὑφ' ὑμῶν ταῖς ἐσχάταις ζημίαις κολάζεσθαι;

Ἐγὼ τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἠξίουν ἱκανὰ εἶναι τὰ κατηγορημένα. μέχρι 37
γὰρ τούτου νομίζω χρῆναι κατηγορεῖν, ἕως ἂν θανάτου δόξῃ τῷ φεύγοντι ἄξια εἰργάσθαι· ταύτην γὰρ ἐσχάτην δίκην δυνάμεθα παρ' αὐτῶν λαβεῖν. ὥστ' οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ πολλὰ κατηγορεῖν τοιούτων ἀνδρῶν, οἳ οὐδ' ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου τῶν πεπραγμένων δὶς ἀποθανόντες δίκην δοῦναι δύναιντ' ἄν. οὐ γὰρ δὴ οὐδὲ τοῦτο 38
αὐτῷ προσήκει ποιῆσαι, ὅπερ ἐν τῇδε τῇ πόλει εἰθισμένον ἐστί, πρὸς μὲν τὰ κατηγορημένα μηδὲν ἀπολογεῖσθαι, περὶ δὲ σφῶν αὐτῶν ἕτερα λέγοντες ἐνίοτε ἐξαπατῶσιν, ὑμῖν ἀποδεικνύντες ὡς στρατιῶται ἀγαθοί εἰσιν, ἢ ὡς πολλὰς τῶν πολεμίων ναῦς ἔλαβον τριηραρχήσαντες, ἢ πόλεις πολεμίας οὔσας φίλας ἐποίησαν. ἐπεὶ 39
κελεύετε αὐτὸν ἀποδεῖξαι ὅπου τοσούτους τῶν πολεμίων ἀπέκτειναν, ὅσους τῶν πολιτῶν, ἢ ναῦς ὅπου τοσαύτας ἔλαβον, ὅσας αὐτοὶ παρέδοσαν, ἢ πόλιν ἥντινα τοιαύτην προσεκτήσαντο, οἵαν τὴν ὑμετέραν κατεδουλώσαντο. ἀλλὰ γὰρ ὅπλα τῶν 40
πολεμίων ἐσκύλευσαν ὅσαπερ ὑμῶν ἀφείλοντο; ἀλλὰ τείχη τοιαῦτα εἷλον, οἷα τῆς ἑαυτῶν πατρίδος κατέσκαψαν; οἵτινες καὶ τὰ περὶ τὴν Ἀττικὴν φρούρια καθεῖλον καὶ ὑμῖν ἐδήλωσαν ὅτι οὐδὲ τὸν Πειραιᾶ Λακεδαιμονίων προσταττόντων περιεῖλον, ἀλλ' ὅτι ἑαυτοῖς τὴν ἀρχὴν οὕτω βεβαιοτέραν ἐνόμιζον εἶναι. πολλάκις οὖν ἐθαυ- 41
μασα τῆς τόλμης τῶν λεγόντων ὑπὲρ αὐτοῦ, πλὴν ὅταν ἐνθυμηθῶ ὅτι τῶν αὐτῶν ἐστὶν αὐτούς τε πάντα τὰ κακὰ ἐργάζεσθαι καὶ τοὺς τοιούτους ἐπαινεῖν. οὐ γὰρ 42
νῦν πρῶτον τῷ ὑμετέρῳ πλήθει τὰ ἐναντία ἔπραξεν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν τετρακοσίων

---

37. *δίκην δοῦναι*] malim: *ἀξίαν δίκην δοῦναι* partim cum Marklando, qui *δίκην δοῦναι ἀξίαν*, partim Cobeto, qui *ἱκανὴν δίκην δοῦναι* conjecerunt. vide infra ad § 84 init.

38. *λέγοντες ἐνίοτε ἐξαπατῶσιν, ὑμῖν*] qui Bakii conjecturam *ὑμᾶς* minus probaverit, hac uti debebit transpositione: *λέγοντες ὑμῖν ἐνίοτε ἐξαπατῶσιν, —*.

ibid. *ἢ πόλεις* Marklandus. *πόλεις* libri.

40. *ὅπλα τῶν πολεμίων ἐσκύλευσαν*] equidem conjicio *ὅπλα* [*τοσαῦτα*] *τ. π. ἐ.* at licet etiam cum Reiskio: *ὅ. τ. π.* [*τοσαῦτα*] *ἐσκύλευσαν*, licet denique cum Scheibio: *ὅ. τ. π. ἐσκύλευσαν* [*τοσαῦτα*] —. certo hic *τοσαῦτα* excidit.

ibid. *ὅτι ἑαυτοῖς* sive *ὅτι αὑτοῖς* multi critici certatim. *οἷς αὐτοῖς* libri.

41. si haec omnia recte se haberent, necesse esset post verba *τ. τοιούτους ἐπαινεῖν* aliquid excidisse. nunc autem nihil excidit, sed pro *ὑπὲρ αὐτῶν*, quod e proximis *τῶν αὐτῶν ἐστὶν* natum videtur, *ὑπὲρ αὐτοῦ* corrigendum est: id quod Dobraeus l. l. p. 213, tum etiam Franckenius et Westermannus, non item alii critici viderunt.

ἐν τῷ στρατοπέδῳ ὀλιγαρχίαν καθιστὰς ἔφευγεν ἐξ Ἑλλησπόντου τριήραρχος καταλιπὼν τὴν ναῦν, μετὰ Ἰατροκλέους καὶ ἑτέρων, ὧν τὰ ὀνόματα οὐδὲν δέομαι λέγειν. ἀφικόμενος δὲ δεῦρο τἀναντία τοῖς βουλομένοις δημοκρατίαν εἶναι ἔπραττεν. καὶ τούτων μάρτυρας ὑμῖν παρέξομαι.

ΜΑΡΤΥΡΕΣ.

43 Τὸν μὲν τοίνυν μεταξὺ βίον αὐτοῦ παρήσω· ἐπειδὴ δὲ ἡ ναυμαχία καὶ ἡ συμφορὰ τῇ πόλει ἐγένετο, δημοκρατίας ἔτι οὔσης, ὅθεν τῆς στάσεως ἦρξαν, πέντε ἄνδρες ἔφοροι κατέστησαν ὑπὸ τῶν καλουμένων ἑταίρων, συναγωγεῖς μὲν τῶν πολιτῶν, ἄρχοντες δὲ τῶν συνωμοτῶν, ἐναντία δὲ τῷ ὑμετέρῳ πλήθει πράττοντες· ὧν
44 Ἐρατοσθένης καὶ Κριτίας ἦσαν. οὗτοι δὲ φυλάρχους τε ἐπὶ τὰς φυλακὰς κατέστησαν, καὶ ὅ τι δέοι χειροτονεῖσθαι καὶ οὕστινας χρείη ἄρχειν παρήγγελλον, καὶ εἴ τι ἄλλο πράττειν βούλοιντο, κύριοι ἦσαν· οὕτως οὐχ ὑπὸ τῶν πολεμίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τούτων πολιτῶν ὄντων ἐπεβουλεύεσθε, ὅπως μήτ' ἀγαθὸν μηδὲν
45 ψηφιεῖσθε πολλῶν τε ἐνδεεῖς ἔσεσθε. τοῦτο γὰρ καὶ ἠπίσταντο, ὅτι ἄλλως μὲν οὐχ οἷοί τε ἔσονται περιγενέσθαι, κακῶς δὲ πραττόντων δυνήσονται· καὶ ὑμᾶς ἡγοῦντο τῶν παρόντων κακῶν ἐπιθυμοῦντας ἀπαλλαγῆναι περὶ τῶν μελλόντων οὐκ ἐνθυμή-
46 σεσθαι. ὡς τοίνυν τῶν ἐφόρων ἐγένετο, μάρτυρας ὑμῖν παρέξομαι, οὐ τοὺς τότε συμπράττοντας (οὐ γὰρ ἂν δυναίμην), ἀλλὰ τοὺς αὐτοῦ Ἐρατοσθένους ἀκούσαντας.
47 καίτοι εἰ ἐσωφρόνουν, κατεμαρτύρουν ἂν αὐτῶν καὶ τοὺς διδασκάλους τῶν σφετέρων ἁμαρτημάτων σφόδρ' ἂν ἐκόλαζον· καὶ τοὺς ὅρκους οὐκ ἂν ἐπὶ μὲν τοῖς τῶν πολιτῶν κακοῖς πιστοὺς ἐνόμιζον, ἐπὶ δὲ τοῖς τῆς πόλεως ἀγαθοῖς ῥᾳδίως παρέβαινον. πρὸς μὲν οὖν τούτους τοσαῦτα λέγω, τοὺς δὲ μάρτυράς μοι κάλει. καὶ ὑμεῖς ἀνάβητε.

ΜΑΡΤΥΡΕΣ.

48 Τῶν μὲν μαρτύρων ἀκηκόατε. τὸ δὲ τελευταῖον εἰς τὴν ἀρχὴν καταστὰς ἀγαθοῦ μὲν οὐδενὸς μετέσχε, κακῶν δὲ πολλῶν. καίτοι εἴπερ ἦν ἀνὴρ ἀγαθός,

---

44. plane atticum est *φυλακὰς κατέστησαν* neque mutandum (i. e. ‚praesidia disposuerunt‘), quibus praesidiis tyrannis (nascens praesertim) carere non poterat. sed post *ἐπὶ τὰς* aliquot verba deesse videntur, quorum primum forsitan fuerit: *φυλάς*.

ibid. *ψηφιεῖσθε* Cobetus. *ψηφίσησθε* Palatinus et duo alii, *ψηφίσεσθε* reliqui libri.

45. *τοῦτο γὰρ καὶ ἠπίσταντο*] suppleo: *τοῦτο γὰρ καὶ [αὐτοὶ] ἠπίσταντο*, ut justa existat oppositio eorum quae sequuntur: *καὶ ὑμᾶς ἡγοῦντο* —.

47. *αὐτῶν* libri. unus Marklandus recte *αὑτῶν*. nam *οἱ τότε συμπράττοντες* dicuntur.

ibid. *τοὺς ὅρκους, εἰ ἐσωφρόνουν* libri. solus Dobraeus verba *εἰ ἐσωφρόνουν* ut e superioribus illis *καίτοι εἰ ἐσωφρόνουν* temere repetita suo jure delevit.

48. init. de re ipsa vide infra § 52 et § 58. *ἀγαθοῦ μὲν οὐδενὸς μετέσχεν, ἄλλων δὲ πολλῶν* libri plerique non sine miro euphemismo. sed pro *ἄλλων* Laurentianus *κακῶν*, uti Marklandus bene conjecerat. at Eratosthenes malorum facinorum non particeps fuisse dicendus est, sed primus

ἐχρῆν ἂν πρῶτον μὲν μὴ παρανόμως ἄρχειν, ἔπειτα τῇ βουλῇ μηνυτὴν γίγνεσθαι περὶ τῶν εἰσαγγελιῶν ἁπασῶν, ὅτι ψευδεῖς εἶεν καὶ Βάτραχος καὶ Αἰσχυλίδης οὐ τἀληθῆ μηνύουσιν, ἀλλὰ τὰ ὑπὸ τῶν τριάκοντα πλασθέντα εἰσαγγέλλουσι, συγκείμενα ἐπὶ τῇ τῶν πολιτῶν βλάβῃ. καὶ μὲν δή, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅσοι κακόνοι 49
ἦσαν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει, οὐδὲν ἔλαττον εἶχον σιωπῶντες· ἕτεροι γὰρ ἦσαν οἱ λέγοντες καὶ πράττοντες ὧν οὐχ οἷόν τ' ἦν μείζω κακὰ γενέσθαι τῇ πόλει. ὁπόσοι δ' εὖνοί φασιν εἶναι, πῶς οὐκ ἐνταῦθα ἔδειξαν, αὐτοί τε τὰ βέλτιστα λέγοντες καὶ τοὺς ἐξαμαρτάνοντας ἀποτρέποντες;

Ἴσως δ' ἂν ἔχοι εἰπεῖν ὅτι ἐδεδοίκει, καὶ ὑμῶν τοῦτο ἐνίοις ἱκανὸν ἔσται. 50
ὅπως τοίνυν μὴ φανήσεται ἐνί τῳ λόγῳ τοῖς τριάκοντα ἐναντιούμενος· εἰ δὲ μή, ἐνταυθοῖ δῆλος ἔσται ὅτι ἐκεῖνά τε αὐτῷ ἤρεσκε καὶ τοσοῦτον ἐδύνατο, ὥστε ἐναντιούμενος μηδὲν κακὸν παθεῖν ὑπ' αὐτῶν. χρῆν δ' αὐτὸν ὑπὲρ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ταύτην τὴν προθυμίαν ἔχειν, ἀλλὰ μὴ ὑπὲρ Θηραμένους, ὃς εἰς ὑμᾶς πολλὰ ἐξήμαρτεν. ἀλλ' οὗτος τὴν μὲν πόλιν ἐχθρὰν ἐνόμιζεν εἶναι, τοὺς δ' ὑμε- 51
τέρους ἐχθροὺς φίλους, ὡς ἀμφότερα ταῦτα ἐγὼ πολλοῖς τεκμηρίοις παραστήσω, καὶ τὰς πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν, ἀλλ' ὑπὲρ ἑαυτῶν γιγνομένας, ὁπότεροι μόνοι ταῦτα πράξουσι καὶ τῆς πόλεως ἄρξουσιν. εἰ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀδικου- 52
μένων ἐστασίαζον, ποῦ κάλλιον ἂν ἦν ἀνδρὶ ἄρχοντι, ἢ Θρασυβούλου Φυλὴν κατειληφότος, τότ' ἐπιδείξασθαι τὴν αὑτοῦ ἐξουσίαν; ὁ δ' ἀντὶ τοῦ ἐπαγγείλασθαί

---

eorum auctor exstitisse. quare post πολλῶν aliquid deest. et haec ipsa verba videntur deesse: κακῶν δὲ πολλῶν [αὐτὸς ἦρξεν.] καίτοι —. nam sic attici talem hominem dicere solent κακῶν ἄρχειν, velut Aeschylus Pers. 353, Eurip. Helen. 425, Pherecrates ap. Plutarchum Moral. p. 1141 (v. 3), Pausanias I, 25, 3. confer etiam Herodotum I, 2, Aeschyl. Agam. v. 1165, Aristoph. Pac. v. 605. quodsi Jacobsi conjectura ἀδίκων pro ἄλλων scribentis probari posset (quam premit oppositio ἀγαθοῦ μὲν — ἀδίκων δὲ minus commoda:) ita mallem supplere: ἀδίκων δὲ πολλῶν [αὐτὸς ὑπῆρξεν.] Graeci enim ὑπάρχειν ἀδίκων ἔργων dicere solent, uti Valckenaerius ad Herodot. VII, 9 ostendit.

50. ἐν τῷ λόγῳ libri absurde. corrigendum erat: ἐνί τῳ λόγῳ (i. e. ,vel uno verbo'). similiter, sed minus attice J. H. Lipsius Lipsiensis in Quaestt. Lys. p. 18 ἔν τῳ λόγῳ conjecit.

51. ὁπότεροί μοι Palatinus et caeteri libri praeter Laurent., qui om μοι. verissime Reiskius: ὁπότεροι μόνοι (i. e. ,sine alteris'). sed ταῦτα πράξουσι non minus recte habet, quam infra § 65: ταῦτ' ἔπραττεν.

52. ἄρξουσι. καὶ γὰρ libri. ἄρξουσιν. εἰ γὰρ Schottus et alii. plerique cum Cantero ἄρξουσι. καὶ γὰρ εἰ dederunt. at καὶ γὰρ εἰ ,nam etsi, nam etiamsi' potius denotare solet, quam ,etenim si'.

ibid. ἐπιδείξασθαι τὴν αὑτοῦ συνουσίαν libri inepte. probata omnibus Marklandi conjectura εὔνοιαν pro συνουσίαν hoc Lysiae loco nititur 18, 4: φανερὰν ἐπεδείξατο τὴν εὔνοιαν. at neque voces συνουσία et εὔνοια in codd. permiscentur et nostro loco potius ad verba praegressa ἀνδρὶ ἄρχοντι et proxima μετὰ τῶν συναρχόντων adtendendum erat. sed quid multa? Lysias ut supra resti-

τι ἢ πρᾶξαι ἀγαθὸν πρὸς τοὺς ἐπὶ Φυλῇ, ἐλθὼν μετὰ τῶν συναρχόντων εἰς Σαλα-
μῖνα καὶ Ἐλευσῖνάδε τριακοσίους τῶν πολιτῶν ἀπήγαγεν εἰς τὸ δεσμωτήριον, καὶ
53 μιᾷ ψήφῳ αὐτῶν ἁπάντων θάνατον κατεψηφίσατο. ἐπειδὴ δὲ εἰς τὸν Πειραιᾶ
ἤλθομεν καὶ αἱ ταραχαὶ γεγενημέναι ἦσαν καὶ περὶ τῶν διαλλαγῶν οἱ λόγοι ἐγίγνοντο,
πολλὰς ἑκάτεροι ἐλπίδας εἴχομεν [φιλίαν] πρὸς ἀλλήλους ἔσεσθαι ὡς ἀμφοτέροις
54 δόξαν. οἱ μὲν γὰρ ἐκ Πειραιῶς κρείττους ὄντες εἴασαν αὐτοὺς ἀπελθεῖν· οἱ δὲ
εἰς τὸ ἄστυ ἐλθόντες τοὺς μὲν τριάκοντα ἐξέβαλον πλὴν Φείδωνος καὶ Ἐρατοσθένους,
ἄρχοντας δὲ τοὺς ἐκείνοις ἐχθίστους εἵλοντο, ἡγούμενοι δικαίως ἂν ὑπὸ τῶν αὐτῶν
55 τούς τε τριάκοντα μισεῖσθαι καὶ τοὺς ἐν Πειραιεῖ φιλεῖσθαι. τούτων τοίνυν Φείδων
ὁ τῶν τριάκοντα γενόμενος καὶ Ἱπποκλῆς καὶ Ἐπιχάρης ὁ Λαμπτρεὺς καὶ ἕτεροι
οἱ δοκοῦντες εἶναι ἐναντιώτατοι Χαρικλεῖ καὶ Κριτίᾳ καὶ τῇ ἐκείνων ἑταιρείᾳ, ἐπειδὴ
αὐτοὶ εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, πολὺ μείζω στάσιν καὶ πόλεμον ἐπὶ τοὺς ἐν Πει-
56 ραιεῖ τοῖς ἐξ ἄστεος ἐποίησαν. ᾗ καὶ φανερῶς ἐπεδείξαντο ὅτι οὐχ ὑπὲρ τῶν ἐν
Πειραιεῖ οὐδ' ὑπὲρ τῶν ἀδίκως ἀπολλυμένων ἐστασίαζον, οὐδ' οἱ τεθνεῶτες αὐτοὺς
ἐλύπουν οὐδ' οἱ μέλλοντες ἀποθανεῖσθαι, ἀλλ' οἱ μεῖζον δυνάμενοι καὶ θᾶττον
57 πλουτοῦντες. λαβόντες γὰρ τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πόλιν ἀμφοτέροις ἐπολέμουν, τοῖς
τε τριάκοντα πάντα κακὰ εἰργασμένοις καὶ ὑμῖν πάντα κακὰ πεπονθόσι. καίτοι
τοῦτο πᾶσι δῆλον ἦν ὅτι, εἰ μὲν ἐκεῖνοι ἀδίκως ἔφευγον, ὑμεῖς δικαίως, εἰ δ' ὑμεῖς
ἀδίκως, οἱ τριάκοντα δικαίως· οὐ γὰρ δὴ ἑτέρων ἔργων αἰτίαν λαβόντες ἐκ τῆς
58 πόλεως ἐξέπεσον, ἀλλὰ τούτων. ὥστε σφόδρα χρὴ ὀργίζεσθαι, ὅτι Φείδων αἱρεθεὶς
ὑμᾶς διαλλάξαι καὶ καταγαγεῖν τῶν αὐτῶν ἔργων Ἐρατοσθένει μετεῖχε καὶ τῇ αὐτῇ
γνώμῃ τοὺς μὲν κρείττους αὐτῶν δι' ὑμᾶς κακῶς ποιεῖν ἕτοιμος ἦν, ὑμῖν δὲ ἀδίκως

---

tui scripserat: τὴν αὐτοῦ ἐξουσίαν, quod primo in ξυνουσίαν et porro in συνουσίαν corruptum est. significat autem ἐξουσία ,muneris auctoritatem' (Amtsgewalt) sive h. l. idem quod συναρχίαν. Eratosthenem enim e XXX viris fuisse constat.

53. γεγενημέναι ἦσαν] malim: ἐκγεγενημέναι ἦσαν (,desierant').

ibid. ἐλπίδας εἴχομεν πρὸς ἀλλήλους ἔσεσθαι ὡς ἀμφότεροι ἔδοξαν libri mendose. deest autem post εἴχομεν accusativus, fortasse φιλίαν, sicut ego supplevi. tum recte olim Scheibius, quod postea idem rejiciebat: ὡς ἀμφοτέροις δόξαν. atqui dictio est solemnis, ut in Lucian. Toxar. § 55: ἐδέοντο (οἱ πολέμιοι) φιλίαν ποιεῖσθαι —. ἐπὶ τούτοις ἐπείσθημεν, δόξαν πολὺ πρότερον Ἀρσακόμᾳ —.

οἷς
55. αὐτοὶ Marklandus. αὐτοὺς Palatinus, αὐτοὺς libri plerique.

ibid. ἐν πειραιεῖ ἢ libri. ἢ deleverunt Reiskius et alii.

56. ᾗ καὶ Reiskius. οἳ καὶ Palatinus et Laurent. ἢ καὶ duo libri, οἱ δὲ vulgo. licet tamen etiam ᾧ καὶ scribere cum Rauchensteinio.

57. εἰ μὲν ἐκεῖνοι δικαίως ἔφευγον, ὑμεῖς ἀδίκως· εἰ δ' ὑμεῖς ἀδίκως, οἱ τριάκοντα δικαίως libri absurde. recte Sluiter aliique: εἰ μὲν ἐκεῖνοι ἀδίκως ἔφευγον, ὑμεῖς δικαίως, caeteris servatis. hoc enim praestat Reiskiano: εἰ μὲν ἐκεῖνοι δικαίως ἔφευγον, ὑμεῖς ἀδίκως· εἰ δ' ὑμεῖς δικαίως, οἱ τριάκοντα ἀδίκως.

φεύγουσιν οὐκ ἠθέλησεν ἀποδοῦναι τὴν πόλιν, ἀλλ' ἐλθὼν εἰς Λακεδαίμονα ἔπειθεν
αὐτοὺς στρατεύεσθαι, διαβάλλων ὅτι Βοιωτῶν ἡ πόλις ἔσται, καὶ ἄλλα λέγων οἷς
ᾤετο πείσειν μάλιστα. οὐ δυνάμενος δὲ τούτων τυχεῖν, εἴτε τῶν ἱερῶν ἐμποδὼν 59
ὄντων εἴτε καὶ αὐτῶν οὐ βουλομένων, ἑκατὸν τάλαντα ἐδανείσατο, ἵνα ἔχοι ἐπι-
κούρους μισθοῦσθαι. καὶ Λύσανδρον ἄρχοντα ᾐτήσατο εὐνούστατον μὲν ὄντα τῇ
ὀλιγαρχίᾳ, κακονούστατον δὲ τῇ πόλει, μισοῦντα δὲ μάλιστα τοὺς ἐν Πειραιεῖ.
μισθωσάμενοι δὲ πάντας ἀνθρώπους ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς πόλεως καὶ [ὅλας] πόλεις 60
ἐπάγοντες καὶ τελευτῶντες Λακεδαιμονίους καὶ τῶν συμμάχων ὁπόσους ἐδύναντο
πεῖσαι, οὐ διαλλάξαι ἀλλ' ἀπολέσαι παρεσκευάζοντο τὴν πόλιν, εἰ μὴ δι' ἄνδρας
ἀγαθοὺς, οἷς ὑμεῖς δηλώσατε παρὰ τῶν ἐχθρῶν δίκην λαβόντες, ὅτι καὶ ἐκείνοις
χάριν ἀποδώσετε. ταῦτα δὲ ἐπίστασθε μὲν καὶ αὐτοὶ, καὶ οἶδ' ὅτι οὐ δεῖ μάρτυρας 61
παρασχέσθαι· ὅμως δ'· ἐγώ τε γὰρ δέομαι ἀναπαύσασθαι ὑμῶν τ' ἐνίοις ἥδιον
ὡς πλείστων τοὺς αὐτοὺς λόγους ἀκούειν.

ΜΑΡΤΥΡΕΣ.

Φέρε δὴ καὶ περὶ Θηραμένους ὡς ἂν δύνωμαι διὰ βραχυτάτων διδάξω. δέομαι 62
δ' ὑμῶν ἀκοῦσαι ὑπέρ τ' ἐμαυτοῦ καὶ τῆς πόλεως. καὶ μηδενὶ τοῦτο παραστῇ,
ὡς Ἐρατοσθένους κινδυνεύοντος Θηραμένους κατηγορῶ· πυνθάνομαι γὰρ ταῦτα
ἀπολογήσεσθαι αὐτόν· [ἀλλ'] ὅτι ἐκείνῳ φίλος ἦν καὶ τῶν αὐτῶν ἔργων μετεῖχε.
καίτοι σφόδρ' ἂν αὐτὸν οἶμαι μετὰ Θεμιστοκλέους πολιτευόμενον προσποιεῖσθαι 63

---

59. εἴτε τῶν ἱερῶν Reiskius. εἴτε καὶ τῶν ἱερῶν libri. atticum est enim εἴτε — εἴτε καὶ, non item εἴτε καὶ bis positum.

60. καὶ πόλεις ἐπάγοντες libri deficiente adjectivo. supplevi: καὶ [ὅλας] πόλεις ἐπάγοντες partim cum Cobeto, qui tamen malo ordine scripsit: καὶ πόλεις ὅλας ἐπάγοντες. atqui ad superiora πάντας ἀνθρώπους haec nostra referuntur.

ibid. οἷς Taylorus. οὓς libri.

61. ὡς πλείστων Reiskius. ὡς πλεῖστον libri.

62. ἀπολογήσεσθαι Vindobonensis. ἀπολογήσασθαι libri plerique.

ibid. αὐτὸν, ὅτι libri. in his verbis, non in superiore παραστῇ sedem vitii repperisse videor. quare supplevi: αὐτὸν, [ἀλλ'] ὅτι —. structura haec est: καὶ μηδενὶ τοῦτο παραστῇ, ὡς — ἀλλ' ὅτι —.

ibid. ἐκείνῳ Taylorus. ἐκείνοις libri.

63. σφόδρ' ironicum est, ut in Arist. Acharn. v. 71 et alibi. simile acerbitatis virus habere etiam proxima debent, in quibus nunc οὐ negatio ironiam tollit funditus. sic enim libri: καθαιρεθήσεται. οὐ γάρ μοι δοκοῦσιν ἴσου ἄξιοι γεγενῆσθαι. et negatione οὐ Kayser Scheibiusque bene offensi sunt, et recte Marklandus atque Reiskius judicarunt ante οὐ γάρ aliquid excitisse. restat ut nos ipsam Lysiae manum ita suppleamus: καθαιρεθήσεται. [πάνυ γ',] οὐ γάρ; μοι δοκοῦσιν ἴσου ἄξιοι γεγενῆσθαι. de particulis πάνυ γ', οὐ γάρ; apud oratores aliosque ironice conjunctis quum ego in Quaestt. Luc. p. 87, tum intpp. ad Demosth. II p. 668 et IV p. 237 ed. Schaef. non pauca scripsimus. alibi modo solum πάνυ γ', modo οὐ γάρ; ironice ponuntur, non tamen in Luc. Hermotim. § 17, ubi falsa est editoris nuperi conjectura: ἄξιον, οὐ γάρ;

πράττειν ὅπως οἰκοδομηθήσεται τὰ τείχη, ὁπότε καὶ μετὰ Θηραμένους ὅπως καθαιρεθήσεται. [πάνυ γ',] οὐ γάρ; μοι δοκοῦσιν ἴσου ἄξιοι γεγενῆσθαι· ὁ μὲν γὰρ Λακεδαιμονίων ἀκόντων ᾠκοδόμησεν αὐτά, οὗτος δὲ τοὺς πολίτας ἐξαπατήσας
64 καθεῖλε. περιέστηκεν οὖν τῇ πόλει τοὐναντίον ἢ ὡς εἰκὸς ἦν. ἄξιον μὲν γὰρ [ἦν] καὶ τοὺς φίλους τοὺς Θηραμένους προσαπολωλέναι, πλὴν εἴ τις ἐτύγχανεν ἐκείνῳ τἀναντία πράττων· νῦν δὲ ὁρῶ τάς τε ἀπολογίας εἰς ἐκεῖνον ἀναφερομένας τούς τ' ἐκείνῳ συνόντας τιμᾶσθαι πειρωμένους, ὥσπερ πολλῶν ἀγαθῶν αἰτίου, ἀλλ' οὐ
65 μεγάλων κακῶν γεγενημένου. ὃς πρῶτον μὲν τῆς προτέρας ὀλιγαρχίας αἰτιώτατος ἐγένετο, πείσας ὑμᾶς τὴν ἐπὶ τῶν τετρακοσίων πολιτείαν ἑλέσθαι. καὶ ὁ μὲν πατὴρ αὐτοῦ τῶν προβούλων ὢν ταῦτ' ἔπραττεν, αὐτὸς δὲ δοκῶν εὐνούστατος εἶναι τοῖς
66 πράγμασι στρατηγὸς ὑπ' αὐτῶν ᾑρέθη. καὶ ἕως μὲν ἐτιμᾶτο ἐν τῇ πόλει, πιστὸν ἑαυτὸν παρεῖχεν· ἐπειδὴ δὲ Πείσανδρον μὲν καὶ Κάλλαισχρον καὶ ἑτέρους ἑώρα προτέρους αὐτοῦ γιγνομένους, τὸ δὲ ὑμέτερον πλῆθος οὐκέτι βουλόμενον τούτων ἀκροᾶσθαι, τότ' ἤδη διά τε τὸν πρὸς ἐκείνους φθόνον καὶ τὸ παρ' ὑμῶν
67 δέος μετέσχε τῶν Ἀριστοκράτους ἔργων. βουλόμενος δὲ τῷ ὑμετέρῳ πλήθει δοκεῖν πιστὸς εἶναι Ἀντιφῶντα καὶ Ἀρχεπτόλεμον, φιλτάτους ὄντας αὐτῷ, κατηγορῶν ἀπέκτεινεν· εἰς τοσοῦτον δὲ κακίας ἦλθεν, ὥστε ἅμα μὲν διὰ τὴν πρὸς ἐκείνους πίστιν
68 ὑμᾶς κατεδουλώσατο, διὰ δὲ τὴν πρὸς ὑμᾶς τοὺς φίλους ἀπώλεσεν. τιμώμενος δὲ καὶ τῶν μεγίστων ἀξιούμενος, αὐτὸς ἐπαγγειλάμενος σώσειν τὴν πόλιν αὐτὸς

πιστεῦσαί σοι τοιαῦτα λέγοντι. caeterum in Lysia pro vulgato ἴσον ἄξιοι omnes fere codd. recte exhibent: ἴσου ἄξιοι. nam hoc ipsum ἴσου ἄξιος magis est saporis attici, quam ἰσάξιος, quo Porphyrius aliique seriorum uti non dubitant.

64. ὡς εἰκὸς ἦν. ἄξιον μὲν γὰρ libri. sed ἦν post γὰρ unus Reiskius addidit verissime, quod inserendum esse ex altero patet Imperfecto ἐτύγχανεν.

ibid. τοὺς Θηραμένους Scheibius Franciusque. τοῦ Θηραμένους libri. Θηραμένης in hac oratione est ὄνομα ἄναρθρον.

ibid. αἰτίου — γεγενημένου Bekker. αἰτίους — γεγενημένους libri.

65. ὑπ' αὐτοῦ libri inepte, quod natum videtur e superiore: πατὴρ αὐτοῦ. verissime Sauppius: ὑπ' αὐτῶν.

66. ἐτιμᾶτο, πιστὸν ἑαυτὸν τῇ πόλει παρεῖχεν libri absurde. ego timide conjeci: ἐτιμᾶτο ἐν τῇ πόλει, πιστὸν ἑαυτὸν παρεῖχεν. non male tamen Dobraeus et alii verba τῇ πόλει expunxerunt.

ibid. πραοτέρους libri inepte. plerique cum Cantero προτέρους, quod ita dici Dobraeus negat. et nescio an Jacobsi emendatio praestet: ὑπερτέρους.

67. διὰ δὲ] Cobetus: ἅμα δὲ διὰ —, nempe ob antegressa: ἅμα μὲν διὰ —. potuit ita scribi, non debuit.

68. ante τιμώμενος plura excidisse conjeceram veluti: [τὰ μὲν τοίνυν μεταξὺ παρήσω·] τιμώμενος δὲ —. cf. supra § 43. at lenius supplementum est Scheibi: ἀπώλεσεν. τιμώμενος δὲ [καὶ ὕστερον] καὶ τῶν μεγίστων —.

ἀπώλεσε, φάσκων πρᾶγμα εὑρηκέναι μέγα καὶ πολλοῦ ἄξιον. ὑπέσχετο δὲ εἰρήνην
ποιήσειν μήτε ὅμηρα δοὺς μήτε τὰ τείχη καθελὼν μήτε τὰς ναῦς παραδούς. ταῦτα
δὲ εἰπεῖν μὲν οὐδενὶ ἠθέλησεν, ἐκέλευσε δὲ αὐτῷ πιστεύειν. ὑμεῖς δέ, ὦ ἄνδρες 69
Ἀθηναῖοι, πραττούσης μὲν τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῆς σωτηρίαν, ἀντιλεγόντων
δὲ πολλῶν Θηραμένει, εἰδότες δὲ ὅτι οἱ μὲν ἄλλοι ἄνθρωποι τῶν πολεμίων ἕνεκεν
τἀπόρρητα ποιοῦνται, ἐκεῖνος δ' ἐν τοῖς αὑτοῦ πολίταις οὐκ ἠθέλησεν εἰπεῖν ταῦθ'
ἃ πρὸς τοὺς πολεμίους ἔμελλεν ἐρεῖν, ὅμως ἐπετρέψατε αὐτῷ πατρίδα καὶ παῖδας
καὶ γυναῖκας καὶ ὑμᾶς αὐτούς. ὁ δὲ ὧν μὲν ὑπέσχετο οὐδὲν ἔπραξεν, οὕτω δὲ 70
ἐνετεθύμητο ὡς χρὴ μικρὰν καὶ ἀσθενῆ γενέσθαι τὴν πόλιν, ὥστε περὶ ὧν οὐδεὶς
πώποτε οὔτε τῶν πολεμίων ἐμνήσθη οὔτε τῶν πολιτῶν ἤλπισε, ταῦθ' ὑμᾶς ἔπεισε
πρᾶξαι, οὐχ ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἀναγκαζόμενος, ἀλλ' αὐτὸς ἐκείνοις ἐπαγγελλόμενος,
τοῦ τε Πειραιῶς τὰ τείχη περιελεῖν καὶ τὴν ὑπάρχουσαν πολιτείαν καταλῦσαι· εὖ
εἰδὼς ὅτι, εἰ μὴ πασῶν τῶν ἐλπίδων ἀποστερήσεσθε, ταχεῖαν παρ' αὑτοῦ τὴν τιμωρίαν
κομιεῖσθε. καὶ τὸ τελευταῖον, ὦ ἄνδρες δικασταί, οὐ πρότερον εἴασε τὴν 71
ἐκκλησίαν γενέσθαι, ἕως ὁ λεγόμενος ὑπ' ἐκείνων καιρὸς ἐπιμελῶς ὑπ' αὐτοῦ ἐτηρήθη
καὶ μετεπέμψατο μὲν τὰς μετὰ Λυσάνδρου ναῦς ἐκ Σάμου, ἐπεδήμησε δὲ
τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον. τότε δὲ τούτων ὑπαρχόντων, καὶ παρόντων Λυσάν- 72
δρου καὶ Φιλοχάρους καὶ Μιλτιάδου, περὶ τῆς πολιτείας τὴν ἐκκλησίαν ἐποίουν, ἵνα
μήτε ῥήτωρ αὐτοῖς μηδεὶς ἐναντιοῖτο μηδὲ ἀπειλοίη ὑμεῖς τε μὴ τὰ τῇ πόλει συμφέροντα
ἕλοισθε, ἀλλὰ τἀκείνοις δοκοῦντα ψηφίσαισθε. ἀναστὰς δὲ Θηραμένης 73
ἐκέλευσεν ὑμᾶς τριάκοντα ἀνδράσιν ἐπιτρέψαι τὴν πόλιν, καὶ τῇ πολιτείᾳ χρῆσθαι
ἣν Δρακοντίδης ἀπέφαινεν· ὑμεῖς δ' ὅμως καὶ οὕτω διακείμενοι ἐθορυβεῖτε, ὡς
οὐ ποιήσοντες ταῦτα. ἐγιγνώσκετε γὰρ ὅτι περὶ δουλείας καὶ ἐλευθερίας ἐν ἐκείνῃ
τῇ ἡμέρᾳ ἐξεκλησιάζετε. Θηραμένης δέ, ὦ ἄνδρες δικασταί, (καὶ τούτων ὑμᾶς 74
αὐτοὺς μάρτυρας παρέξομαι) εἶπεν ὅτι οὐδὲν αὐτῷ μέλοι τοῦ ὑμετέρου θορύβου,
ἐπειδὴ πολλοὺς μὲν Ἀθηναίων εἰδείη τοὺς τὰ ὅμοια πράττοντας αὐτῷ, δοκοῦντα
δὲ Λυσάνδρῳ καὶ Λακεδαιμονίοις λέγοι. μετ' ἐκεῖνον δὲ Λύσανδρος ἀναστὰς ἄλλα

---

69. πραττούσης μ. τ. ἐ. Ἀ. π. β. σωτηρίαν] Marklandi conjectura σωτήρια pro σωτηρίαν explodenda est. cave mutes v. σωτηρίαν. vide Aristoph. Eccles. v. 396 et v. 401, ubi item abest articulus.

70. αὐτὸς ἐκείνοις Canter. αὐτοῖς (αὐτοὶ Aldina) ἐκείνοις libri.

ibid. ἀποστερήσεσθε Cobetus attice. ἀποστερηθήσεσθε libri.

71. ὑπ' ἐκείνων Marklandus. ὑπ' ἐκείνου libri.

72. ἐναντιοῖτο μήτε ἀπειλοῖτο libri. pro μήτε recte Emperius μηδὲ —. pro ἀπειλοῖτο ego conjeci ἀπειλοίη, Turicenses ἀπειλοῖ. quorum utrumvis praestat Cobeti (Nov. L. p. 627) conjecturae: διαπειλοῖτο. immo error natus est e verbo ἐναντιοῖ ΤΟ.

73. ἐξεκλησιάζετε Sauppius. ἐκκλησιάζετε libri.

74. ποιήσεθ' — κελεύει Cobetus. ποιήσαισθ' (vel ποιήσαιθ' vel ποιήσαθ') — κελεύοι libri.

τε πολλὰ εἶπε καὶ ὅτι παρασπόνδους ὑμᾶς ἔχοι, καὶ ὅτι οὐ περὶ πολιτείας ὑμῖν
75 ἔσται, ἀλλὰ περὶ σωτηρίας, εἰ μὴ ποιήσεθ' ἃ Θηραμένης κελεύει. τῶν δ' ἐν τῇ
ἐκκλησίᾳ ὅσοι ἄνδρες ἀγαθοὶ ἦσαν, γνόντες τὴν παρασκευὴν καὶ τὴν ἀνάγκην, οἱ
μὲν αὐτοῦ μένοντες ἡσυχίαν ἦγον, οἱ δ' ᾤχοντο ἀπιόντες, τοῦτο γοῦν σφίσιν αὐτοῖς
συνειδότες, ὅτι οὐδὲν κακὸν τῇ πόλει ἐψηφίσαντο· ὀλίγοι δέ τινες καὶ πονηροὶ καὶ
76 κακῶς βουλευόμενοι τὰ προσταχθέντα ἐχειροτόνησαν. παρηγγέλλετο γὰρ αὐτοῖς δέκα
μὲν οὓς Θηραμένης ἀπέδειξε χειροτονῆσαι, δέκα δὲ οὓς οἱ καθεστηκότες ἔφοροι
κελεύοιεν, δέκα δ' ἐκ τῶν παρόντων· οὕτω γὰρ τὴν ὑμετέραν ἀσθένειαν ἑώρων καὶ
τὴν αὑτῶν δύναμιν ἠπίσταντο, ὥστε πρότερον ᾔδεσαν τὰ μέλλοντα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ
77 πραχθήσεσθαι. ταῦτα δὲ οὐκ ἐμοὶ δεῖ πιστεῦσαι, ἀλλὰ ἐκείνῳ· πάντα γὰρ τὰ ὑπ'
ἐμοῦ εἰρημένα ἐν τῇ βουλῇ ἀπολογούμενος ἔλεγεν, ὀνειδίζων μὲν τοῖς φεύγουσιν,
ὅτι δι' αὐτὸν κατέλθοιεν οὐδὲν φροντίζοντα δὴ τῶν Λακεδαιμονίων, ὀνειδίζων δὲ
τοῖς τῆς πολιτείας μετέχουσιν, ὅτι πάντων τῶν πεπραγμένων τοῖς εἰρημένοις τρό-
ποις ὑπ' ἐμοῦ αὐτὸς αἴτιος γεγενημένος τοιούτων τυγχάνοι, πολλὰς πίστεις αὐτὸς
78 ἔργῳ δεδωκὼς καὶ παρ' ἐκείνων ὅρκους εἰληφώς. καὶ τοσούτων καὶ ἑτέρων κακῶν
καὶ αἰσχρῶν καὶ πάλαι καὶ νεωστὶ καὶ μικρῶν καὶ μεγάλων αἰτίου γεγενημένου τολ-
μήσουσιν αὑτοὺς φίλους ὄντας ἀποφαίνειν, οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν ἀποθανόντος Θηρα-
μένους, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς αὑτοῦ πονηρίας, καὶ δικαίως μὲν ἐν ὀλιγαρχίᾳ δίκην δόντος

---

76. in illa ipsa concione Athenienses facere imperata jussi sunt. ergo recte libri omnes *παρηγγέλλετο*, pro quo Cobetus male conjiciebat: *παρήγγελτο*.

77. *οὐδὲν φροντίζων δὲ τῶν Λακεδαιμονίων* libri praeter unum Laurent., qui om *οὐδέν*. ego dubitanter conjeci: *οὐδὲν φροντίζοντα δὴ τῶν Λακ.*, ut *δή* sit ironicum. exules sua opera restitutos dixit, quum ipse nihil scilicet curaret Lacedaemonios (quasi invitos, quum revera Lysander Laco restituendorum auctor fuisset). at plerisque criticis Dobraei conjectura probata est: *οὐδὲν φροντιζόντων Λακεδαιμονίων*, cujus sententiam me fateor non intelligere (Dobraeus ita vertit: ‚Lacedaemoniis nil tale conantibus', quod in graecis non inest): ne dicam male tunc deesse genetivum. nihilo magis in sententiam cadit alia conjectura auctore incerto: *οὐδὲν φροντίζων τῶν Λακεδαιμονίων.*

ibid. verissime Palatinus cod.: *τοιούτων τυγχάνοι.* vide si opus Eurip. Troad. v. 501 locum geminum et similes Hecub. v. 372, ibid. v. 1258, Jon. v. 1628, Herc. Fur. v. 265, Iphig. Aul. v. 1337. at Cobeto, qui in Novv. Lect. p. 202 h. l. *τοιούτων αὐτῶν τυγχάνοι* conjiciebat, accidit quod saepius, ut non cogitaret atticos modo non uno unam rem enuntiare scivisse.

ibid. *αὐτὸς* Marklandus. *αὐτοῖς* Laurentianus, *αὐτῷ* libri caeteri.

78. *οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν ἀποθανόντος Θηραμένους, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς αὑτοῦ πονηρίας*] male Cobetus *ἀλλ' ὑπὸ τῆς* conjecit, sublata paronomasia rhetorica: *οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν — ἀλλ' ὑπὲρ* (pro vulgari *ἀλλ' ὑπὸ* —), quae figura hic acumine et acerbitate non caret.

ibid. *ἤδη γὰρ αὐτὴν κατέλυσε*] recte Dobraeus *κατέλυε* scribi posse negavit. immo post *ἤδη γὰρ* aliquid excidit. suppleo: *ἤδη γὰρ [καὶ πρότερον] αὐτὴν κατέλυσε.* frequens est *ἤδη καὶ πρότερον*, ut in Lucian. Jov. Conf. § 10, sed *ἤδη ποτὲ καὶ ἄλλοτε* (ita in Hermotim. § 24) et rarum est et ab h. l. alienum.

(ἤδη γὰρ αὐτὴν κατέλυσε), δικαίως δ' ἂν ἐν δημοκρατίᾳ· δὶς γὰρ ὑμᾶς κατεδουλώσατο, τῶν μὲν παρόντων καταφρονῶν, τῶν δὲ ἀπόντων ἐπιθυμῶν, καὶ τῷ καλλίστῳ ὀνόματι χρώμενος δεινοτάτων ἔργων διδάσκαλος καταστάς.

Περὶ μὲν τοίνυν Θηραμένους ἱκανά μοί ἐστι τὰ κατηγορημένα· ἥκει δ' ὑμῖν 79
ἐκεῖνος ὁ καιρὸς, ἐν ᾧ δεῖ συγγνώμην καὶ ἔλεον μὴ εἶναι ἐν ταῖς ὑμετέραις γνώμαις, ἀλλὰ παρὰ Ἐρατοσθένους καὶ τῶν τουτουὶ συναρχόντων δίκην λαβεῖν, μηδὲ μαχομένους [μὲν] κρείττους εἶναι τῶν πολεμίων, ψηφιζομένους δὲ ἥττους τῶν ἐχθρῶν. μηδ' ὧν φασὶ μέλλειν πράξειν πλείω χάριν αὐτοῖς ἴστε, ἢ ὧν ἐποίησαν 80
ὀργίζεσθε· μηδ' ἀποῦσι μὲν τοῖς τριάκοντα ἐπιβουλεύετε, παρόντας δ' ἀφῆτε· μηδὲ τῆς τύχης, ἣ τούτους παρέδωκε τῇ πόλει, κάκιον ὑμῖν αὐτοῖς βοηθήσητε.
κατηγόρηται δὴ Ἐρατοσθένους καὶ τῶν τούτου φίλων, οἷς τὰς ἀπολογίας ἀνοίσει 81
καὶ μεθ' ὧν αὐτῷ ταῦτα πέπρακται. ὁ μέντοι ἀγὼν οὐκ ἐξ ἴσου τῇ πόλει καὶ Ἐρατοσθένει· οὗτος μὲν γὰρ κατήγορος καὶ δικαστὴς αὐτὸς ἦν τῶν ἀπαγομένων, ἡμεῖς δὲ νυνὶ εἰς κατηγορίαν καὶ ἀπολογίαν καθέσταμεν. καὶ οὗτοι μὲν τοὺς οὐδὲν 82
ἀδικοῦντας ἀκρίτους ἀπέκτειναν, ὑμεῖς δὲ τοὺς ἀπολέσαντας τὴν πόλιν κατὰ τὸν νόμον ἀξιοῦτε κρίνειν, παρ' ὧν οὐδ' ἂν παρανόμως βουλόμενοι δίκην λαμβάνειν ἀξίαν τῶν ἀδικημάτων ὧν τὴν πόλιν ἠδικήκασι λάβοιτε. τί γὰρ ἂν παθόντες δίκην τὴν ἀξίαν εἴησαν τῶν ἔργων δεδωκότες; πότερον εἰ αὐτοὺς ἀποκτείναιτε καὶ τοὺς 83
παῖδας αὐτῶν, ἱκανὴν ἂν τοῦ φόνου δίκην λάβοιμεν, ὧν οὗτοι πατέρας καὶ υἱεῖς καὶ ἀδελφοὺς ἀκρίτους ἀπέκτειναν; ἀλλὰ γὰρ εἰ τὰ χρήματα τὰ φανερὰ δημεύσαιτε, καλῶς ἂν ἔχοι ἢ τῇ πόλει, ἧς οὗτοι πολλὰ εἰλήφασιν, ἢ τοῖς ἰδιώταις, ὧν τὰς οἰκίας ἐξεπόρθησαν; ἐπειδὴ τοίνυν πάντα ποιοῦντες [ἱκανὴν] δίκην παρ' αὐτῶν οὐκ ἂν 84
δύναισθε λαβεῖν, πῶς οὐκ αἰσχρὸν ὑμῖν καὶ ἥντινοῦν ἀπολιπεῖν, ἥντινά τις βούλοιτο παρὰ τούτων λαμβάνειν; πᾶν δ' ἄν μοι δοκεῖ τολμῆσαι, ὅστις νυνὶ οὐχ ἑτέρων ὄντων τῶν δικαστῶν, ἀλλ' αὐτῶν τῶν κακῶς πεπονθότων, ἥκει ἀπολογησόμενος

---

79. *μηδὲ μαχομένους*] optime Reiskius: *μηδὲ μαχομένους μὲν* —.

81. *κατηγορεῖτε δὲ* libri. recte, puto, Bakius: *κατηγόρηται* et Scheibius praeterea *δὴ* pro *δέ*.

ibid. *τῶν γινομένων* libri plerique, *τῶν γενημένων* Vindob., *τῶν γεγενημένων* Parisinus. ego dubitanter scripsi: *τῶν ἀπαγομένων*. vide supra § 25 init. nam Reiski conjecturae *τῶν κρινομένων* Dobraeus locum § 82 et § 83: *ἀκρίτους ἀπέκτειναν* jure opposuit.

82. *καὶ οὗτοι* Dobraeus. *καὶ τοιοῦτοι* Vindob., *καίτοι οὗτοι* caeteri libri.

83. *ἀποκτείναιτε* Bekker. *ἀποκτείνοιτε* libri.

ibid. *δημεύσαιτε* Reiskius. *δημεύσητε* Vindob. *δημεύσετε* caeteri.

ibid. *τὰς οἰκίας* Scheibius. *οἰκίας* libri.

84. *δίκην* libri. *ἱκανὴν δίκην* Hirschigius. vide supra ad § 37.

ibid. *δύναισθε* Bekker. *δύνησθε* libri.

ibid. *τοσοῦτον ἢ* Reiskius. *τοσοῦτον δ'* libri.

πρὸς αὐτοὺς τοὺς μάρτυρας τῆς τούτου πονηρίας· τοσοῦτον ἢ ὑμῶν καταπεφρό-
85 νηκεν ἢ ἑτέροις πεπίστευκεν. ὧν ἀμφοτέρων ἄξιον ἐπιμεληθῆναι, ἐνθυμουμένους
ὅτι οὔτ' ἂν ἐκεῖνα ἐδύναντο ποιεῖν μὴ ἑτέρων συμπραττόντων οὔτ' ἂν νῦν ἐπεχεί-
ρησαν ἐλθεῖν μὴ ὑπὸ τῶν αὐτῶν οἰόμενοι σωθήσεσθαι, οἳ οὐ τούτοις ἥκουσι βοη-
θήσοντες, ἀλλὰ ἡγούμενοι πολλὴν ἄδειαν σφίσιν ἔσεσθαι ἐκ τῶν πεπραγμένων καὶ
τοῦ λοιποῦ ποιεῖν ὅ τι ἂν βούλωνται, εἰ τοὺς μεγίστων κακῶν αἰτίους λαβόντες
86 ἀφήσετε. Ἀλλὰ καὶ τοῦτο τῶν ξυνερούντων αὐτοῖς ἄξιον θαυμάζειν, πότερον ὡς
καλοὶ κἀγαθοὶ αἰτήσονται, τὴν αὐτῶν ἀρετὴν πλείονος ἀξίαν ἀποφαίνοντες τῆς
τούτων πονηρίας· ἐβουλόμην μέντἂν αὐτοὺς οὕτω προθύμους εἶναι σώζειν τὴν
πόλιν, ὥσπερ οὗτοι ἀπολλύναι· ἢ ὡς δεινοὶ λέγειν ἀπολογήσονται καὶ τὰ τούτων
ἔργα πολλοῦ ἄξια ἀποφανοῦσιν. ἀλλ' οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν οὐδεὶς αὐτῶν οὐδὲ τὰ δίκαια
87 πώποτε ἐπεχείρησεν εἰπεῖν. Ἀλλὰ τοὺς μάρτυρας ἄξιον ἰδεῖν, ὅτι τούτοις μαρτυ-
ροῦντες αὐτῶν κατηγοροῦσι, σφόδρα ἐπιλήσμονας καὶ εὐήθεις νομίζοντες ὑμᾶς εἶναι,
εἰ διὰ μὲν τὸ ὑμέτερον πλῆθος ἀδεῶς ἡγοῦνται τοὺς τριάκοντα σώσειν, διὰ δὲ
Ἐρατοσθένην καὶ τοὺς συνάρχοντας αὐτοῦ δεινὸν ἦν καὶ τῶν τεθνεώτων ἐπ' ἐκφο-
88 ρὰν ἐλθεῖν. καίτοι οὗτοι μὲν σωθέντες πάλιν ἂν δύναιντο τὴν πόλιν ἀπολέσαι·
ἐκεῖνοι δέ, οὓς οὗτοι ἀπώλεσαν, τελευτήσαντες τὸν βίον πέρας ἔχουσι τῆς παρὰ τῶν
ἐχθρῶν τιμωρίας. οὔκουν δεινόν, εἰ τῶν μὲν ἀδίκως τεθνεώτων οἱ φίλοι συναπώλ-
λυντο, αὐτοῖς δὲ τοῖς τὴν πόλιν ἀπολέσασιν ἢ που ἐπ' ἐκφορὰν πολλοὶ ἥξουσιν,

---

85. ἐδύναντο Marklandus. δύναιντο libri.

ibid. ἐλθεῖν (cum Reiskio) Laurent. et fortasse Vindob. ἐλεῖν (sic) Palatinus, ἑλεῖν vulgo. illud ἐλεῖν Palatini est hoc ipsum verbum ἐλθεῖν, ut nihil loci sit conjecturis reliquis.

ibid. ἔσεσθαι τῶν πεπραγμένων libri. scripsi equidem cum Reiskio: ἔσεσθαι ἐκ τῶν πεπραγμένων. sed melius, opinor, Cobetus verba τῶν πεπραγμένων delevit. margini temere puto adscripta fuisse ex aliis locis, in quibus ἄδεια τῶν πεπραγμένων sane exstat.

86. ἀλλὰ καὶ τοῦτο τῶν Kayser, recte probante Scheibio. ἀλλὰ καὶ τῶν libri. quod ferri nequit ideo quod de eisdem hominibus jam § 85 sermo fuit. adde quod solemni more dici solet: ἀλλὰ καὶ τοῦτο ἄξιον θαυμάζειν (θαυμάζω), velut in Aristoph. Eqq. v. 985.

ibid. συνερούντων Reiskius. συνεργούντων vulgo. ξυνεργούντων Palat. Laurent. Vindob., unde nunc recte editur: ξυνερούντων.

ibid. αἰτήσονται non mutandum fuisse Scheibius Praefat. p. XXXI docte ostendit.

ibid. τῆς πονηρίας libri. τῆς τούτων πονηρίας Marklandus recte.

ibid. ἀπολλύναι Marklandus. ἀποδοῦναι libri (ἀπολοῦναι Vindob.).

ibid. οὐδὲ τὰ Reiskius. οὔτε τὰ libri (οὕτω τὰ Laurent.).

87. ἰδεῖν, ὅτι Franckenius probante Westermanno. ἰδεῖν, οἳ libri. qui οἳ defendent, iidem necessario verbum ἰδεῖν mutabunt.

ibid. τὸ ὑμέτερον πλῆθος Dobraeus. τοῦ ὑμετέρου πλήθους libri.

88. καίτοι οὗτοι Marklandus. καὶ τοιοῦτοι edd. vett.. de codd. parum constat.

ibid. ἀπολέσασιν ἢ που ἐκφορὰν libri praeter Laurent., qui: ἀπολέσασιν ἐπ' ἐκφοράν. unice verum est, quod Reiskio auctore recepit Cobetus: ἀπολέσασιν ἢ που ἐπ' ἐκφορὰν —;

ὁπότε βοηθεῖν τοσοῦτοι παρασκευάζονται; καὶ μὲν δὴ πολλῷ ῥᾷον ἡγοῦμαι εἶναι 89
ὑπὲρ ὧν ὑμεῖς ἐπάσχετε ἀντειπεῖν, ἢ ὑπὲρ ὧν οὗτοι πεποιήκασιν ἀπολογήσασθαι.
καίτοι λέγουσιν ὡς Ἐρατοσθένει ἐλάχιστα τῶν τριάκοντα κακὰ εἴργασται, καὶ διὰ
τοῦτο αὐτὸν ἀξιοῦσι σωθῆναι· ὅτι δὲ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων πλεῖστα εἰς ὑμᾶς ἐξημάρ-
τηκεν, οὐκ οἴονται χρῆναι αὐτὸν ἀπολέσθαι. ὑμεῖς δὲ δείξετε ἥντινα γνώμην 90
ἔχετε περὶ τῶν πραγμάτων. εἰ μὲν γὰρ τούτου καταψηφιεῖσθε, δῆλοι ἔσεσθε ὡς
ὀργιζόμενοι τοῖς πεπραγμένοις· εἰ δὲ ἀποψηφιεῖσθε, ὀφθήσεσθε τῶν αὐτῶν ἔργων
ἐπιθυμηταὶ τούτοις ὄντες, καὶ οὐχ ἕξετε λέγειν ὅτι τὰ ὑπὸ τῶν τριάκοντα προσταχ-
θέντα ἐποιεῖτε· νυνὶ μὲν γὰρ οὐδεὶς ὑμᾶς ἀναγκάζει παρὰ τὴν ὑμετέραν γνώμην 91
ἀποψηφίζεσθαι. ὥστε συμβουλεύω μὴ τούτων ἀποψηφισαμένους ὑμῶν αὐτῶν
καταψηφίσασθαι. μηδ' οἴεσθε κρύβδην εἶναι τὴν ψῆφον· φανερὰν γὰρ τῇ πόλει τὴν
ὑμετέραν γνώμην ποιήσετε.

Βούλομαι δὲ ὀλίγα ἑκατέρους ἀναμνήσας καταβαίνειν, τούς τε ἐξ ἄστεος καὶ 92
τοὺς ἐκ Πειραιῶς, ἵνα τὰς ὑμῖν διὰ τούτων γεγενημένας συμφορὰς παραδείγματα
ἔχοντες τὴν ψῆφον φέρητε. καὶ πρῶτον μὲν ὅσοι ἐξ ἄστεός ἐστε, σκέψασθε ὅτι
ὑπὸ τούτων οὕτω σφόδρα ἤρχεσθε, ὥστε ἀδελφοῖς καὶ υἱέσι καὶ πολίταις ἠναγκάζε-
σθε πολεμεῖν τοιοῦτον πόλεμον, ἐν ᾧ ἡττηθέντες μὲν τοῖς νικήσασι τὸ ἴσον ἔχετε,
νικήσαντες δ' ἂν τούτοις ἐδουλεύετε. καὶ τοὺς ἰδίους οἴκους οὗτοι μὲν ἐκ τῶν 93
πραγμάτων μεγάλους ἐκτήσαντο, ὑμεῖς δὲ διὰ τὸν πρὸς ἀλλήλους πόλεμον ἐλάττους
ἔχετε· συνωφελεῖσθαι μὲν γὰρ ὑμᾶς οὐκ ἠξίουν, συνδιαβάλλεσθαι δ' ἠνάγκαζον·
εἰς τοσοῦτον ὑπεροψίας ἐλθόντες, ὥστε οὐ τῶν ἀγαθῶν κοινούμενοι πιστοὺς ὑμᾶς
ἐκτῶντο, ἀλλὰ τῶν ὀνειδῶν μεταδιδόντες εὔνους ᾤοντο εἶναι. ἀνθ' ὧν ὑμεῖς νῦν 94

---

ibid. *βοηθεῖν* Taylorus. *βοηθεῖεν* Palatinus, *νοηθεῖεν* caeteri praeter Laurent. qui: *βοηθῆσαι*.

89. *πολλῷ* Reiskius. *πολλοὶ* codices. *πολὺ* vulgo.

ibid. *ῥᾷον* Stephanus. *ῥάδιον* libri.

ibid. *Ἐρατοσθένει*] Cobetus mavult *Ἐρατοσθένης*, quo non opus est.

90. *δείξετε* Marklandus. *δείξατε* libri. at in proximis, quibus haec ipsa uberius explicantur, posita videmus Futura.

ibid. *περὶ τῶν πραγμάτων*] nihil mutandum. dominatio XXX tyrannorum eodem modo designatur infra § 93: *ἐκ τῶν πραγμάτων*.

ibid. *ἐποιεῖτε* libri omnes. *ποιεῖτε* Cobetus, quod vel invitis libris in *ἐποιεῖτε* mutandum esset.

91. *κρύβδην τὴν ψῆφον* libri praeter Laurent., qui: *κρύβδην τὴν ψῆφον εἶναι*. bene Scheibius et transposuit: *κρύβδην εἶναι τὴν ψῆφον* et Demosthenem 19, 239 contulit. argute haec dicta sunt pro vulgari: *μηδ' οἴεσθε λήσειν διὰ τὸ κρύβδην εἶναι τὴν ψῆφον*.

92. *διὰ τούτων* Laurentianus cum Stephano. *διὰ τοῦτον* caeteri libri.

93. *μὲν ἐκ* Baiter. *μὲν ἂν ἐκ* libri.

*ἐν τῷ θαρραλέῳ ὄντες, καθ' ὅσον δύνασθε, καὶ ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν καὶ ὑπὲρ τῶν
ἐκ Πειραιῶς τιμωρήσασθε, ἐνθυμηθέντες μὲν ὅτι ὑπὸ τούτων πονηροτάτων ὄντων
ἤρχεσθε, ἐνθυμηθέντες δὲ ὅτι μετ' ἀνδρῶν ἀρίστων νῦν πολιτεύεσθε καὶ τοῖς πολε-
μίοις μάχεσθε καὶ περὶ τῆς πόλεως βουλεύεσθε, ἀναμνησθέντες δὲ τῶν ἐπικούρων,
οὓς οὗτοι φύλακας τῆς σφετέρας ἀρχῆς καὶ τῆς ὑμετέρας δουλείας εἰς τὴν ἀκρόπολιν*
95 *κατέστησαν. καὶ πρὸς ὑμᾶς μὲν ἔτι πολλῶν ἐνόντων εἰπεῖν τοσαῦτα λέγω. ὅσοι
δ' ἐκ Πειραιῶς ἐστε, πρῶτον μὲν τῶν ὅπλων ἀναμνήσθητε, ὅτι πολλὰς μάχας ἐν
τῇ ἀλλοτρίᾳ μαχεσάμενοι οὐχ ὑπὸ τῶν πολεμίων, ἀλλ' ὑπὸ τούτων εἰρήνης οὔσης
ἀφῃρέθητε τὰ ὅπλα, ἔπειθ' ὅτι ἐξεκηρύχθητε μὲν ἐκ τῆς πόλεως, ἣν ὑμῖν οἱ πα-*
96 *τέρες παρέδοσαν, φεύγοντας δὲ ὑμᾶς ἐκ τῶν πόλεων ἐξῃτοῦντο. ἀνθ' ὧν ὀργίσθητε
μὲν ὥσπερ ὅτ' ἐφεύγετε, ἀναμνήσθητε δὲ καὶ τῶν ἄλλων κακῶν, ἃ πεπόνθατε ὑπ'
αὐτῶν· οἳ τοὺς μὲν ἐκ τῆς ἀγορᾶς, τοὺς δ' ἐκ τῶν ἱερῶν συναρπάζοντες βιαίως
ἀπέκτειναν, τοὺς δὲ ἀπὸ τέκνων καὶ γονέων καὶ γυναικῶν ἀφέλκοντες φονέας αὑτῶν
ἠνάγκασαν γενέσθαι καὶ οὐδὲ ταφῆς τῆς νομιζομένης εἴασαν τυχεῖν, ἡγούμενοι τὴν*
97 *αὑτῶν ἀρχὴν βεβαιοτέραν εἶναι τῆς παρὰ τῶν θεῶν τιμωρίας. ὅσοι δὲ τὸν θάνατον
διέφυγον, πολλαχοῦ κινδυνεύσαντες καὶ εἰς πολλὰς πόλεις πλανηθέντες καὶ πανταχό-
χόθεν ἐκκηρυττόμενοι, ἐνδεεῖς ὄντες τῶν ἐπιτηδείων, οἱ μὲν ἐν πολεμίᾳ τῇ πατρίδι
τοὺς παῖδας καταλιπόντες, οἱ δ' ἐν ξένῃ γῇ πολλῶν ἐναντιουμένων ἤλθετε εἰς
τὸν Πειραιᾶ. πολλῶν δὲ καὶ μεγάλων κινδύνων ὑπαρξάντων ἄνδρες ἀγαθοὶ γενό-*
98 *μενοι τοὺς μὲν ἠλευθερώσατε, τοὺς δ' εἰς τὴν πατρίδα κατηγάγετε. εἰ δὲ ἐδυστυ-
χήσατε καὶ τούτων ἡμάρτετε, αὐτοὶ μὲν ἂν δείσαντες ἐφεύγετε, μὴ πάθητε τοιαῦτα*

---

94. *πονηροτάτων* Reiskius. *πονηροτέρων* libri.

ibid. *μετ' ἀνδρῶν ἀρίστων νῦν πολιτεύεσθε* Vindobonensis, *μετ' ἀνδρῶν νῦν ἀρίστων πολιτεύεσθε* caeteri libri. at *μετ' ἀνδρῶν ἀρίστων* (minime *μετ' ἀνδρῶν νῦν ἀρίστων*) cohaerent itemque *νῦν πολιτεύεσθε*, quae superiori *ἤρχεσθε* opposita sunt.

ibid. *τῆς σφετέρας ἀρχῆς καὶ τῆς ὑμετέρας δουλείας* Marklandus. *τῆς ὑμετέρας ἀρχῆς καὶ τῆς ὑμετέρας δουλείας* libri.

95. *ἔτι πολλῶν ἐνόντων εἰπεῖν* Westermannus solus, *ἔτι πολλῶν ὄντων εἰπεῖν* libri. vide Isocratem Busiride § 44: *πολλῶν δ' ἐνόντων* (male Urbinas: *δὲ ὄντων*) *εἰπεῖν* — et in Plataico § 63: *πολλῶν δ' ἐνόντων* (hic quoque Urbinas: *δὲ ὄντων*) *εἰπεῖν* —. at Urbinatis auctoritatem facile vincit is qui in Isocrate vulgatam *δ' ἐνόντων* certo legerat, Isocratis simius et expilator (Pseudolucianus) in Charidemo § 28: *πολλὰ τῶν ἐνόντων μοι περὶ κάλλους εἰπεῖν ἀφελών.* et ipse atticismus formam *ἐνόντων* flagitat, *ὄντων* autem respuit. adde Dionysium Halic. T. III p. 1402 R: *πολλῶν ἐνόντων καὶ ἄλλων λέγεσθαι*, de quo loco Schaefer ad Demosth. III p. 343 recte judicavit. itemque ab impersonali *ἐνδέχεται* forma *τὰ ἐνδεχόμενα* ducta est, velut ap. Artemidorum IV, 33 et IV, 47.

ibid. *ἐξῃτοῦντο* Stephanus. *ἐζητοῦντο* libri.

96. *ἀπέκτειναν* Reiskius. *ἀπέκτεινον* Palatinus, *ἀπέκτενον* alii libri, *ἀπέκτανον* vulgo.

ibid. *ἀφέλκοντες* Reiskius. *ἀφελόντες* libri.

οἷα καὶ πρότερον, καὶ οὔτ' ἂν ἱερὰ οὔτε βωμοὶ ὑμᾶς ἀδικουμένους διὰ τοὺς τού-
των τρόπους ὠφέλησαν, ἃ καὶ τοῖς ἀδικοῦσι σωτήρια γίγνεται· οἱ δὲ παῖδες ὑμῶν,
ὅσοι μὲν ἐνθάδε ἦσαν, ὑπὸ τούτων ἂν ὑβρίζοντο, οἱ δ' ἐπὶ ξένης μικρῶν ἂν
ἕνεκα συμβολαίων ἐδούλευον ἐρημίᾳ τῶν ἐπικουρησόντων. ἀλλὰ γὰρ οὐ τὰ μέλ- 99
λοντα ἔσεσθαι βούλομαι λέγειν, τὰ πραχθέντα ὑπὸ τούτων οὐ δυνάμενος εἰπεῖν·
οὐδὲ γὰρ ἑνὸς κατηγόρου οὐδὲ δυοῖν ἔργον ἐστὶν, ἀλλὰ πολλῶν. ὅμως δὲ τῆς
ἐμῆς προθυμίας οὐδὲν ἐλλέλειπται ὑπέρ τε τῶν ἱερῶν, ἃ οὗτοι τὰ μὲν ἀπέδοντο
τὰ δ' εἰσιόντες ἐμίαινον, ὑπέρ τε τῆς πόλεως, ἣν μικρὰν ἐποίουν, ὑπέρ τε τῶν
νεωρίων, ἃ καθεῖλον, καὶ ὑπὲρ τῶν τεθνεώτων, οἷς ὑμεῖς ἐπειδὴ ζῶσιν ἐπαμῦναι
οὐκ ἠδύνασθε, ἀποθανοῦσι βοηθήσατε. οἶμαι δ' αὐτοὺς ἡμῶν τε ἀκροᾶσθαι 100
καὶ ὑμᾶς εἴσεσθαι τὴν ψῆφον φέροντας, ἡγουμένους, ὅσοι μὲν ἂν τούτων ἀποψη-
φίσησθε, αὐτῶν θάνατον κατεψηφισμένους ἔσεσθαι, ὅσοι δ' ἂν παρὰ τούτων δίκην
λάβωσιν, ὑπὲρ αὐτῶν τὰς τιμωρίας πεποιημένους.

Παύσομαι κατηγορῶν. ἀκηκόατε, ἑωράκατε, πεπόνθατε, ἔχετε· δικάζετε.

---

98. *σωτήρια* Reiskius. *σωτηρία* Palatinus, *σωτηρία* caeteri.

99. *τῆς ἐμῆς προθυμίας ἐλλέλειπται* libri. verissime supplevit Canter: *τῆς ἐμῆς προθυμίας [οὐδὲν] ἐλλέλειπται.* inprimis vide mihi locum plane geminum, in quo et res similis est et verba quoque sunt eadem, Aeschyli in Prometh. v. 343: *προθυμίας γὰρ οὐδὲν ἐλλείπεις.* et eodem fere jure comparare licet simillima verba Aristophanis in Lysistr. v. 672. nam quae vulgo collata sunt, ea non tam huic Lysiae loco conveniunt quam Lucianeo in Piscat. § 24 init.

ibid. *ὑπὲρ τῶν ἱερῶν* libri. recte Sauppius: *ὑπέρ τε τῶν ἱερῶν.*

ibid. *ἃ οὗτοι τὰ μὲν*] *ὧν οὗτοι τὰ μὲν* in Cobeti editione errorem esse putarem typothetae, nisi Praefatio p. XVIII contraria doceret.

100. *ἡμῶν* Auger. *ὑμῶν* libri.

ibid. *καταψηφιεῖσθαι* libri. dubitanter scripsi cum Kaysero et (in Praefat. p. XXXII) Scheibio: *κατεψηφισμένους ἔσεσθαι,* quo probato inferius illud *πεποιημένους* recte habet. possis tamen hic cum Baitero legere: *κατεψηφίσθαι* et mox cum Cobeto: *πεποιημένους [ἔσεσθαι].*

ibid. *τιμωρίας* libri falso. aut cum Reiskio *τιμωρίαν* aut *τὰς τιμωρίας* cum Franzio corrigendum est. — ceterum quod supra p. 3 § 13 in loco certe mendoso: *ἐν τοιούτῳ δ' ὄντι μοι κινδυνεύειν ἐδόκει* Reiski conjecturam *ἀποκινδυνεύειν ἐδόκει* probavi: nescio quo modo meam ipsius emendationem neglexi, *παρακινδυνεύειν ἐδόκει,* quam Reiskianae non dubito anteponere. confer Lucian. Icaromenipp. § 22: *ἄριστον οὖν κρίνας τὸ μὴ παρακινδυνεύειν, ἔκοπτον προσελθὼν τὴν θύραν.*

Veniamus nunc ad rem gravissimam, cujus rei causa haec sumus praefati. Optabamus enim, ut ubi nova domus et quasi curia huic Universitati communis exstruenda esset, ea et magnos bibliothecae nostrae thesauros capere posset et plura haberet auditoria et ne aula quidem destituta esset, quo Academiae convenire universae liceret. Ac pristinum quidem aedificium, cui nomen erat ‚Collegio albo', jam a. CIↃ IↃ LXVI conditum esse accepimus. Quo labefacto Fridericus Franciscus II Magn. Dux Megapol. Suerin. Princeps Clementissimus a. d. XXIII m. Jan. a. CIↃ IↃ CCCLXVI in area veteris novam domum Academicam exstrui jussit eamque talem, qualem nos maxime optaramus. Neque ita multo post, a. d. XXIV m. April. anni ejusdem vetustior domus ab Rectore et Concilio relicta est. Jam vero

a. d. XII mens. Mart. a. CIↃ IↃ CCCLXVII

Princeps Carissimus, quum quinque diebus ante hoc est Nonis mensis ejusdem quinque lustra Principatus Sui peregerit, novae domus Academicae fundamentum sua manu

rite positurus est. Quare fautores atque amicos nostros et inprimis commilitones humanissimos rogamus, ut illo ipso die hora XI in aede St. Mariae frequentes convenire atque sacris finitis pompae inde ad Collegii albi aream ducendae comites interesse velint. Quod restat, Deum pie precamur, ut Rostochiensem Academiam, quae in antiquissimis est Germaniae, etiam in posterum florere velit atque ex ea maximos uberrimosque fructus quum in Principem Ipsum tum in omnes cives bonos redundare jubeat.

Dabamus Rostochii Calendis Martiis a. CIↃ IↃ CCCLXVII.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXVIII

A DIE XV M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE CALLIMACHI EPIGRAMMATIS

SPECIMEN PRIMUM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.

Poetas Alexandrinos qui legere coeperit, mirificos quosdam in verbis, formis, dialectis denique artifices, ei haec omnia, quorum difficilis saepe explicatio est, minime negligenda sunt. Verum epigrammata eorundem si quis tractare voluerit, ei magnopere suadeo, ut rem ipsam magis etiam quam verba consideret ac primo sententiae acumen reperire studeat, quo acumine nullum carere epigramma potest. Vobis autem, Commilitones, quo melius et antiqua et recentiora ejusmodi carmina perspicere liceat, nunc auctor sum, ut quam primum legatis relegatisque praeclaram illam dissertationem G. E. Lessingii nostri: „Zerstreute Anmerkungen über das Epigramm und einige der vornehmsten Epigrammatisten" (Vol. VI p. 213 sqq. ed. Lips. a. 1858). *) Atque haec eo praefatus sum, quod scribendi occasione oblata de Callimachi epigrammatis pauca dicere constitui: quibus epigrammatis nihil profecto fieri potest venustius. Constat autem, de emendandis Callimachi epigrammatis R. Bentlejum eximie meritum esse: quem criticum quum alii editores tum nuper A. Meinekius saepenumero ducem recte secuti sunt. Bentlejus igitur, quum postea in Praefat. ad Dissert. Phalar. p. 117 ed. Lips. illud carmen quod nunc est in Palat. Anthol. VI, 301 plane retractaret: epigramma esse demonstravit ingeniosissimum, ejusque acumen cerni in aliarum vocum ambiguitate, in aliarum similitudine translata: quod epigramma olim a Bentlejo haud intellectum bene corrigere Bentlejo ipso judice praestat quam librum totum conscribere.

Nobis nunc ab eo epigrammate placet incipere, quod est de nautilo. Totum servavit Athenaeus VII p. 318, b, cujus hoc est initium: *Κόγχος ἐγὼ, Ζεφυρῖτι, παλαίτερος, ἀλλὰ σὺ νῦν μοι, | Κύπρι, Σεληναίης ἄνθεμα πρῶτον ἔχεις, | ναυτίλον, ὃς πελάγεσσιν ἐπέπλεον* —. V. 1 codex Venetus male *μοι* pro vulgata *με*. Ibidem *παλαίτερος* depravatum est, pro quo Bentlejus *παλαίτερον* conjiciebat. Omitto aliorum correctiones, ut Schneideri: *πάλαι τέρας*, quorum alterum *τέρας* non intelligo. In hac turba locus est meae conjecturae: *π ά λ α ι τ ε ό ς* h. e. ,ut concha ego tibi, Venus, dudum consecrata sum'. Sententiam vel e Lucian. D. Marin. XV, 3, Plauto in Rudente v. 704 et Pseudotibullo III, 3, 34 tirones facile perspicient. V. 2 ab omnibus verba *ἄνθεμα πρῶτον* conjuncta erant, id quod ferri non posse cum Heckero Meinekius ad Callimach. p. 268 recte vidit ratus ille quidem haec quoque esse corrupta. At satis est deleto post *ἔχεις* commate haec verba *πρῶτον ναυτίλον* construere: ,nunc autem, inquit, ab Selene dedicatum me habes ut primum (tempore) nautam' (non ut concham vulgarem). Quum illa *Κόγχος ἐγώ* — et haec *ἔχεις ναυτίλον* invicem opponantur, Toupii conjecturam *ναυτίλου* pro *ναυτίλον* patet esse omnino ineptam. Enimvero in v. *ναυτίλον* praeclara inest ambiguitas, quae vox non solum de bestia illa aquatili usurpatur, verum etiam idem est quod *ναύτης*. Hinc proxime v. 3—6 fin. se demonstrat nomen et omen habere seque *ναυτίλον* non solum polypum

*) De arte epigrammatis vel scribendi vel scriptum exponendi haud dubie in rhetorum scholis praecepta quaedam dabantur. Quae artis praecepta num ullus scriptor antiquus, similiter ac Lessingius nostras in lucem ediderit, fateor nos nescire: nisi quid forte de libro Neoptolemi suspicari libet, de quo Athenaeus testis est X p. 454 f.: *Νεοπτόλεμος ὁ Παριανὸς ἐν τῷ περὶ ἐπιγραμμάτων*. At Polemo Periegetes, qui circa a. 200 ante Chr. donaria et epigrammata multis libris descripserat, Meleagro praelusit Gadareno, qui centum fere annis post Polemonem non tam ipse novis scribendis quam colligendis veterum poetarum epigrammatis immortaliter meritus est. Quanquam fuerunt, quibus etiam ipsius Meleagri epigrammata (exstant autem plurima) mirifice placerent.

sed etiam nautam esse manifestarium. Sed qui olim ‚primi nautae' fuissent, disceptatum est, quum poetae plerique (ut Ovidius Amor. I, 15, 21 et Martialis VII, 19, 2) Argo navem fuisse omnium primam canerent, alii autem bene multi ap. Plinium H. N. VII, 57 facta a poetis secessione novas inter se rixas sererent. Quibus videtur Callimachus joco ita respondere, ut naturam ipsam arti praeferat neque Argo sed nautili concham pro prima nave habeat, neque Jasonem dicat primae ratis molitorem fuisse, sed nautilum polypum. V. 4. Similiter Plinius N. H. IX, 88 ‚velificante' membrana nautilum narrat in aura navigare: id quod nostri naturae scrutatores recte dictum esse negant. V. 6. *ποσσὶν ἴν' ὥστ' ἔργῳ* cod. Venetus. *ὡς τὤργῳ* M. Hauptius optime correxit. Praeterea *ποσσίν· ἴδ'* recte cum O. Schneidero A. Meinekius, qui *ἴδ' ὡς* frequens esse poetis Anthologiae docuit in Delectu P. A. Gr. p. 179. V. 7. libri *ἔς τ' ἔπεσον*. At *ἐκπεσεῖν* verbo opus est. Itaque Hemsterhusio auctore Jacobsius et Dindorfius *ἔκ τ' ἔπεσον* emendarunt. Malim tamen: *ἐκ δ' ἔπεσον*. Ibid. *Ἰουλίδος* Causaubonus, libri *ἰουλίδας*. Sine idonea causa Meinekius *Ἰωνίδας* conjecit. Quum enim nautili inventu sint rarissimi, non est quod miremur, ab Selene Smyrnaea puella non domi sed ad litus Ceae insulae nautilum vel emtum esse vel inventum. V. 8. *σοι τι περίσκεπτον* Ernestius recte. *σοι τὸ περίσκεπτον* libri apud Athenaeum. *σοι περίσκεπτον* legit Etymol. M. p. 664, 49. Ex eodem Etymologi loco *Ἀρσινόη* restitutum est, quum in Athenaeo libri *ἀρσινόης* exhibeant. V. 9 sq. Quae de hujus distichi sententia interpretes commenti sunt, ea partim infra posui, ut minus utilia.*) Mihi quidem et quae hic corrupta sunt, melius videntur corrigi posse et verba *ἐν θαλάμῃσιν* recte atque ordine explicari. Principio *ἐν θαλάμῃσιν* nihil aliud esse potest nisi hoc: ‚in nautili cubilibus.' Nam *θαλάμη* ipsius polypi cubile denotat in Odyss. *ε*, 432: *πουλύποδος θαλάμης ἐξελκομένοιο*, in Hymn. Apoll. v. 77: *πουλύποδες δ' ἐν ἐμοὶ θαλάμας — ποιήσονται*, in Aristotele ap. Athen. VII p. 317, e (bis) et paullo ante p. 316, d: *τὰ ὄστρακα τῶν θαλαμῶν ῥίπτων*, quae ita vertit Plinius N. H. IX, 86: ‚praejacentibus testis cubile eorum deprehenditur'. De piscium cubili *θαλάμη* saepius est ap. Oppianum velut in Hal. v. 264 et v. 445. Opus est autem in ejusmodi locis genere foemineo. Ita ‚serpentum latibula' *θαλάμας* potius quam *θαλάμους* dici Valckenarius ad Phoeniss. v. 938 bene ostendit. Deinde de apum cellis Vergilius Georg. IV, 188: ‚Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur': quodsi forte e Nicandro Colophonio haec quoque sumta sunt, *θαλάμας* dixisse Nicander censendus est, sicut Apollonides in Anthol. Pal. VI, 239 v. 6 habet *κηροπαγεῖς θαλάμας*. Itemque de ferarum lustris posuit Dioscorides Anthol. Pal. VI, 220 v. 15. Sed tantum abest, ut Casaubonus aliique nautilum recte dixerint alcedinis nido delectari, ut ipse sententiarum nexus plane contraria doceat. Etenim v. 7—10 nautilus se dicit cum mari terram continentem permutasse duas ab causas, et ut Arsinoae gratum faceret et vero quod societatem alcedinis, quae in nautili cubilibus ovum pariebat, magnopere gravatus esset. Ex quo rursum sequi videtur, ne haec quidem verba v. 9: *εἰμὶ γὰρ ἄπνους* esse posse incorrupta. Tametsi enim concha nautili *ἄπνους* esse h. e. vita carere per se dici recte posset: hoc tamen loco nexus postulat, ut potius ejus odii ratio reddatur, quo nautilus ferebatur in alcedinem, quae tam cupide in alienum cubile involasset. Itaque *ἀπτήν* pro *ἄπνους* conjicio: *εἰμὶ γὰρ ἀπτήν* i. e. ‚sum enim inplumis, sive, neque enim sum avis'. Prorsus eodem modo homo, quod non avis sit, *ἀπτήν* dicitur Aristophani in Avv. v. 687 lepide ut solet jocanti. At, inquit, unde auditum hoc adfers, in nautilorum cubili alcedinem nidulari?

---

*) Casaubono judice nautilus solitus erat petere, ut alcedines sibi nidificarent. Valide Schweighaeuser adsentitur: tempus enim, quo alcyon ova pariat, ob mare tunc tranquillum nautilo inprimis gratum fuisse. Idem Casaubonus v. *θαλάμας* hic significare censebat ‚nidos alcyonum', id quod ille Goettlingio probavit. Plures inventi sunt, qui v. *θαλάμας* de concha nautili male acciperent. Unus vero hic quoque recte sapit A. Meinekius negans ille omnibus his nugis quidquam effectum esse. Nam vir egregius l. l. p. 270 praefatus hoc distichon aenigmatis instar esse necdum bene soluti ita pergit verbotenus: ‚non solvit certe neque Bentlejus sensum esse affirmans ‚non amplius victitarem ovis alcyonum', nec qui nuper *ἄπλους* scribendum censuit vir doctus in Mützelli Annal. rerum schol. 1860 p. 348, nec denique Schneiderus Philol. Gott. IV p. 567 *θαλάμας* de ima conchi parte intelligens. quis enim unquam audivit, vel nautilum alcyonum ovis victitare vel alcyones in nautilo ova parere? in hujus *ἀπορίας λύσει* cardo rei vertitur.'

Respondeo primum id fortasse creditum esse atque etiam comparo haud ita dissimiles versus Oppiani Hal. I, 138—142.*) Sed ut hoc quidem non modo totum sit falsum, sed ne vulgo quidem creditum: Callimacho tamen sic quoque ob rationes poeticas id fingere omnino licuit. Nunc ad v. 10 transeo. Hic autem quum vulgata in Athenaeo scriptura haec sit: *τίκτει τ' αἰνοτέρης,* Laurentiani autem haec lectio: *τίκτει δ' αἰνοτέρης,* omnes fere critici auctore Bentlejo *τίκτηται νοτερῆς* scripserunt, ut quod eis et ad ipsam sententiam commodissimum videretur et ad literarum mutationem lenissimum. Unus tamen Jacobsius in ed. priore: *τίκτηται γοερῆς* corrigi maluerat, quae emendatio quum Schweighaeusero docta magis visa esset quam necessaria, postea in Anthol. Pal. II p. 770 et III p. 900 ab ipso Jacobsio repudiata est, ubi ad Bentlejanum illud *νοτερῆς* revolvitur. At primo istuc Bentleji *νοτερῆς* epitheton est plane iners minimeque ferendum, deinde Jacobsi conjectura *γοερῆς* in alcedinem, flebilem aviculam per se cadit, in nostrum quidem locum non cadit. Immo nautilus alcedini jure iratus est, quae non sine dolo malo ovum suum in alieno cubili parere audeat. Hinc adsumta Bentleji emendatione *τίκτηται* non dubito ita potius corrigere: *τίκτηται δολερῆς* —. Quid, quod eodem spectare videtur lectio illa *τίκτει δ' αἰνοτέρης,* si tamen
δ
partim vulgatam significat: *τίκτει τ' αἰ—,* partim autem: *νοτερῆς* hoc est *νοτερῆς,* supra posito *δολερῆς.* Restat solus v. 12, de quo paucis dicendum est. Male enim pro *καὶ Σμύρνης* olim conjeceram: *κεἰ Σμύρνης* et volueram hoc dici: ‚honeste enim vivit Selene, quamvis Smyrnae nata sit' (de Jonum mollitie vide vel Aristoph. Thesmoph. v. 163 et Horat. Carm. III, 6, 21). Eodemque modo ab Heckero in Comm. Anthol. I p. 161 erratum est, cui ipsi quoque haec verba mutare placuit. Omnino in acumen aliquod desinere epigrammata solent (quae ipsa res me induxerat), sed ut hic nihil mutetur, acumen salvum erit. Meliora enim Meinekius ad Callim. p. 271 me docuit, quocum ibidem Hauptius recte consensit, hisce Callimachi verbis nihil esse sanius. Attamen id quod Meinekio l. l. p. 271 et ad Theocrit. XVII, 58 p. 317 placuit, Arsinoen Smyrnae natam esse, sine ullo teste dictum est et ex his tantum verbis *καὶ Σμύρνης* audacius conclusum. Enimvero ad tuendam scripturam *καὶ Σμύρνης* satis est, Smyrnenses Arsinoae et Ptolemaei Philadelphi gratia floruisse, non quo ibidem Arsinoe nata fuerit, sed alias ob causas, quae multae excogitari possunt. Ita et Callimachus *καὶ Σμύρνης* scripserat, et Arsinoe non Smyrnae sed ubi maxime credimus, Alexandriae in lucem edita erat. Nunc Callimachi de nautilo epigramma integrum videtur adponendum esse:

Κόγχος ἐγώ, Ζεφυρῖτι, πάλαι τεός· ἀλλὰ σὺ νῦν με,
Κύπρι, Σεληναίης ἄνθεμα πρῶτον ἔχεις
ναυτίλον· ὃς πελάγεσσιν ἐπέπλεον, εἰ μὲν ἀῆται,
τείνας οἰκείων λαῖφος ἀπὸ προτόνων·
εἰ δὲ γαληναίη λιπαρὴ θεός, οὖλος ἐρέσσων
ποσσίν· ἴδ' ὡς τὤργῳ τοὔνομα συμφέρεται.
ἐκ δ' ἔπεσον παρὰ θῖνας Ἰουλίδος, ὄφρα γένωμαι
σοί τι περίσκεπτον παίγνιον, Ἀρσινόη,
μηδέ μοι ἐν θαλάμῃσιν ἔθ' ὡς πάρος (εἰμὶ γὰρ ἄπτην)
τίκτηται δολερῆς ὤεον ἀλκυόνης.
Κλεινίου ἀλλὰ θυγατρὶ δίδου χάριν· οἶδε γὰρ ἐσθλά
ῥέζειν καὶ Σμύρνης ἐστὶν ἀπ' Αἰολίδος.

Post tot tantorumque criticorum curas non omnia Callimachi epigrammata longam orationem desiderant, sed brevissimum quodque et multa etiam de longioribus ejusmodi sunt, ut paucis rem liceat transigere. Quorum maximam partem e communi fonte derivatam scimus Anthologiae et omnia jam dudum accurate collecta esse. Raro autem aliis vel scriptoribus graecis vel grammaticis Suida antiquioribus uti contingit, qui ipsi quoque aliquod Callimachi epigramma adtulerint. Adeo plerumque, ut de Planude taceam, ad Palatinum codicem, optimum illum quidem, veruntamen unicum res rediit. Quo magis

---

*) Callimachus, vir longe doctissimus talia quoque explorata habebat: scripserat enim librum ‚*Περὶ ὀρνέων*'.

nostrum est, nihil temere negligere et si quid auxili critici usquam ostendatur, id etiam atque etiam considerare nec dimittere oblatum: cujusmodi donum alba avi est rarius. Attamen, ut primo quoque potissimum utamur, in cod. Paris. Supplement. 352 (est autem bombycinus saec. XIII) insunt etiam carmina christiana bene multa, quibus in fine nonnulla adduntur graecorum poetarum epigrammata *) generis plerumque erotici, partim illa etiam inedita, quae caeteris immixta sunt; sed major eorum pars in edita Anthologia exstat. Poëtarum nomina ubique desunt. Quae omnia a Cramero in Anecdot. Paris. Vol. IV p. 265 sqq. in his etiam epigrammata, quae dixi, ibidem p. 366—388 edita sunt atque sic edita, ut ille codicis sui lectionem nunquam tacito immutaret. Haec igitur carmina ex Anthologia non vulgata, sed e pleniore Anthologiae codice sumta esse adparet neque id Cramerum l. l. p. 388 latuit. Ceterum etiam Planuden integriore Anthologiae codice, quam noster nunc est Palatinus, instructum fuisse Jacobsius in Proleg. p. LXXXV egregie ostendit. Tamen sic quoque et ignotus liber Planudis et Palatinus cum Parisino e communi omnes fonte fluxerunt illius Anthologiae, quam Constantinus Cephalas olim composuerat. Parisinum librum, ubi Palatinus deficit, necessario sequemur; caeteris autem locis Parisini scripturae nunc meliores Palatino nunc etiam deteriores sunt, ut criticos sui quemque mancipi esse oporteat. Haud pauca Luciani aliorumque scriptorum epigrammata, de quibus postea dicemus, libro continentur Parisino, sed e Callimacheis, id quod vehementer doleas, unicum epigramma Parisino codici inest l. l. p. 384, quod non abest a cod. Pal. Exstat enim idem in Anthol. Pal. XII, 118 unde in ed. Callimachi Epigr. XLII p. 104 Meinekius recepit. Hoc carmen dico, cujus initium est: *Εἰ μὲν ἑκὼν Ἀρχῖν' ἐπεκώμασα* —. De quo hic exponere placet, idcirco quod ne ii quidem, qui scire rem poterant, Heckerus, Meinekius aliique ullam Parisini codicis hic rationem duxerunt. Ac tamen Meinekius ipse hac Crameri collatione olim ad aliorum poetarum emendationem optime usus erat in Analect. Alex. p. 394 sqq. Sed, uti Plautus alicubi verissime, ‚fieri istuc solet: quod manu teneas atque oculis videas, id desideres‘. Ad Callimachum revertor. V. 1. *ἀρχεῖν* (vel *ἀρχεῖν'*) Pal. (Palatinus), *ἀρχὴν* Paris. (Parisinus). *Ἀρχῖν'* Bentlejus restituit. ibid. *ἐπεκώμασα* Pal. *ἐπεκόμωσα* Paris. V. 2. *ἄκων* libri, *ἀέκων* Meinekius, recte ut videtur. ibid. *ὅραι* Pal., quod plerique editores recte interpretati *ὅρα* scripserunt, sed verissime Paris. *ἔα*, quod ego tandem restitui. Idem Parisinus in fine v. 4 pro verbis *σώφρονα θυμὸν ἔχειν* exhibet: *τὴν βίαν ὅσσην* (pro *ὅσσην* voluit opinor *σου*) *ὅρα*, quod pertinet ad v. 2 et male versu 4 positum est fallente homoeoteleuto *ἔα* atque *εἴα*. Est autem illud: *τὴν βίαν σου ὅρα* verborum v. 2: *τὴν προπέτειαν ἔα* glossema, non illud sane aptissimum, sed tamen clarissime adparet vulgatam *ὅρα* e scholio et glossemate natam esse. Hoc vult poeta: ‚omitte temeritatem‘, h. e. *μὴ μέμφου.* **) V. 3. *ἄκρητος* Pal. recte, *ἄκρατος* Paris. ibid. *με ἀνάγκασεν* Pal., sed optime Paris.: *με ἠνάγκασαν*. Itaque scribendum est: *μ' ἠνάγκασαν* cum Hermanno ad Viger. p. 709, Heckero l. l. et p. 104 Meinekio. Et ita dudum alii scripserunt in apographo Lips. At non prorsus recte neque Brunckius: *ἔμ' ἀνάγκασαν*, neque Jacobsius: *μ' ἠνάγκασεν*, qui singularem diserte tueri studebat. Denique alia conjectura: *μ' ἐπανάγκασεν* omnino explodenda est. ibid. Dictionem *ὧν ὁ μὲν αὐτῶν* e Nonno aliisque poetis Hermannus ad Viger. p. 709 illustravit et recte statuit *αὐτῶν* abundare. V. 4. *ὁ δ'*] *ὃ δ'* Pal., *ὅδ'* Paris. ibid. *σώφρονα θυμὸν ἔχειν* Pal. recte, quorum verborum loco Paris. dat: *τὴν βίαν ὅσσην ὅρα*. Sed de hac re supra ad v. 2 satis dictum est. V. 5 sq. Ultimum hoc distichon

---

*) Comparare licet, quibus philosophorum graecorum sententiae insunt, certa quaedam gnomologia ab doctis monachis instituta, inprimis a S. Maximo (Confessore), ab Antonio (Melissa) et ab anonymo, cujus Florilegium Lipsiae a. 1864 Westermannus evulgare coepit. Nam in his quoque syllogis christianorum gnomae ubique praecedunt, sequuntnr autem ethnicorum, et ut quaeque sylloge recentissima est, ita christianorum sententias complectitur plurimas, paucissimas autem ethnicorum.

**) Pro *ὅρα* plura Palatini apographa male habent *ἔχε*, quod Brunckius audacter recepit. *Ὅρα* tuebatur Bentlejus, quod mirere, persuadebatque Jacobsio et l. l. p. 104 Meinekio. Eidem tamen Meinekio, quum postea ibid. p. 310 *τὴν προπέτειαν ὅρα* h. l. inepte scriptum esse animadvertisset, verum esse videbatur, quod in Comm. de Anth. ed. pr. p. 360 male conjecit Heckerus: *τὴν προπέτειαν, ὁρᾷς, ἄκρητος καὶ ἔρως μ' ἠνάγκασαν.*

adtulit etiam Plutarchus De Cohibenda Ira c. 5 sine nomine Callimachi. V. 5. ἐβόησα libri omnes, h. e. Pal., Paris., Plutarchus isque non solum in Callimachi versu, sed etiam ipse propter haec ipsa verba οὐκ ἐβόησα hoc distichon attulit. Sed Bentlejus Plutarchei loci ignarus haec ita corrupit: ἐλθὼν δ' οὐκ ἐνόησα τίς ἢ τίνος, ἀλλ' ἐφίλησα | τὴν δειρήν —, sententia per sese utique ferenda. Hinc multi Bentlejo nimis addicti conjecturas istas ita receperunt, ut tamen auctore Piersono in Verisim. p. 86 pro ἐνόησα ionice ἐκόησα scriberent, dico Piersonum ipsum, Brunckium, Blomfieldum atque etiam Meinekium p. 104, qui tamen postea p. 310 servata altera Bentleji conjectura τὴν δειρήν librorum scripturam ἐβόησα revocari jussit, quae sine magno sententiae detrimento coire sane poterant. Illud vero ne per se quidem fieri potuit, ut Callimachus sic loqueretur, quemadmodum Jacobsius, V. S., edidit: ἐλθὼν δ' οὐκ ἐκόησα τίς ἢ τίνος, ἀλλ' ἐφίλησα | τὴν φλιήν. Immo Bentleji conjecturae aut ambae sunt probandae, aut ne utra. Utraque autem certo explodenda est, si quidem codices salva sententia et ἐβόησα et deinceps τὴν φλιήν restitui jubent. ‚Quum venissem, inquit, non clamans interrogavi, quis aut quo parente natus esses, sed limen postesque saviatus sum'. Non opus est v. ἐβόησα ad flebile carmen referre, uti Plutarchus fortasse voluit, qui de hoc Callimachi l.: αἱ ἐρωτικαὶ πράξεις, inquit, οἷον ἐπικωμάσαι καὶ ᾆσαι —. Etsi Fronto in Erotico p. 258 (ed. Naber) prope conjunxit: βοή τις ἀκόλαστος et τὰ τῶν ἐρώντων ᾄσματα. Adde quod παρακλαυσίθυρα saepe clamantium erant non canentium ut Plautinum in Curcul. I, 2, 60 (v. 148): ‚Pessuli, heus pessuli —!' Sed ad Callimachum bene intelligendum satis est rem istam non actam esse clamoribus. Ibid. ἐφίλησα Pal. cum Plutarcho recte. ἐφύλαξα Paris. solus pessime. V. 6. τὴν φιλίην Parisinus, qui Palatini lectionem: τὴν ἰαρήν (sic) graviter nunc refutat. Parisinus enim egregie convenit cum Plutarcho, ubi vulgo τὴν φίλην, sed unus Plutarchi codex: τὴν φλιήν habet, uti Salmasius ultro conjecerat. Et idem Jacobsius, qui modo ἐβόησα non bene mutavit, hoc τὴν φλιήν optime tuitus est ut poetae consilio aptissimum. Fuit tamen, qui Reiskii conjecturam: τὴν φιαρήν probaret. At non de puella h. l. sermo est, sed de puero meritorio, Archino. Quaeri hoc unum potest, quomodo Palatini vitium ἰαρήν natum sit, in quo (similiter ac v. 2 in ὅρα) glossema latet veluti θύραν. Jacobsio enim censenti non multum interesse inter syllabas φλιήν et ἰαρήν non adsentior. Quamobrem Bentleji conjectura τὴν δειρήν solo isto Palatini vitio ἰαρήν innixa omnibus modis laborat et oblivioni tradenda est. Hanc tamen facete ita tuetur Blomfieldus: ‚Bentleji lectionem (sic) unice veram puto. Limini enim osculum dedisse non esset idonea offensionis causa.' En cui tu epigrammata mirifice illustranda committas. Non vidit homo optimus in ea ipsa re quam culpat hujus epigrammatis inesse acumen. Jocose enim demonstrat amator nescio quis, se ab Archino summa injuria reprehensum esse. Ceterum vox ἡ φλιή ab Homero (Od. ρ, 221) accepta in Anthologiae poetis saepius legitur uti in Anth. Pal. XII, 124 v. 1. Apud Callimachum vero hisce verbis ἐφίλησα τὴν φλιήν nihil aptius ne cogitari quidem potest. Nam hoc ipsum amatores flebile carmen decantantes solebant facere teste vel Lucretio De R. N. IV, 1179: ‚at lacrimans exclusus amator limina saepe | floribus et sertis operit postisque superbos | unguit amaracino et foribus miser oscula figit', ubi Wakefieldus similes aliorum poetarum versus comparavit. Ibidem ἐστ' Pal. cum Plutarcho recte, ἐστὶν Paris. solus. Mox libri ἀδικῶ, pro quo Meinekius malit ἀδικέω, ego autem nolim. Quae quum ita sint, Callimachi epigramma totum ita arbitror scribendum esse:

Εἰ μὲν ἑκὼν Ἀρχῖν' ἐπεκώμασα, μυρία μέμφου·
εἰ δ' ἀέκων ἥκω, τὴν προπέτειαν ἔα.
ἄκρητος καὶ ἔρως μ' ἠνάγκασαν, ὧν ὁ μὲν αὐτῶν
εἷλκεν, ὁ δ' οὐκ εἴα σώφρονα θυμὸν ἔχειν.
ἐλθὼν δ' οὐκ ἐβόησα τίς ἢ τίνος, ἀλλ' ἐφίλησα
τὴν φλιήν· εἰ τοῦτ' ἔστ' ἀδίκημ', ἀδικῶ.

Sequitur, ut ea quoque Callimachi epigrammata, quae non multum negoti facessunt, hic paucis attingam. Exordiar autem ab eo loco, qui in Anth. Pal. VII, 458 sive in Meineki editione p. 107 sq. (L.) legitur et ab his verbis incipit: Τὴν Φρυγίην Αἴσχρην, ἀγαθὸν γάλα —. Dictionis γάλα de ipsa nutrice positae exempla Jacobsius desiderabat,

Meinekius non item, cujus loci minus habent offensae. Ego tamen non Valckenario, qui verba *ἀγαθὸν γάλα* corrupta voluit, sed Meinekio adsentior ipsique Bentlejo, cui haec adpositio peculiarem quandam elegantiam habere visa est. Quodsi nihil mutandum est, poetam crederes non de nutrice lactante loqui sed de vacca nitida et lactifera, quae plenis uberibus ferat niveum nectar. Ac profecto de Aeschra nutrice, quasi de vacca agi et in ea re hujus epigrammatis cerni acumen, etiam e v. 4 colligo, si modo hunc versum recte emendavi. Et Meinekius quidem ibi Brunckio duce sic edidit: *ἡ γρῆϋς μαστῶν ὡς ἀπέχει χάριτας,* Jacobsius autem ita conjecit: *ἡ γρηῢς τὰς μαστῶν* (non *τῶν μαστῶν*) *ὡς ἀπέχει χάριτας.* At vero in cod. Palatino ita scriptum est: *ἡ γρῆϋς*^{ὡς} *μαστῶν ὡς ἀπ. χάρ.* Qua lectione innixus ita corrigo: *ἡ γρηῢς ὧν μαστῶν ἃς ἀπέχει χάριτας,* id est, ‚qualis (quam turgidae) mammae qualem gratiam ferat'. Nempe Miccus, pius alumnus Aeschrae nutrici vel mortuae imaginem ponendam curaverat. Non minus lepide scriptum est simile epigramma, non illud tamen Callimachi in Anth. Pal. VII, 456, ubi Hiero Silenidem, nutricem suam mortuam singulari pietate dicitur prosecutus esse. Silenis fuerat bibosa, quod non sine acumine expositum est. Ita igitur illud Callimachi epigramma corrigo:

Τὴν Φρυγίην Αἴσχρην, ἀγαθὸν γάλα, πᾶσιν ἐν ἐσθλοῖς
Μίκκος καὶ ζωὴν οὖσαν ἐγηροκόμει,
καὶ φθιμένην ἀνέθηκεν, ἐπεσσομένοισιν ὁρᾶσθαι,
ἡ γρηῢς ὧν μαστῶν ἃς ἀπέχει χάριτας.

Sed quum magnae hujus loci angustiae plura non capiant, alibi de Callimacheis epigramatis disserere pergam. *)

---

*) Bachmannus noster in Callimacho diu ac multum versatus est, id quod vel e Meineki Praefatione p. VI concluditur. Quo magis doleo, Bachmannum (ut ab ipso accepi) in hymnis solis fere elaborasse, non item in epigrammatis. At sic quoque ut ea quae de hymnis Callimachi egregie commentatus esse videtur, quam primum edat, literarum causa optandum est.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim vitam Jesu Christi quinis diebus h. IX enarrabit; 2) privatim artem liturgicam et homileticam quinis diebus h. X tradet; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim quinis diebus h. XI Symbolicen comparativam sive doctrinam ecclesiarum et sectarum tradet; 2) privatim quinis diebus h. XII Pauli ad Corinthios epistolam priorem interpretabitur; 3) publice orationem Christi in monte habitam et parabolas Domini secundum Synopticos explicabit die Lunae h. VI et h. VII.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim librum Geneseos explicabit quinis p. h. scholis hora VII; 2) privatim vaticinia Joelis, Amosi, Obadjae et Michae interpretabitur quinquies p. h. hora IV; 3) publice in conversatorio exegetico Cantica quae VTi libris historicis inserta sunt explicanda proponet die Veneris hora VI — VIII vesp.; 4) privatissime sed gratis lectiones Mischnicas instituet duce Geigero (Lehr- und Lesebuch zur Sprache der Mischna, Breslau 1845) binis p. h. scholis definiendis.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies p. h. h. VIII, 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinquies p. h. h. III tradet; 3) in conversatorio selecta capita theologiae apologeticae tractabit, et 4) in seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

In ordine juridico.

D. Otto Mejer, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum quinquies p. h. docebit h. XI.; 2) encyclopaediam juris quinquies h. IX.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., 1) docebit Pandectarum partem primam (praecepta generalia) quinis p. h. scholis h. XII; 2) historiam juris Romani tradet quinis scholis h. XI; 3) Relatorium instituet die Saturni h. XI — I.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., I. privatim 1) historiam juris Germanici exponet quinquies hh. cc.; 2) jus mercatorium docebit quinquies h. X; 3) jus feudale tam commune quam Mecklenburgicum tradet ter p. h. h. XII; II. publice jus cambiale docebit binis p. h. horis die Saturni h. IX — XI.

D. Theodorus Muther, P. P. O., 1) theoriam processus civilis docebit sexies h. IX; 2) institutiones juris Romani tradet sexies h. X; 3) practicum quod vocant processus civilis docebit horis cc.; 4) Gajanarum institutionum commentarium IIII[um] interpretabitur hh. cc.

D. Carolus Ludovicus de Bar, P. P. O., h. t. Decanus, 1) jus criminale commune et Mecklenburgicum docebit sexies p. hebd. h. IX; 2) processum criminalem communem et Mecklenburgicum, quater p. h. h. X.

In ordine medico.

D. Carolus Strempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice anatomen pathologicam specialem, 2) privatim pathologiam et therapiam specialem senis diebus h. IX docebit; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI in policlinico bis per hebdomadem horis definiendis moderabitur.

D. Franciscus Winckel, P. P. O., 1) clinicum gynaecologicum quinis diebus h. VIII moderabitur; 2) privatim gynaecologiae partem priorem: artem obstetriciam, quinis horis; 3) publice pathologiam et therapiam partus binis horis docebit.

D. Hermannus Rudolfus Aubert, P. P. O., 1) privatim physiologiae partem alteram (functiones vegetativas) quotidie h. VIII; 2) publice encyclopaediam et methodologiam medicinae diebus Lunae et Jovis h. XII docebit; 3) privatissime exercitationes physiologicas moderabitur bis per hebdomadem horis ternis.

D. Phil. Jac. Guilielmus Henke, P. P. O., 1) anatomes c. h. partem alteram quotidie h. XII; 2) histologiam exercitationibus illustrandam binis diebus h. IX—XI; 3) publice artem res anatomicas delineandi die Lunae h. IX—XI docebit.

D. Theodorus Ackermann, P. P. O., 1) materiam medicam quaternis p. h. horis privatim docebit; 2) pathologiae et diagnostices selecta capita experimentis et disquisitionibus practicis illustranda in instituto pathologico privatim exponere perget senis p. h. horis; 3) exercitationes laryngoscopicas publice moderabitur.

D. Carolus Hueter, P. P. O. des., 1) clinicum chirurgicum diebus Martis, Jovis et Saturni h. XI—I et dimidia moderabitur; 2) doctrinam operationum chirurgicarum iisdem diebus h. X; 3) chirurgiam generalem diebus ternis h. IV docebit; 4) operationes chirurgicas in cadavere exercendas reget horis definiendis.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. H., 1) ophthalmologiae partem priorem quaternis p. h. horis docebit; 2) exercitationes practicas in clinico et policlinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dimidia moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur, horis definiendis dabit.

D. Franciscus Eilh. Schulze, P. P. E., theatri anatomici Prosector, 1) osteologiam comparatam ternis horis, 2) anatomen comparatam organorum respirationi inservientium ternis horis docebit; 3) ad exercitationes anatomes microscopicae bis p. h. binis horis instituendas commilitones in ejusmodi exercitationibus jam versatos invitat.

D. Joannes Schroeder tradet 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examina et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) de mulierum morbis quaternis p. h. horis lectiones habebit; 2) cursum operationum quae in arte obstetricia adhibentur, ter per hebd. dabit; 3) methodum explorationis gynaecologicae explicabit.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., h. t. Decanus, privatim: 1) ternis diebus h. VIII Horati Sermonum lib. posteriorem explicabit; 2) ternis diebus hora eadem selectos Luciani dialogos interpretabitur; 3) binis diebus h. II de linguae graecae dialectis exponet. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Theocriti idyllia et Lucreti De rerum natura libri postremi tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam senis diebus h. VIII; 3) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) agros metiendi doctrinam tradet sexies p. h. h. III; 2) culturam plantarum agrestium quater p. h. docebit h. X.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim: 1) ter per hebd. Euripidis Helenam interpretabitur; 2) ter per hebd. Ciceronis ad Atticum epistolas explicabit. Privatissime quater per hebd. Archaeologiae graecae selecta capita pertractabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit privatim: 1) geometriam analyticam quater p. h.; 2) physices experimentalis partem primam (mechanicen, acusticen, opticen) quinquies p. h.; 3) mineralogiam quater p. h. horis definiendis. Privatissima proponit collegia de qualibet matheseos vel physices parte.

D. Franciscus Ferdinandus Schulze, P. P. O., 1) chemiam docebit et experimentis illustrabit, quotidie h. X—XI; 2) exercitationes chemicas moderabitur, vel diebus Martis et Veneris h. III—VII, vel quotidie horis VIII—XII et III—VII; 3) exercitationes agronomicas instituet, horis definiendis.

D. Carolus Bartsch, P. P. O., h. t. Rector, 1) publice de Goethii Fausto bis p. hebd. disseret; 2) publice Calderonis drama „La vida es sueño“ inscriptum praefatus de poetae vita et scriptis interpretabitur binis p. hebd. scholis; 3) privatim artem Germanorum metricam ter p. hebd. tradet; 4) Seminarii philologici teutonici exercitationes moderari perget.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., docebit quinis per hebd. diebus: 1) doctrinam de reditibus publicis; 2) oeconomiam publicam sive doctrinam de rerum oeconomicarum administratione publica.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim: De Gallorum seditione a. 1789 exorta disseret quinis diebus, h. XI—XII; 2) publice: historiam magnae Britanniae (saec. XVII et XVIII) narrabit binis diebus h. XII; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet, ter p. h.

D. Fridericus Francke, P. P. E., 1) publice anthropologiam psychicam s. psychologiam praecipiet quaternis per hebd. diebus. Privatim docebit 2) logicam quinis p. h. dd.; 3) metaphysicam itidem quinis p. h. dd.

D. Carolus Weinholtz, 1) de idealismo et realismo, rationalismo et empirismo historice et critice disseret comparato organoidealismo qui explicatus est in libro ipsius: „Das organisch-idealistische System der Philosophie"; 2) notionum evolutionis doctrinam exponet ex logicae compendio suo.

D. Julius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam literarum francogallicarum saeculi 18[i] docebit ter p. h.; 3) virorum literatorum, qui nunc florent imagines depinget publice bis p. h.

D. Salomo Gustavus Ludovicus Cohen, 1) exercitationes practicas in clinico veterinario in eorum usum moderabitur, qui agriculturae student; 2) de animalium domesticorum partu adjuvando, 3) de disciplina publica deque medicina forensi in morbis animalium contagiosis disseret.

D. Ferdinandus de Roda, in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit, quater per hebd.

Bibliotheca extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis, et praeterea quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

C. Bartsch, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **Otto Krabbe,** Th. D.
Jurisconsultorum **Carolus de Bar,** J. U. D.
Medicorum **Theodorus Thierfelder,** M. D.
Philosophorum **Franciscus Fritzsche,** Ph. D.

DOMUS ACADEMICAE

NUPER CONDITAE

ET A FUNDAMENTIS EXSTRUCTAE

DEDICATIONEM

A. D. VI CAL. FEBR. A. D. MDCCCLXX

RITE PERAGENDAM

RECTOR ET CONCILIUM

UNIVERSITATIS LITERARUM ROSTOCHIENSIS

INDICUNT.

ADVERSARIORUM

PARTEM PRIMAM

F. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

ROSTOCHII

LITERIS ADLERIANIS.

ADVERSARIA.

§ 1.
De Jove Tragoedo.

Lucianus, qui ab initio ‚Jovis Tragoedi' Jovem jussit *παρατραγῳδεῖν*, nomine *Ζεὺς Τραγῳδός*, quum olim ipse Jovis statuam tragoedi Romae vidisset, apte usus est. De hac statua sic est ap. Sueton. Octavio c. 57: ‚pretiosissima deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat (Augustus), ut Apollinem Sandaliarium et Jovem Tragoedum aliaque.' Et Sandaliarius quidem, ut bene Oudendorpius, hic Apollo dictus erat a vico Sandaliario, de quo constat ex A. Gellio N. A. 18, 4, 1: sed alium Romae vicum fuisse nomine ‚Tragoedi' Wolfius temere finxit. Immo, id quod vel ex uno Luciano conligere licet, titulus simulacri *Ζεὺς Τραγῳδός* nihil aliud significasse videtur nisi hoc: ‚Jupiter tragici actoris instar lamentans.' Sane Jupiter ipse in scenam quoque prodibat, uti recte Hermannus in Opusc. III p. 53. At de scenico Jove nihil traditum est, quod ad illud simulacrum Jovis referri possit. Neque quisquam, nedum Meinekius in Philol. III p. 320 et Nauckius Trag. Gr. Fragm. p. 674 ab hoc simulacro ad drama satyricum aberrassent, si Suetonii locum cognitum haberent. Multo post Suetonium et Lucianum Jovis ejusdem mentionem fecit Epiphanius Ancor. p. 108, qui non unum Jovem exstitisse docet sed plures: *ἄλλος δὲ (Ζεὺς)*, inquit, *ὁ τραγῳδὸς ὁ καὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ καύσας· τάχα δὲ θεὸς ὢν ἐπελάθετο ὅτι δάκνει τὸ πῦρ.* Quanquam Romae fuisse huncce Jovem Epiphanius non addidit: addidit vero Theophilus ad Autolycum L. III p. m. 217: *ὁ Ζεὺς ὁ καλούμενος Τραγῳδὸς, κατακλείσας τὴν ἑαυτοῦ χεῖρα, ὥς φασι, νῦν παρὰ Ῥωμαίοις θεὸς τιμᾶται,* quo in loco pro *κατακλείσας* vicissim ex Epiphanio corrigendum est: *κατακαύσας*. Itaque artifex antiquus Jovem suum esse voluit ‚malum fulminatorem, manu ambusta tragice lamentantem.' Qua in re eo fortassis adlusum est, quod Jupiter suum ipsius templum (Aristoph. Nub. v. 400) fulmine ferire et aliorum deum delubra, simulacra et imagines discutere (Lucretius De R. N. VI, 416 sqq.) per solam imprudentiam videretur, quam in Anacei fulmine icti conflagratione Jupiter sibimet ipse exprobrat

in Luc. Timone § 10. Sed Jovem tragoedum, quem duo illi scriptores christiani merito explodunt, mirere Romae in vico dedicatum fuisse: in quo rectam Augusti mentem solitumque judicium valde desidero. Nam illud simulacrum quamvis pretiosum tamen non, ut Augustus speraverat, ad colendum Jovem valere potuit, sed potius ad deridendum. Licet enim cum hac Jovis Tragoedi statua picturas quasdam petulantes conferre, ut Ctesilochi Jovem, qui Liberum partu enitebatur (ap. Plinium N. H. 35, 140). Sed Strabo VIII p. 343 C et Athenaeus VIII p. 346 C non minus ridiculam Cleanthis tabulam, ‚Jovem qui Minervam parturibat Neptuno thynnum obferente', quum nominant tum adjiciunt hancce picturam in Dianae Alpheoniae templo dedicatam fuisse. Qua re comparata Augusti imprudentiam, qui Jovem Tragoedum Romae publicarat, haud nimis mirabimur. — His vixdum scriptis peropportune incidi in Theophili ad Autolycum editionem recentissimam (ed. Otto. Jenae, 1861. 8), in qua superior ille locus 3, 8 p. 210. C ita se habet: *τί γάρ μοι καταλέγειν τὰς ἀσελγείας τῆς μητρὸς θεῶν λεγομένης, ἢ Διὸς τοῦ Λατιαρίου διψῶντος αἵματος ἀνθρωπίνου, ἢ Ἄττου τοῦ ἀποκοπτομένου, ἢ ὅτι ὁ Ζεὺς ὁ καλούμενος Τραγῳδὸς, κατακαύσας τὴν ἑαυτοῦ χεῖρα, ὥς φασιν, νῦν παρὰ Ῥωμαίοις θεὸς τιμᾶται;* Ex Ottonis adnotatione ad rem haec pertinent: ‚*κατακαύσας*] — Tres, inquit, nostri cdd. msscr. *κατακλύσας*. Sic etiam Gesn. Duc. — —. At Fell. *κατακλείσας* ex conjectura, quam Wolf. quoque textui inseruit — —. Hui! Omnes editores et interpretes neque viderunt corruptelam neque locum intellexerunt. — Certissima emendatione — pro vulg. *κατακλύσας* restitue Theophilo *κατακαύσας*.' Denique Otto quoque teste et auctore utitur Epiphanio Ancor. c. 106. (Opp. ed. G. Dindorf I, p. 208): — *ἄλλος δὲ (Ζεὺς) ὁ Τραγῳδὸς, ὁ καὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ καύσας.* Itaque in Theophili loco codices mendose exhibent *κατακλύσας*. Ergo antiquitus scriptum erat *ΚΑΤΑΚΑΥΣΑC*, similibus *Λ* et *Α* literis inter se confusis. Cujus loco Otto recte ille quidem nunc *κατακαύσας* corrigit gemino Epiphanii loco in consilium adhibito. Ego vero jam olim in Theophili loco per me *κατακαύσας* (pro *κατακλείσας*) emendaram idque feceram comparato illo ipso loco Epiphanii. Verum enimvero quidnam sibi voluerit *Ζεὺς Τραγῳδός*, explorari planeque perspici posse nego, nisi quis etiam Luciani inprimisque Suetonii testimonia compararit et comparata recte explicuerit.

---

§ 2.

De Aristophanis loco in Nubibus

v. 175—179.

Apud Senecam De Vita Beata c. 27, quo judice comicis vitia diffamanda erant non infamandae virtutes, Socrates proclamat: ‚Praebui ego aliquando Aristophani materiam jocorum. Tota illa comicorum poetarum manus in me venenatos sales suos effudit:

inlustrata est virtus mea per ea ipsa, per quae petebatur.' Ut unum crimen adferam, furtum viro honestissimo ab duobus comicis in his ab Aristophane objectum est, qui ibidem ,griphi' utitur artificio. Simile et paene idem fuit *αἴνιγμα*, de quo ita Pollux VI, 107: *τὸ μὲν αἴνιγμα παιδιὰν εἶχεν, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν.* Et aenigma quidem quid sit, verissime definivit Aristoteles in Poetic. XXII, 5: *αἰνίγματος ἰδέα αὕτη ἐστὶ, τὸ λέγοντα ὑπάρχοντα, ἀδύνατα συνάψαι.* Nam aenigma nihil est aliud nisi problema obscuro modo i. e. eorum connexione, quae connecti nequeunt, rem per se veram atque notam significans. Ab illo autem Aristotelis loco totus fere pendet Vossius in Institutt. Orator. Lib. IV, cap. V, p. 205—207. Quo magis mirere, discipulum Aristotelis Clearchum Solensem, qui libros duo *Περὶ Γρίφων* scripserat, nominis *γρῖφος* finitionem protulisse ineptissimam ap. Athen. X, p. 448, c, quae ab Casaubono ad Athen. (T. V, p. 518 ed. Schw.) merito explosa est. Sed Clearchus, quem Athenaeus ut sui similem admiratus est, Schweighaeuser autem saepe (ut T. IX, p. 77) scriptorem dixit fatuum, omnino mire hic balbutit, partim fortassis Athenaei culpa, si prima quaeque non optima quaevis ex eo delibavit. Illud quidem pro certo adfirmamus, ex omnibus Clearchi locis qui sunt in Athenaeo, ad inveniendam nominis *γρῖφος* naturam non multum profici, neque adeo jure reprehendi posse aut me ipsum aut acutissimum virum A. Meinekium, qui Clearchum sequi coacti sumus (neque enim nova temere licet fingere), ego quidem in antiquae griphis comoediae, quos verbo adtigi ad Arist. Thesmoph. p. 623, ille in griphis mediae, de qua re multa conlegit in Hist. Crit. Com. p. 277 sq. Ita misso Clearcho, qui pueros docere videtur, griphos quum proponi in conviviis solvique, tum verborum ac rerum premi obscuritate, alia via ad ,griphi' sedem et quasi arcem enitendum est. Ac primum Clearchi jocosos griphos et convivales hic praeteribimus, non quin pervulgati fuerint, sed ob id ipsum quod fuerunt pervulgata neque explicatu difficilia haecce *μνημόνια*, ut a Theodecte Pollucis VI, 108 adpellantur. Enimvero plus acuminis illi habuerunt quos nunc quaerimus griphi, h. e. sophismata generis dialectici: hujus enim nominis *σόφισμα* notio patuit latius. Nostri igitur *γρῖφοι* ut dicebantur vere ,retia' fuerunt captionesque ad inlaqueandum comparatae, fallaces et falsae conclusiones sive *παραλογισμοί.* Atque hi griphi ad res graviores traducti quo rarius in convivio adsumebantur, eo acrius in rhetorum scholis et philosophorum agitari solebant. Inprimis autem Megarici philosophi eorumque exemplo mox etiam Stoici hanc incudem adsiduo putarunt tundendam esse, Megarici quidem omnes, ut Stilpo, Diodorus, Alexinus, quorum erant contorta et aculeata sophismata, sive fallaces conclusiunculae. De qua re vide Tullium in Academ. Prior. II, 24 atque De Divinat. II, 4. Quid quod has ipsas res A. Gellius ,griphos' adpellavit in N. A. I, 2: ,vocabulis haud facile cognitis, syllogismorum captionumque dialecticarum laqueis strepebat, *κυριεύοντας, ἡσυχάζοντας* et *σωρείτας* aliosque id genus griphos neminem posse dicens nisi se dissolvere.' Ac ne quis rem a Megaricis demum opinetur inventam esse necdum cognitam fuisse Aristophani: Megarici haec ab sophistis acceperant antiquioribus, velut a Protagora, cujus viri causa inferior, quam dicendo reddebat superiorem, ejusmodi argutiis atque griphis necessario con-

stitit.*) Denique alius scriptor griphos rhetoricos esse judicavit ‚*ἀνακολουθίαν*‘, quae minime est notissima illa generis grammatici, sed logica, qua quis ut acute dicto utatur et problema proponat, duabus sententiis copulari nesciis mire copulatis cogitandi leges de industria violat (logisches Anakoluthon) eoque (ut de nomine *αἴνιγμα* Aristoteles scripsit) *ἀδύνατα συνάπτει.* Dico sive Demetrium sive quem alium, valde illum quidem probandum auctorem et Clearcho longe anteponendum, De Elocutione CLII sq.: *Ἔστι δέ τις καὶ ἡ παρὰ προσδοκίαν χάρις· ὡς ἡ τοῦ Κύκλωπος, ὅτι ὕστατον ἔδομαι Οὖτιν* (Od. *ι*, 369). *οὐ γὰρ προσεδόκα τοιοῦτο ξένιον οὔτε Ὀδυσσεὺς οὔτε ὁ ἀναγινώσκων. καὶ ὁ Ἀριστοφάνης ἐπὶ τοῦ Σωκράτους, κάμψας ὀβελίσκον, φησίν, εἶτα διαβήτην λαβών, ἐκ τῆς παλαίστρας θοἰμάτιον ὑφείλετο.* (Nub. v. 178 sq.) CLIII. *Ἤδη μέντοι ἐκ δύο τόπων ἐνταῦθα ἐγένετο ἡ χάρις. οὐ γὰρ παρὰ προσδοκίαν μόνον ἐπηνέχθη, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἠκολούθει τοῖς προτέροις. ἡ δὲ τοιαύτη ἀνακολουθία καλεῖται γρῖφος, ὥσπερ ὁ παρὰ Σώφρονι ῥητορεύων Βουλίας· οὐδὲν γὰρ ἀκόλουθον αὐτῷ λέγει· καὶ παρὰ Μενάνδρῳ δὲ ὁ πρόλογος τῆς Μεσσηνίας.* Duplex nostri loci dos est, quod comici versus ibidem optime inlustrantur, et quod griphi rhetorici natura egregie perspecta est, quam in fallaci et aculeata sententiarum consecutione positam esse statuit: ubi quis tam perplexe et tam contorte loquatur, ut oratio omnino non cohaereat. Verba Aristophanis haec sunt in Nub. v. 175 sqq.:

ΜΑΘΗΤΗΣ.

ἐχθὲς δέ γ᾽ ἡμῖν δεῖπνον οὐκ ἦν ἑσπέρας.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

εἶεν· τί οὖν πρὸς τἄλφιτ᾽ ἐπαλαμήσατο;

ΜΑΘ.

κατὰ τῆς τραπέζης καταπάσας λεπτὴν τέφραν,
κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβών,
ἐκ τῆς παλαίστρας θοἰμάτιον ὑφείλετο.

ΣΤΡ.

τί δῆτ᾽ ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν;

Apud Demetrium quatuor Victorii codicum lectio adhuc latet, quintus habet: *ὀβελίσκον φησίν* (omisso *κάμψας*) sextus denique: *κάμψεν ὀβελίσκον φησίν,* unde Victorius

---

*) Protagorae fuit ista professio, *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*, sicut uno ore testantur Aristoteles in Rhet. II, 24, Eudoxus ap. Stephan. Byz. s. *Ἄβδηρα* p. 6 ed. Mein., A. Gellius in N. A. V, 3 fin. et Cicero in Bruto c. 8, qui recte addit his sophistis opposuisse sese Socratem. At solus hominum Aristophanes in Nubib. v. 112 sqq. hoc Protagorae *ἐπάγγελμα* ad Socratem transtulit, Protagorae adversarium, atque adeo in ea ipsa re totius comoediae, quae sunt ‚*Νεφέλαι*‘, cardo vertitur. Ita vero Protagoras in Nubibus multo magis ridetur, quam Socrates. Et hoc illud est, quod Seneca dixit, virtutem Socratis ab Aristophane inlustratam esse. Nempe anno Nubium Ol. 89, 1=424 Protagoras nondum Athenas reverterat, ut liquet ex Athenaeo V p. 218, c, de quo loco Bergkius (De Comoed. p. 102) recte judicavit. Ita Aristophanes, ne in absentem nominatim scripsisse comoediam videretur, Protagorae loco Socratem arripere coactus est, qui vulgo et ipse in numero habebatur ‚sophistarum‘.

jure restituit: *κάμψας ὀβελίσκον, φησίν.* At in deterioribus Demetrii codd. mutila verba male suppleta sunt itaque interpolata: *κηρὸν διατήξας φησίν,* nempe e Nub. v. 149. Inde Hermannus ad Nub. v. 150 conjecit videri sibi duo exempla adtulisse Demetrium, neque adtendit in priore loco (Nub. v. 149) nihil dictum esse *παρὰ προσδοκίαν.* Apud ipsum vero Aristophanem lectionis nulla varietas est praeterquam v. 178 *κάψας* pro *κάμψας* in Rav. Nam quod Invernitius ait, v. 179 in eodem Rav. scriptum fuisse *ἐκ τραπέζης* (sic) ac deinde *παλαίστρας* substitutum: merum hunc Inverniti errorem esse censeo, tacente praesertim Bekkero, repugnante Demetrio, repugnante etiam Arriano Diss. Epict. IV, 2, 20: *ἀλλὰ λέγει Ἀριστοφάνης, τοὺς ὠχριῶντας τοὺς ἀνυποδήτους λέγω* (cf. Nub. v. 103). *λέγει γὰρ καὶ ἀεροβατεῖν αὐτὸν* (v. 225) *καὶ ἐκ τῆς παλαίστρας κλέπτειν τὰ ἱμάτια* (v. 179). Nec vero e v. 179 ‚pallii‘ notionem tollere licet. Etenim in Nub. v. 497—500 Strepsiadi Socrates *θοἰμάτιον* furatur, v. 856 patrem pallio ab Socrate exutum filius ridet et v. 1498 Strepsiades pallii furtum ulciscitur. Quae neque cum lepore et sine causa dicerentur omnia neque ullam haberent explicationem, nisi jam superiore loco (v. 179) ‚pallium‘ maxime subreptum esset. Ita de scriptura loci Nub. 175—180 nobis licet esse securis. Unum tamen concedo incertum esse, utrum v. 179 *θοἰμάτιον* an *ἱμάτιον* scribendum sit. In Aristophane *θοἰμάτιον* exhibent libri omnes et schol. Rav. (ter), apud Arrianum item articulus est (*τὰ ἱμάτια*), apud Demetrium omnes codd. (etiam Victoriani) atque edd. *θοἰμάτιον* servant, praeterquam quod in Ald. Vind. sane *ἱμάτιον* exstat. Postremo in Aristophane schol. recentior ad v. 179 in expositione bis omisit articulum: *ἔλαβεν ἱμάτιον,* inquit et mox: *ὑφεῖλε τὸ ἱμάτιον,* ubi corrige, *ὑφείλετο ἱμάτιον.* Qui igitur v. 179 articulum ferendum esse negant, ii Brunckio ad Ar. Plut. v. 985 auctore *ἱμάτιον ὑφείλετο* scribant; qui autem *θοἰμάτιον* defendent, dicere poterunt certum certi hominis pallium subreptum fuisse. Sed quemadmodum Socrates tria superiora *φροντίσματα* ab v. 144 domi suae excogitavit, ita idem adhuc domi suae versari dicitur v. 177 et v. 178, id quod non fugit Reisigium in Nubium Praefat. p. XXIV jure illum mirantem, quomodo ex umbra scholae repente in palaestrae lucem deferamur. Est istuc quidem portenti simile, quo Socrates vel Thaleti praestiterit. Qui quum domi suae esset et coenare cuperet magis quam posset: tenui cinere in mensam insperso, veru ita incurvato ut eo pro circino uteretur, his inquam institutis domi suae e palaestra vestem furatus est. Nec solum in loci mutatione subita verum etiam in re ipsa stupescimus etiam atque etiam mirantes, quomodo circini descriptione subripere pallium liceat. Tot tantisque malis ita Demetrius obcurrit, ut primo versum 179 *παρὰ προσδοκίαν* adjectum esse doceat consentiente scholiasta, qui, *ὑφείλετο: τοῦτο,* inquit, *παρ᾽ ὑπόνοιαν ἐπήγαγεν.* Ac solent comici, ut loco nostro, in ipso orationis fine hanc figuram inferre. Quidnam sit *παρὰ προσδοκίαν* et quam id late in Graecorum comoedia pateat, ipse (De Sortit. Judicum p. 16 adnot. 20) ostendi. Solus vero Demetrius c. CLIII illud quoque habet, in quo uno insunt omnia, non solum hanc figuram, sed etiam griphum sive anacoluthian versu 179 contineri. Demetrii sententia huc redit. Fac, omissis duobus versibus 177 et 178 duo versus *ΣΤΡ. εἶεν — ἐπαλαμήσατο; ΜΑΘ. ἐκ τῆς π. θ.*

ὑφείλετο continuatos esse, res ipsa nihil mutabitur, sed griphus erit nullus. Nunc autem praemissis his versibus duae narrationes, quae sibi invicem repugnant, per griphi figuram in unum commiscentur.*) Sed iniquo casu accidit, ut ,Nubium' interpretes Demetrii locum cap. CLIII legere non curarent omnesque plane de eo tacerent praeter Chr. Walzium in Rhet. Gr. IX, p. 71, qui recepta θυμάτιον conjectura aliud esse ostendit legere Demetrium, aliud intellegere. Nam haec conjectura illo ipso Demetrii loco gravissime certissimeque refutata est. Demetrii locum postremum ne Hermannus quidem lectis prioribus c. CLII noverat ideoque in secunda Nubium editione (a. 1830) aliam viam ingressus θυμάτιον pro θοἰμάτιον acutissime conjecit atque ita edidit: θυμάτιον ὑφείλετο. Raro alias ulla conjectura tanto plausu virorum doctissimorum excepta videtur, quos longum est omnes enumerare. Sperabant enim, si modo θυμάτιον comprobassent, futurum esse, ut ille Aristophanis locus tandem sine salebris fluere diceretur. Unus fere Suevernius (Wolken p. 17) Hermanno se partim opposuit et pro librorum scriptura θοἰμάτιον ὑφείλετο, in qua crimen inest capitale, adtulit Solonis legem ap. Demosthenem in Timocrat. 114, 1 B. et alia plura hujusmodi. Equidem in Quaestt. Arist. p. 221 θοἰμάτιον l. l. optime defendi posse dixi, ut tamen adhuc dubitarem. Dubitandi causa fuit, quod Hermannum id agere videram, ut cogitandi legibus plane satisfieret, Demetrium autem, ut eaedem leges impune eludi possent.**) Postea intellexi vera Demetrium tradidisse ideoque ita scripsi ad Arist. Ranas v. 1242 p. 373, non si ingeniosissima sit Hermanni conjectura θυμάτιον, ideo mutari debere librorum scripturam θοἰμάτιον, cujus intellectum esse paullo reconditiorem. Inprimis hoc videram, Hermannum id quod voluisset, conjectura sua minime adsecutum esse, sed ex tot quae illi Nubium loco insunt miraculis unum aliquod sustulisse, alia ibidem reliquisse. Quae res non latuit Thierschium (in Commentatt. Acad. Monac. 1835, p. 647 sqq.), ubi θυμάτιον Hermanni conjecturam ita probavit, ut tres versus 177—179 ipse Thierschius ita scribi vellet:

κατὰ τῆς παλαίστρας καταπάσας λεπτὴν τέφραν,
κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβὼν
ἐκ τῆς τραπέζης θυμάτιον ὑφείλετο.

At quid hoc sibi vult, Socratem palaestram totam tenui cinere conspersisse? Omninoque nimis violenter egit Thierschius ac paene summa imis miscuit. Denique in Nubium loco etiam alia res fugit interpretes v. 176 ambiguitas et acumen verbi ἐπαλαμήσατο,

*) Tironum causa haec vernacule dicta repetam: Problem. Sokrates hat zu Hause kein Abendessen (v. 175). Auflösung in zwei sich widersprechenden Erzählungen, 1) Sokrates beschäftigt sich zu Hause mit der Vorbereitung zu einer mathematischen Demonstration mittelst eines zum Zirkel verbogenen Bratspiesses (v. 177 und v. 178) —. Hier wird plötzlich abgebrochen! 2) Sokrates stiehlt aus der Ringschule einen Mantel (v. 179).

**) Meminisse decet nos hic in comoedia versari. Et jam olim (De natura ridiculi init.) hac definitione usus sum, ,ridiculum (sive facetias) nihil aliud esse, nisi bonam mentem, latentem illam specie cujusdam perversitatis'. Plerique falsas adtulerunt finitiones excepto G. Hermanno ad Aristot. Poetic. p. 221, qui similiter sane definierat.

quod Brunckius esse voluit ‚excogitavit'. Immo jam nunc adluditur ad ‚furtum' insequente mox v. 179 verbo *ὑφείλετο*. Itaque v. *ἐπαλαμήσατο* equidem verto ‚manuatus est'. Ita enim in mimis Laberius ap. A. Gellium N. A. XVI, 7 init. scripserat: ‚manuatus est' pro ‚furatus est'. Ad ipsum vero Demetrium quod adtinet, qui minime est ille ‚Phalereus', nostrum, qui pro rhetore etiam aliunde noto habetur Demetrio ‚Alexandrino', necesse est sub Marco demum Antonino aut non multo ante, ut magnis patet indiciis, floruisse: de quo vide Schneiderum in Praefat. p. XII et Walzium in Rhet. Gr. IX p. III—IX. Itaque suspicio est id quod fieri per tempora potuit, per naturam rei prope debuit, sane factum esse, ut quae in c. CLIII insunt omnia, et griphi definitionem et explicationem Nubium v. 179 cum locis Sophronis atque Menandri Demetrius noster e scholiis Alexandrinis ad Nub. v. 179 mutuaretur, id est vel Aristophanis Byzantii vel Aristarchi vel Callimachi vel magni denique ex eorum disciplina alumni. Ille igitur grammaticus dudum amissus primum Demetrio, hic rursum posteris lampadem tradidit, cujus Demetrii beneficio griphum versus Nub. v. 179 tandem ita cognitum habemus itaque perspectum, ut jam inde etiam de geminorum locorum ratione capere conjecturam liceat. Nunc ad ea primum transeo, quae de Sophrone, tum etiam quae de Menandro rhetor ille addidit. Quorum utrumque, inprimis Sophronem Demetrius ipse lectitavit, nos utrumque pridem intercidisse dolemus, ut vel divinatio nostra esse videri possit supervacanea. Hoc tamen dicam, neque de Sophronis rhetore neque de prologo Menandri ab aliis quidquam traditum esse, quod Demetrii judicio ulla ex parte repugnet. Principio si illud: *οὐδὲν ἀκόλουθον αὑτῷ λέγει* (scil. *ὁ Βουλίας*) vere dictum est, hinc profecto concluditur, qualis in illo Nubium loco inest, tali gripho item usum fuisse Sophronem. Quaeritur autem, num proverbium hocce ‚*Βουλίας δικάζει*' cum hoc Sophronis mimo cohaereat. Et Mnaseas quidem Zenobii II, 67 quum alia de ortu proverbiorum mendacia commisit, tum hoc proverbium multimodis corrupit et certa lite cujus *Βούνας* (sic) arbiter fuerit ementienda et ipso nomine constanter in formam *Βούνας* deflectendo. At proverbium certo fuit *Βουλίας δικάζει*, uti bene scribitur ap. ipsum Zenobium II, 86, ap. Macarium II, 82, Apostolium V, 11[a] p. 333 ed. L. alios. Prima quidem specie ambo videntur differre: Bulias proverbii fuisse dicitur ‚Atheniensis', alter fuisse ‚Siculus' videtur, uti Sophron ipse fuit; Bulias in proverbio judex sedet, apud Sophronem autem non est judex sed agit rhetorem. At facile haec refellere licet explicatione ipsa proverbii omnibus auctoribus etiam Mnaseae illa communi, qui hac quoque re sorex se prodidit. Constanter enim docent illud *Βουλίας δικάζει* de judice cunctatore ponendum esse, cui judici per totam vitam ‚non liqueat.' Quae res in illum Sophronis mimum praeclare convenit, e quo mimo ille proverbii *Βουλίας* mihi videtur repetitus esse, non e Mnaseae narratiuncula. Nam de judice cunctatore attici dicere solebant: *Βουλίας τις δικάζει* h. e. ‚alter Bulias judex nunc sedet'. Itaque Sophronis Bulias fuit quidam *δύσβουλος,* nomen et omen habuit, in utramque partem ita disputavit, ut secum perpetuo ipse pugnaret, fuit denique longi subsellii deliberator. Ceterum Sophronis Bulian inlustrare studuit etiam O. Jahnius in Prolegomenis ad Persium p. XCVI, cujus viri non omnia dicta

probo*), illud tamen laudo, quod hanc quoque Sophronis personam e quotidiana vita sumtam esse conjecit, et quod ipsum nomen *Βουλίας* ex re fictum voluit, eamque rationem etiam in alia apud Sophronem nomina cadere demonstravit. Postremo etiam Menandri facta est mentio his verbis: *καὶ παρὰ Μενάνδρῳ δὲ ὁ πρόλογος τῆς Μεσσηνίας,* quibus quidem ea quae modo bis praemissa sunt, Demetrius virorum magister non puerorum nosmet ipsos adjicere voluit et cogitando supplere, haec dico: *οὐδὲν γὰρ ἀκόλουθον αὐτῷ λέγει.* Commode autem sibi invicem haec respondent, *ὁ παρὰ Σώφρονι ῥητορεύων Βουλίας* ac deinceps, *καὶ παρὰ Μενάνδρῳ ὁ πρόλογος.* Etenim *ὁ πρόλογος* hic apud Demetrium nihil aliud est quam *ὁ προλογίζων,* sicut etiam Lucianus loquitur in Pseudologist. § 4 init: *τῶν Μενάνδρου προλόγων εἷς ὁ Ἔλεγχος* eodemque modo latine ‚prologus‘ usurpatur ab Terentio in Heauton Tim. Prolog. v. 11 et Hecyr. Prolog. II, v. 1. Ipsa comoedia a plerisque ‚*Μεσσηνία*‘ dicitur, ab Harpocrat. p. 127 ed. B. et Suida (s. *Ἀληθέστερα*) ‚*Ἀνατιθεμένη*‘, a Menandro autem inscripta erat ‚*Ἀνατιθεμένη ἢ Μεσσηνία*‘, uti exstat ap. Suidan (s. *Ἀράβιος ἄγγελος*), pro quo Apostolius III, 70 *ἐν Ἀνατιθεμένῃ. ἡ Μεσσήνια* habet mendose. Ac genuinam esse fabulae inscriptionem *Ἀνατιθεμένη ἢ Μεσσηνία* Meinekium olim p. 16 ed. prim. non fugerat. Nam quod postea (IV, p. 80 ed. sec. et p. 874 ed. tert.) *Ἀνατιθεμένην* et *Μεσσηνίαν* fabulas fuisse conjecit diversas: nullo plane fundamento haec conjectura nititur et pro nihilo videtur ducenda esse. Deinde Messenia dicitur puella, ut ab eodem Menandro *Ἀνδρία, Περινθία* et aliae eademque *ἀνατιθεμένη* propterea quod (ut recte idem Meinekius IV, p. 78) sententia mutata amatorem subito odisse coeperit. Hinc quae Pollux X, 101 servavit: *ἡγεῖταί μ' ὅλως | ἐπικόπανόν τι* (ubi libri ante Bentlejum *μὲν* pro *μ',*) ea verba fuisse suspicor puellae Messeniae querentis de acceptis injuriis. Quae autem exstant ap. Aelianum A. H. XIII, 4: *τίθημ' ἔχειν χολὴν σε καλλιωνύμου | πλείω,* amatorem locutum opinor et puellae Messeniae nimiam exprobrasse iracundiam. In eadem fabula fuerat Psyllus leno, uti Meinekius p. 875 ed. tert. e Photio p. 656, 4 et Anthol. Palat. VII, 403 egregie docuit. Sed in comoedia postrema gratiam inter amantes reconciliatam fuisse quis dubitet? Ita argumentum hujus fabulae redibit ad illud Terenti dicam an ipsius Menandri in Andria III, 3, 23: ‚Amantium irae amoris integratio 'st.‘ Nunc ad prologum revertor et ad griphum illic ab Demetrio observatum: cujus griphi quodammodo divinandi ansam fortassis alter titulus praebet ‚*Ἀνατιθεμένη*‘. Non quod fieri potuerit, ut prologi ornatu prodiret *ἡ Ἀβουλία* (sive *Δυσβουλία* sive *Ἀπορία*) quae sane deberet *ἀπέραντα συμπεραίνεσθαι,* quae illi Sophronis viro Buliae similis futura esset, et comparari posset etiam cum comoediae prologis actis ab Elencho, ab Sophia aliisque ap. Meinekium ad Fragm. Menandr. p. 284 ed. prim. sive p. 308 ed. sec. At si ego Graecorum comoediam bene novi, fieri illud quidem non potuit. Immo prologum egisse

---

*) Num proverbium *Βουλίας δικάζει* ad eundem qui in Sophrone fuerat, referendum sit, incertum esse ait, ‚praesertim quum hic ab aliis *Βούνας* vocetur‘ (ab uno videlicet Mnasea). Tum ita pergit minus recte: ‚Sophronis Bulias ineptus homo fuisse videtur, qui quum rhetoricis pigmentis sermonem ornare vellet, aenigmata loquebatur‘.

servus videtur: qui si vel ob amores Messeniae vel ob hujus puellae inconstantiam ab ero sene vel erili filio incusatus erat, mirum non est eundem argumento enarrando sui velut purgandi causa lingua haesitasse et pugnantia locutum esse. Haec hactenus de Demetrio quum ipso tum testimoniis ejus omnibus: nunc ad alios scriptores, si qui praeterea habuisse griphum dialecticum videntur, transeundum est. Ac primum ipse Menander non solum in ,Messenia' verum etiam in alia fabula hoc usus est artificio. Etenim ,Bacchides' Plauti graecam esse Menandri ,*Δὶς ἐξαπατῶν*' F. Ritschelius in Parerg. Plaut. I, p. 405 sqq. satis demonstravit. Poscit autem oeconomia ,Bacchidum', ut Mnesilochus adolescens Bacchidi suae iratus omne aurum patri reddat (v. 516 sqq.), quod aurum patri paullo post iterum eripietur; eademque oeconomia flagitat, ut idem paullo ante amorem suum ira esse ostendat potentiorem. Atque hoc ipso in loco III, 4, 1 (v. 500—511 ed. R.), inest griphus, cujus elegantiam Plautus adsecutus non est, ita tamen secutus, ut sic quoque et griphum ipsum et Menandri ingenium mihi videar agnoscere. Sic igitur Plautina illa inde ab v. 502 partim cum Hermanno atque Ritschelio scribenda esse censeo:

Illum éxoptavit pótius? habeat: óptume est.
Nae illa íllut hercle cúm malo fecít ,meo'.
Nam míhi divini núnquam quisquam créduat,
Ni ego íllam exemplis plúrumis planéque ,amo'.
Ego fáxo hau dicet náctam quem delúserit.
Nam iám domum ibo atque ,áliquid surrupiám patri'.
Adeo íllam cogam usque, út mendicet ,meús pater'.
Sed sátine ego animum ménte sincerá gero,
Qui ad húnc modum haec hic, quaé futura, fábulor?
Amo hércle opinor —.

De his quoque Mnesilochi versibus Demetrius rhetor scripturus erat: *οὐδὲν ἀκόλουθον αὐτῷ λέγει· ἡ δὲ τοιαύτη ἀνακολουθία καλεῖται γρῖφος*. Nam sine gripho dicendum erat v. 503 ,suo' pro ,meo', v. 505 ,eradico' pro ,amo', v. 507 ,aurum patri reddam' pro ,aliquid surrupiam patri', denique v. 508 ,ut mendicet', scil. Bacchis pro ,ut mendicet meus pater'. Sed nunc ad Aristophanem redeo, qui gripho sese uti in Vespis v. 20 ipse profitetur*). Verba comici infra posui:

---

*) Sciens praetereo Eupolidis fragmentum, in quo griphus est nullus, etsi cum Nub. v. 179 ab scholiasta non male comparatum est. Nam Eupolis quoque in ipso fine praeter exspectationem dixit ,*οἰνοχόην ἔκλεψεν*'. Verba ipsa Eupolidis ap. schol. ad Nub. v. 96 haec sunt: *δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπίδειξιν Στησιχόρου οἰνοχόην ἔκλεψεν* et ibidem ad v. 179: *Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν*. Hic v. *τὴν ἐπίδειξιν* mordicus tenent et Bergkius De Comoed. p. 353 et is qui *δέξασθαι τὴν ἐπίδειξιν* recte dici posse frustra pertendit, Meinekius Com. Fragm. II, I, 552. Respondi ego (ap. Töppelium De Eupol. Adulat. p. 66), duumviris illis saltem ita conjiciendum fuisse: *τὴν ἐπίδειξιν [ᾠδῆς] | Στησιχόρου* et ne sic quidem istuc *τὴν ἐπίδειξιν* usitatum fuisse. Nam si scolium a priore conviva coeptum proximus cantor continuaret (ut in Vesp. v. 1222—1248, ubi vide scholium ad v. 1222), id ipsum attice dictum esse hoc modo: *δέξασθαι ᾠδὴν* (sive *σκόλιον*), sicuti legatur in Vespis v. 1222: *τὰ*

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ἐδόκουν ἀετὸν
καταπτόμενον ἐς τὴν ἀγορὰν μέγαν πάνυ
ἀναρπάσαντα τοῖς ὄνυξιν ἀσπίδα
φέρειν ἐπίχαλκον ἀνεκὰς ἐς τὸν οὐρανόν,
κἄπειτα ταύτην ἀποβαλεῖν Κλεώνυμον.

ΣΩΣΙΑΣ.

οὐδὲν ἄρα γρίφου διαφέρει Κλεώνυμος.
ΞΑ. πῶς δή; ΣΩΣ. προερεῖ τις τοῖσι συμπόταις λέγειν,
ὅ, τι ταὐτὸν ἐν γῇ τ' ἀπέβαλεν κἀν οὐρανῷ
κἀν τῇ θαλάττῃ θηρίον τὴν ἀσπίδα;

V. 16 *καταπτόμενον* Brunckius attice. libri, *καταπτάμενον*. V. 21 verba *πῶς δή*, quae in libris Sosiae continuantur, Xanthiae primus reddidit Bentlejus. Tum vulgo *προσερεῖ* legebatur, cujus loco cod. Venetus recte exhibet *προερεῖ*. Ibidem idem codex pro vulgata *λέγων* dat *λέγω* mendose. Omnino atticum est, *προερεῖ λέγων*, ut ipse Aristophanes dixit in Georgis: *φάθι λέγων* et Sophocles in Ajace v. 757: *ἔφη λέγων*, ubi

---

σκόλι' ὅπως δέξει καλῶς. Sed quicunque morem convivii attici bene meminerit, nostram emendationem in Quaestt. Aristoph. p. 219 propositam sat scio probabit: *δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπιδέξι' —*, ubi illud *τὴν ἐπιδέξια* ex ipso Eupolide Pollucis II, 159 apte comparavi. Et quod adtinet ad hanc restitutionem, *τὴν ἐπιδέξι'*, plane mihi adsensus est Cobetus in Mnem. 4, 301. Tum ante v. *Στησιχόρου* aliquid excidisse et metrum et sententia indicio est, ut olim vidit Hermannus. Quodsi hi choriambi fuerunt lyrici et continuum systema, necesse est creticum deesse, uti volueram in Quaestt. p. 219; sin autem nullo systemate versus sunt duo iique pares, sequitur duas tantum syllabas intercidisse, ut postea judicavi ap. Töppelium l. l. p. 66. Hoc alterum placuit etiam Bergkio l. l. p. 353 et Meinekio l. l. p. 552. Ac Meinekius quidem *ᾄδων* supplevit felicissime. Hoc ipso enim genetivo comici saepe utuntur, *ᾄδειν Κλειταγόρας*, velut Aristophanes in Lysistr. 1237 (bis), Vesp. v. 1225 et Cratinus ap. schol. ad Vesp. v. 1239. Optime igitur Cobetus in Mnem. 4, 301 et meam correctionem *τὴν ἐπιδέξι'* et vero Meineki supplementum *ᾄδων* comprobavit. Scribendum est enim:

Δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπιδέξι', [ᾄδων]
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν, οἰνοχόην ἔκλεψεν.

‚Quum autem Socrates, inquit, calicem dextrorsus traditum accepisset, Stesichori scolium ad lyram canens, trullam furatus est.' Ceterum quod ego in Quaestt. Aristoph. p. 217 bene inventum minus bene rejeceram, id optime tenuit Bergkius De Comoed. p. 340 et p. 353, qui hos duo versus metri indicio ad antepirrhema (immo epirrhema) Adulatorum refert, id quod Meinekius Com. Fr. II. I p. 552 et Grothe De Socrate Aristophanis p. 18 sqq. secuti sunt. Nam Athenaeus VI p. 236, e diserte testatur, in Eupolidis Adulatoribus chorum locutum esse versus XVI: *Ἀλλὰ δίαιταν — παρέδωκεν Οἰνεῖ*, qui eodem plane metro constant. Hi sedecim versus ad quam fabulae partem pertineant, fugit Meinekium Fragm. Com. II. I p. 485, non item Bergkium De Comoed. p. 340, qui integrum sibi epirrhema agnoscere visus est. Immo est antepirrhema integrum, quod recte incipere potuit ab v. *Ἀλλά*. Quae si vere dicta sunt, duo versus superiores: *Δεξάμενος δὲ — οἰνοχόην ἔκλεψεν* videri poterunt ex epirrhemate Adulatorum Eupolidis repetiti esse. Nempe de parasitorum sive originibus sive aliis rebus jam in hoc epirrhemate sermo fuerat, ut ex oppositione vocis *δίαιταν* adparet (*Ἀλλὰ δίαιταν —*). Sic in epirrhemate Vesp. ab v. 1071 figura chori et in antepirrhemate ab v. 1102 mores victusque describuntur; sic in eisdem locis Avium

Lobeckius p. 340 sq. ed. sec. multa hujusmodi conlegit. Item atticum esse censeo id quod ego olim h. l. latere conjeceram: προερεῖ τις τοῖσι συμπόταις λόγον. Certe λόγος idem quod γρῖφος sive αἴνιγμα significat apud Josephum in Archaeol. V, 8: προβάλλοντος ἐμοῦ λόγον et mox iterum: τὸν προβληθέντα λόγον. At in Aristophane sive λέγων sive λόγον scripseris, primum syntaxis haerebit in illo ὅ, τι, quod unde recte pendeat, non jam habebit. Deinde neutrum in eos cadit, qui griphum proponunt, sed in hoc genere ita dicendum erat, ut ego supra correxi: προερεῖ τις τοῖσι συμπόταις λέγειν, ὅ, τι —. Nam Antiphanes comicus ubi de griphis disserit, prorsus ita loquitur ap. Athen. X, p. 448 f. v. 4 — τοὺς κελεύοντας λέγειν γρίφους παρὰ πότον — ὁπότε προστάξειέ τις εἰπεῖν ἐφεξῆς, ὅ, τι φέρων τις μὴ φέρει, sicut in Antiphane bene correctum est ab ipso Cobeto (in Mnem. V, 81). Omninoque mea emendatio in conviviorum morem convenit, bene illum depictum ab Horatio in Carm. I, 27, 10: ‚dicat Opuntiae | Frater Megillae, quo beatus | Volnere, qua pereat sagitta.‘ Nam quod idem Cobetus olim (Ad Orat. De arte interpr. p. 65) in Vespis ita legi voluit: προτενεῖ τις τοῖσι συμπόταις λέγων· | τί ταυτὸν —, vix dubium est, quin vanis hisce conjecturis dudum ipse vale dixerit. Sed hae criticorum curae leviores: nunc majora videamus. Plerique enim, in his Casaubonus ad Athen. T. V p. 520 Schw. et Meinekius in Hist. Com. p. 277 extremis tantum verbis contineri griphum rati versus 20—23 solos adtulerunt. At vero ab

---

ab v. 753 et v. 785 primum leges avium, deinde vita laudatur. Itaque epirrhemata comicorum non solum trochaico tetrametro, verum etiam choriambico tetrametro sive Anacreonteo composita sunt. Idem metrum habent Aristophanei ex Amphiareo versus ap. schol. ad Pac. v. 473 et ap. Hephaestionem p. 53, qui uterque locus ex epirrhemate sumtus est, posterior quidem ipsum fuerat initium epirrhematis. Sed in Ἀστρατεύτοις Eupolidis Anacreontei tetrametri singuli tantum, non continui legebantur, ut ex Hephaestione p. 100 adparet. Ceterum Meinekius in Fr. Com. II. I p. 552 miratur, quod mihi olim visus sim ‚penitus intellexisse‘ Adulatores Eupolidis ab Socratis philosophi persona longissime abhorrere. At quod ego juvenis in Quaestt. Aristoph. ita scripsi, ideo mihi videor laudandus fuisse, non reprehendendus. Nam Amipsiae e Conno (ap. Diogenem Laert. II, 28) versum de Socrate huncce p. 217 adtuleram: οὗτος μέντοι πεινῶν οὕτως οὐπώποτ᾽ ἔτλη κολακεῦσαι et ita perrexeram. ‚Quis sibi persuadeat, in illa fabula quae Κόλακες inscribitur, notatum esse Socratem, eum, quem Amipsias in Conno ita risit, ut tamen illud ipsum: οὐ πώποτ᾽ ἔτλη κολακεῦσαι addere non dubitaret?‘ Quum igitur haec Amipsiae comoedia cum ipsis Nubibus Ol. 89, 1 = 424 commissa esset: tamen Eupolis biennio post impudenter mentiri et in ‚Adulatoribus‘ suis Socratem inter Calliae parasitos referre non erubuit. Quod igitur ego etiam tum juvenis nondum existimavi tantam impudentiam in Eupolidem poetam cadere posse, illud quidem reprehendat qui potest. Ego vero, uti juvenem decet, Horatio meo etiam tunc plane credideram quum ita scripsisset in Sermon. I, 4 init: ‚Eupolis — si quis erat dignus describi, quod malus ac fur — foret, — multa cum libertate notabat‘. Denique multi in eo haeserunt, quod ne singuli quidem sed bini adeo comici furtum Socrati imputaverint. In quo tametsi omnes ipsorum potius comicorum injuriam criminati sunt, tamen mira ista consensione multi offensi certam quandam rem vel rumorem saltem incertum huic criminationi subesse existimarunt, ut Wolfius, ut cum Hermanno Suevernius: de qua re in Quaestt. Aristoph. p. 220 sq. plura diximus. Haec tamen qui nesciunt aut non curant scire, eis interim satis erit scire id quod sciunt, Socratem omnia citius fuisse quam furem, adversarios autem nactum esse cum Eupolide maledicentissimo viro Aristophanem poetam utrumque comoediae veteris: cui et licitum erat omnia omnibus convicia facere et vero etiam saepe libitum erat, utcunque magnus theatri risus in exspectatione esset.

altera prior pars divelli non debebat sive haec praeparatio griphi sive quaedam ejus solutio dicenda est. Quid, quod ab uno versu 19 *κἄπειτα — Κλεώνυμον* reliqua pendent omnia. Quo in versu Dobraeus ad Plutum v. 314 dubitans ipse latere posse dicit corruptelam, praesertim quum imitatione sat manifesta ab Alciphrone III, 59 expressus sit. Minime vero Vesparum locum imitari Alciphro potest, qui somnium ille quidem et ipse enarret, veruntamen somnium plane vacuum gripho. Nec quidquam in Vespis mutandum est praeter ipsam Dobraei, quam aliis tamen persuasit, explicationem. Putat autem Anglus, *Κλεώνυμον* v. 19 ita dici, ut *ὡς* subaudiatur: quasi *ἀσπίς* ab aquila sit abjecta Cleonymum imitante. At ubi illud *παρ' ὑπόνοιαν*, quod v. 19 scholiasta bene agnovit? ubi tum totius loci v. 15—23 vis comica? postremo ubi ipse griphus, quem ad aquilam temere Dobraeus transtulit? Immo omnis ille griphus, ut inprimis e v. 27: *ἄνθρωπος ἀποβαλὼν ὅπλα* intelligitur, minime ad aquilam sed ad unum spectat Cleonymum. Fuit autem hoc *θηρίον* (v. 23) proceritate corporis prope belluina, sed in proeliis qua terrestribus qua navalibus homo ignavus clypeum abjicere solebat. Quo ipso nomine ab comicis quum alibi tum hoc in gripho notatus est. Itaque hoc inest v. 19: ‚ac deinde aspidem (scutum) abjecisse (quem vero? quem alium nisi) Cleonymum'. Ne pro omnibus versibus 15—19 hic unus poneretur: *τὴν ἀσπίδ' ἐδόκουν ἀποβαλεῖν Κλεώνυμον,* hoc obstitit, quod etiam in aëre (*κἀν οὐρανῷ* v. 22) dicendus erat clypeum abjecisse. Et hoc quidem quum fieri nisi miraculo quodam non possit, eligitur somnium idque mirabile (v. 13 conlato Luciano in Somnio c. 14 fin.), eligitur etiam usitata in griphis *ὁμωνυμία,* quum *ἀσπίς* et serpentis genus et *τὴν ἐπίχαλκον* (ut loquitur Amipsias Pollucis X, 144) denotarit. Ita servus in somnis vidit aquilam in forum devolasse permagnam, arripuisse unguibus aspidem aeratam eamque sursum extulisse ad coelum, postremo (mirum narratu) eam abjecisse Cleonymum. Hic praeterquam quod serpens et clypeus mira ambiguitate confunduntur: absurdum videtur aspidem ab aquila raptam abjici a Cleonymo. At ultima quum initio repugnent ideoque inepta videantur, praeter omnem exspectationem optimo tamen consilio addita risum quendam extorquent. Habemus igitur ut in Nub. v. 177—179, ita etiam in Vespis duas narrationes, de aquila alteram alteram de Cleonymo. Sed quum in Nub. v. 179 prior narratio recte abjiciatur neque ea jam opus sit: non contigit in Vespis Aristophani, ut funditus tolleret illud de aquila, qua ne Cleonymus quidem v. 22 carere potest. Et quum in Nubibus omnis griphus tribus versiculis absolvatur, in Vespis griphus per versus 13—28 ejusque enarratio continuatur. Omnia ergo in Nubibus sunt laudabilia, in Vespis non item, ubi vix agnoscas summum ingenium Aristophanis. Tantum scilicet praestitit griphus rhetoricus, quem in Nubibus videmus, vulgari, id est convivarum quaestioni aenigmaticae. Bonum factum, quod servi duo in Vespis conloquuntur: Xanthiae enim griphus non est nisi ludus jocusque, nisi (vere loquar) dictum prorsus vernile. Denique joco isti etiam alia excusatio ex eo parata est, quod Xanthias griphorum genere utitur omnium antiquissimo, uti patet ex Athenaeo X, p. 453, b: *ἀρχαιότατος δ' ἐστὶ λογικὸς γρῖφος καὶ τῆς τοῦ γριφεύειν φύσεως οἰκειότατος. τί —; καὶ πρὸς τούτοις· τί ταὐτὸν ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς καὶ ἐν θαλάττῃ;*

τοῦτο δ' ἐστὶν ὁμωνυμία, καὶ γὰρ ἄρκτος καὶ ὄφις καὶ ἀετὸς καὶ κύων ἐστὶν ἐν οὐρανῷ καὶ ἐν γῇ καὶ ἐν θαλάττῃ. Nunc quoniam Pollux VI, 107 gripho bene judicavit etiam in gravi re atque severa locum fuisse: ad alios scriptores a comicis transgredior. Fateor enim meo me ingenio diffisum operam dedisse, ut et ex oratoribus atticis et ex Euripidis tragici orationibus in utramque partem habitis (*δικανικαῖς* ap. Aristoph. in Pace v. 526) plura hujusce generis observata congererem. Quibus in locis quum opera majore occupatus fuerim, quam fructu: satis erit unicum Sophoclis locum delibasse, ut fides fiat ne a tragoedia quidem griphos rhetoricos abhorrere. Nam in Ajace v. 646—683 Ajax plurima argumenta conligit, quibus sibi in vita manendum esse demonstret. Tum hisce verbis v. 684: *ἀλλ' ἀμφὶ μὲν τούτοισιν εὖ σχήσει* (quasi dicat: ‚at haec quidem somnia sunt!‘) repente superiora omnia abrumpit et deinceps v. 685—692 ex illis ipsis contrarii generis argumentis sibi non vivendum esse concludit sed emoriendum. Male autem interpretes non pauci v. 646—683 argumentationem sobriam Ajacis esse putant simulantis subdole aut palam mentientis. Immo recte alii, in his Raspius (De Sophoclis Ajace, Gustrovii 1856) ita judicarunt, Ajacem v. 646—683 prorsus id quod sentiat eloqui, ita tamen ut eum animus fefellerit. Neque vera ratio scholiastas fugit ad v. 666: *μιμεῖται τὸν σώφρονα, κεκίνηται* (corrige, *νενίκηται*) *δὲ ὑπὸ τοῦ πάθους* et iterum ad v. 684: *ὅρα πόσον ἐπικρατεῖται ὑπὸ τοῦ πάθους λογισμός· ὁ τὰ σοφώτατα γοῦν εἰπών, ἑαυτὸν ἀναιρεῖ.* Quae quum ita sint, tota illa Ajacis oratione v. 646—692 Euripidis (in Medea v. 1066 sq.) sententia continetur nobilissima: *καὶ μανθάνω μέν, οἷα τολμήσω κακά, | θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.* Atque hic tam sublimis locus Ajacis Sophoclei quam longe ab ludicris istis convivarum griphis sit disjunctus adparebit vel caeco. Veruntamen illud negari non potest, griphum vere rhetoricum Ajacis oratione contineri, in quam omnia cadunt praecepta, quae de hoc griphi genere dedit c. CLIII Demetrius: *οὐδ' ἠκολούθει τοῖς προτέροις· ἡ δὲ τοιαύτη ἀνακολουθία καλεῖται γρῖφος, ὥσπερ ὁ παρὰ Σώφρονι* (quasi *Σοφοκλεῖ*) *ῥητορεύων Βουλίας* (quasi *Αἴας*). *οὐδὲν γὰρ ἀκόλουθον αὐτῷ λέγει.* Nihilne igitur tragicum griphum inter et mimicum intercedet discriminis, sed utrubique omnia erunt paria? Difficile videtur ad haec respondere, propterea quod ipse Sophronis locus aetatem non tulit, at sic quoque certum est quid respondeam. Quum enim et comici et mimici ambo jocose locuti sint, sequitur in Sophrone griphum rhetoricum talem fere fuisse, qualem in admirabili illo Aristophanis loco Nub. v. 177—179 esse vidimus. Itaque Sophron vel Aristophanes si Ajacem eodem modo quo apud Sophoclem v. 646—683 disserere fecissent: longe aliter ac v. 684—692 fecit Sophocles, illi quidem erant conclusuri. Ita enim Aristophaneus Ajax, ut comico dignum est, loqueretur: ‚quoniam mihi vitam esse retinendam satis demonstravi, protenus in ensem incumbam.‘ (*Περιπεσοῦμαι τῷ ξίφει* exstat in Vespis v. 523, ut ipse Ajax morti proximus loquitur in Soph. Aj. v. 824. Hic tamen Aristophanes pro *τῷ ξίφει* mallet fortassis ambiguo vocabulo saneque comico uti, quemadmodum Augustus de tragoedia scribi coepta sed abolita joco dixit: ‚Ajacem suum in spongiam incubuisse‘, apud Suetonium in Octavio c. 85 fin.) At Sophocleus ita potius uti tragicum decet v. 684 sqq.

orationem claudit atque egregie exclamat v. 690: *ἐγὼ γὰρ εἶμ' ἐκεῖσ', ὅποι πορευτέον,* ubi scholiasta: *αἰνιγματωδῶς ὁ λόγος ἐξενήνεκται.* Quare sic Ajax loquitur Sophocleus: ,quoniam demonstravi vitam mihi non esse deponendam, illuc jam quo necesse est, abiturus sum'. Ita mitigatur atque lenitur inconstantia, quam rem graeci rhetores ita dixisse videntur: *θεραπεύειν τὴν ἀνακολουθίαν,* uti saepenumero iidem habent illud: *θεραπεύειν τὸ πάθος.* Simillimum usum verbi *θεραπεύειν* Lobeckius in Aglaophamo p. 156 adnot. [a] tetigit. Habeo equidem plura griphi rhetorici ad res graviores traducti documenta: quae quum diligentiorem curam requirant, in aliud tempus videntur differenda esse. Nunc enim necopinantibus nobis otio haud sane praeparato commentandi scribendique necessitas imposita est. Haec hactenus.

Nunc ab antiquitatis studiis ad res transeo Academicas, quae multo latius patent et omne literarum genus complectuntur. Rostochiensis Universitas, si ei jus fasque est quinquagenis annis, ut hodie passim fit, saecula metiri, novi limen saeculi intrare hoc ipso tempore censenda est. Quae quum A. D. MCCCCXIX mense Novembri rite condita sit, duobus abhinc mensibus annos ipsos CCCCL emensa novi jam cursus inchoare initium videbitur. Quid igitur nos tali tempore optamus? quid precamur? Non sane novarum rerum insaniam summamque perturbationem, sed quietem, rem nobis antiquam et verum literarum honorem, quo Germania adhuc stetit et posthac stabit incolumis. Ars autem ipsa Professorum, si cum magnis parva conferre licet, videri potest quasi quoddam aucupium esse: quaerimus doctissimos viros et tanquam inlices, qui muneribus nostris praeficiantur: non possumus carere aviario: capimus docendo auditores tanquam aves, quae cibo obfuso ad animi pabulum convolent, maxime canoras: scribendi esca optimi cujusque mentem aucupamur et iidem omnibus tamen scribimus, si forte plurimi his tendiculis inlaqueentur: bonam denique civium mentem, quae civitates totas conservat, ubique aucupamur. Quo fit, ut tales etiam viros adpellare liceat *ʽΑΛΙΕΙΣ ʼΑΝΘΡΩΠΩΝ* (Ev. Matth. 4, 19. Marc. 1, 17). Sed ad omnem Aca-

demiam bene tuendam sumtu opus est haud exiguo: necesse est enim facere sumtum qui tantum quaerit lucrum. Quare si unquam alias, hoc inprimis tempore Deum O. M. pie oramus, ut Rostochiensem Academiam in posterum quoque florere jubeat. Ac multis de causis futurum esse confido, ut spei nostrae eventus pulchre respondeat. Primum enim quum temporis nostri voluntas, quo literis major quam antea honos habetur, tum maxime arctius illud vinculum, quo cum cultissima Borussorum gente hisce annis copulati sumus, non potuerunt eo non valere, ut currentes magis incitaremur atque etiam in literarum ludis exempla a Borussis proposita et vulgo adprobata duceremus imitanda esse. Tum quoniam haec ipsa conjunctio ejusmodi est, ut Megapolis novo foedere inito sui tamen juris permanserit: intelligimus eas demum Germaniae civitates locum dignitatemque suam optime tueri, quae auxilio Academiae non careant, sed literarum quoque praesidiis, tanquam invictis quibusdam armis munitae sint. Haec igitur cogitanti mihi et mecum reputanti alia cogitatio supervenit, postquam nova jamjam solemnia indicere jussus sum. Domus enim Academica, cujus tribus fere abhinc annis fundamenta jacta sunt, nunc fastigio imposito

A. D. VI Cal. Februar. h. a.

rite dedicanda est. Quamobrem fautores et amicos nostros maximeque commilitones humanissimos invitamus, ut hoc ipso die hora X in aedem St. Mariae frequentes confluere, ut sacris finitis pompae ad domum Academicam ducendae comites, denique ut solemni inaugurationi in aula celebrandae auditores interesse velint. Restat, ut Friderico Francisco II, Magno Duci Megapol. Suerin., Principi Clementissimo gratiae quam

possunt maximae toto animo agantur. Hic enim novam domum Academicam in area veteris exstrui jussit, Hic ejusdem domus fundamentum Sua manu ponere dignatus est, Hic magna pecunia impensa talis domus aedificandae auctor exstitit, qualis maxime optanda erat. Hic denique cum Uxore Celsissima et cum Filio magnae spei, regni olim herede domus Academicae dedicationi Ipse interfuturus est. Quo magis hoc nobis in votis est, ut et Ipse Princeps et Domus Principis et patria communis, quibus quidem nihil nobis omnibus potest esse carius, ex hortis Academiae Rostochiensis, tanquam ex herbis non fallacibus, laetissimos fructus percipiant.

Dabamus Rostochii Nonis Januariis a. CIↃ IↃ CCCLXX.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXI

AB DIE XV M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

ADVERSARIORUM

PARTEM QUINTAM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

ADVERSARIA.

§ 6.

De Cleone cive turbulento.

Quum scholiasta Luciani (ad Timon. § 30, T. I, p. 142 ed. Reitz.), qui locus e Vossiano et ex ‚Galei Conlectaneis' i. e. ex alio codice (Parisino fortasse), manavit, saepe hic mihi adferendus sit: scholia illa praemittere integra non alienum puto. et Hemsterhusius quidem, qui omnia vere antiqua ac notae esse vidit optimae, haec vel ex Aristophanis vel alterius comici scholiaste depromta voluit: sed ex Aristophaneis scholiis olim plenioribus sumta esse vel iis evincitur Theopompi et Andocidis locis, qui de Hyperboli rebus adjecti sunt. ab Hyperbolo autem ille incipit et desinit in Cleonem hoc modo: ‚Ὑπέρβολος οὗτος, ὡς Ἀνδροτίων φησὶν, Ἀντιφάνους ἦν Περιθοίδης, ὃν καὶ ὠστρακίσθαι διὰ φαυλότητα. ὁ δὲ αὐτὸς καὶ λυχνοποιὸς ἦν καὶ ἐλυχνοπώλει, ὡς Ἀνδοκίδης ἱστορεῖ, ὃς καὶ ξένον αὐτὸν εἶναι καὶ βάρβαρον βούλεται. ἐπὶ τούτου δὲ καὶ τὸ ἔθος τοῦ ὀστρακισμοῦ κατελύθη, ὡς Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ Νόμων λέγει. Πολύζηλος δὲ ἐν Δημοτυνδάρεῳ Φρύγα αὐτὸν εἶναι εἰς τὸ βάρβαρον σκώπτων φησί. Κρατῖνος δὲ ἐν Ὥραις ὡς προσελθόντος (ita Hemsterhusius pro παρελθόντος) νέου τῷ βήματι μέμνηται καὶ παρ' ἡλικίαν. καὶ Ἀριστοφάνης Σφηξὶ (v. 1007) καὶ Εὔπολις Πόλεσι. Πλάτων δὲ ὁ κωμικὸς ἐν Ὑπερβόλῳ Λυδὸν αὐτόν φησιν εἶναι . . . . (hic nonnulla desunt). ἄλλως· ἔστι δὲ τῇ ἀληθείᾳ Χρέμητος, ὡς Θεόπομπος ἐν τῷ περὶ Δημαγωγῶν. Θεόπομπος δὲ πάλιν ἐν δεκάτῳ Φιλιππικῶν (ita Solanus pro φιλιππικῷ) ἐν Σάμῳ φησὶν ἐπιβουλευθέντα ὑπὸ τῶν Ἀθήνηθεν ἐχθρῶν ἀναιρεθῆναι, τὸ δὲ νεκρὸν αὐτοῦ εἰς σάκκον βληθὲν ῥιφῆναι εἰς τὸ πέλαγος. (verba ipsa et Theopompi et Andocidis ex perdita aliqua oratione, ut bene Sluiter L. A. p. 240, servavit scholiastes ad Ar. Vesp. v. 1007, alia autem quae cum superioribus conveniunt habet etiam schol. ad Pac. v. 681.) post illa εἰς τὸ πέλαγος Luciani scholiasta continuo ita pergit: Ὁ δὲ Κλέων δημαγωγὸς ἦν Ἀθηναίων, προστὰς αὐτῶν ἑπτὰ ἔτη, ὃς πρῶτος δημηγορῶν ἀνέκραγεν ἐπὶ βήματος καὶ ἐλοιδορήσατο, θρασὺς ὢν οὕτως, ὥστε, καθὼς Θεόπομπος ἱστορεῖ, συνεληλυθότων Ἀθηναίων παρελθεῖν εἰς τὴν ἐκκλησίαν στέφανον ἔχοντα καὶ κελεῦσαι αὐτοὺς ἀναβαλέσθαι τὸν σύλλογον· τυγχάνειν γὰρ αὐτὸν θύοντα καὶ ξένους ἑστιᾶν μέλλοντα· καὶ διαλῦσαι τὴν ἐκκλησίαν. δωροδόκος δὲ εἰς ὑπερβολὴν ὑπῆρχεν, καὶ τοῦτο ἐδήλου (ita correxi pro δηλοῖ) αὐτοῦ ἡ γραφεῖσα ὑπ' αὐτοῦ Μιτυληναίοις ἐπιστολὴ ὕστερον· τῆς δὲ (ita scripsi pro ἐπιστολή· ὕστερον δὲ) Μιτυλήνης ἁλούσης ὑπὸ Πάχητος τοῦ στρατηγοῦ τὴν μὲν ἔμπροσθεν ἡμέραν συμπεῖσαι τὸν δῆμον, ὡς χρὴ Λεσβίων ἁπάντων πλὴν Μηθυμναίων τοὺς μὲν ἡβῶντας ἀποκτεῖναι, παῖδας δὲ καὶ γυναῖκας ἀνδραποδίσασθαι καὶ τὸ ψήφισμα τοῦτο ἀποστεῖλαι ἐπὶ τῆς παράλου· τῆς δὲ νυκτὸς ἐπιούσης ἐλθόντων ὡς αὐτὸν τῶν ἐπιδημούντων Ἀθήνησι Λεσβίων καὶ δέκα ταλάντοις αὐτὸν ἀργυρίου μετελθόντων ὑποσχέσθαι (ego supplevi ὑποσχέσθαι) μεταπεῖσαι πάλιν τὸν δῆμον καὶ τριήρη πάλιν ἄλλην ἀποστεῖλαι ἀναιροῦσαν τὸ ψήφισμα· οὕτω καὶ (ego supplevi καὶ) Θουκυδίδης. ἐπέστη δὲ καὶ τῇ πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνῃ, ὡς Φιλόχορος προσθεὶς ἄρχοντα Εὔθυνον. Ἀριστοφάνης δὲ καὶ (ita correxi pro Φιλόχορος καὶ Ἀριστοφάνης προσθεὶς ἄρχοντα Εὔθυνον. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ —. Hemsterhusius conjecerat: Φιλόχορος προσθεὶς ἄρχοντα Εὔθυνον καὶ Ἀριστοτέλης. Ἀριστοφάνης δὲ καὶ) περιζωσάμενον αὐτὸν λέγει δημηγορῆσαι, εἰς τὴν θρασύτητα αὐτοῦ ἀποσκώπτων. τὰ δὲ ὑπὸ τὴν ὄψιν ἦν ἀργαλέος, καὶ μάλιστα τὰς ὀφρῦς· εἶχε δὲ καὶ φωνὴν μεγάλην. βυρσοδέψην (ita Jensius pro βυρσοδέψιν) δὲ αὐτὸν λέγεσθαι ἢ ὡς βυρσοδέψου υἱὸν ἢ ὡς αὐτοῦ ἔτι παιδὸς τὸ ἐπιτήδευμα μεταχειρισαμένου. ἐκωμῳδεῖτο δὲ καὶ ἐπὶ μανίᾳ (ita Hemsterhusius pro μανίας). ἐξέπλευσε δὲ καὶ στρατηγὸς ἐπ' Ἀμφίπολιν, ἔνθα καὶ ἐτελεύτα νικηθεὶς ὑπὸ Βρασίδου, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου. cum Aristophanis loco comoediae perditae bene Hemsterhusius contulit scholium ad Aeschinem (p. 15 ed. Turic.) hocce: λέγεται δὲ Κλέων ὁ δημαγωγὸς παραβὰς τὸ ἐξ ἔθους σχῆμα περιζωσάμενος δημηγορῆσαι. antiqui enim oratores, de quibus testantur Aeschines in Timarch. § 26, Demosthenes De Fals. Legat. § 251, Quintilianus Inst. Or. XI, 3, 138 brachium veste continere etiam in dicendo solebant: quod quum Cleo cinctus non faceret comicum veteris moris ubique tenacem novitate rei obfendit. at Cleonem, qui primus manum extra vestem exseruit et alio gestu usus est, omnes deinceps oratores secuti sunt. in hac igitur re Cleonem aut laude potius dignum esse censeo aut nulla reprehensione. neque enim in eo posita erat salus Graeciae, hoc an illo gestu oratores uterentur. quod ad finem scholii et ad mortis tempus adtinet, de quo olim dubitatum est: quum aliunde tum ex Eratosthene in schol. Ven. ad Pac. v. 48 nunc liquet Cleonem ducem Athenis enavigasse et expeditionem suscepisse a. 423 (Ol. 89, 2) exeunte m. Elaphebolione, archonte adhuc Aminia, eundem autem ad Amphipolin in fuga caesum perisse

archonte jam Alcaeo a. 422 (Ol. 89, 3). id vero saepe evenit, ut res bellicae, si a primo vere ad auctumnum extremum ejusdem anni continuatae essent, recte dicerentur non in unum annum sed in duo atticos annos incidisse. veluti pax ab Lacedaemoniis oblata, quam Cleon repudiavit, quum vulgo tribuatur anno 425 (Ol. 88, 4) Stratocle archonte, cui sententiae schol. ad Vespas v. 41 non repugnat: tamen in Lucianeo scholio haec res anno proximo superiori 426 (Ol. 88, 3) archonte Euthyno adsignata est. nam hoc ipsum ibidem Philochorus tradidit, sive Hemsterhusi conjectura sive superior nostra probanda est. patet etiam tertia emendatio, non ut *ἀριστοτέλ* quasi dittographia pro *ἀριστοφάν* deleatur, sed ut haec nomina ita transponantur: *ἐπέστη δὲ καὶ τῇ πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνῃ, ὡς Φιλόχορος καὶ Ἀριστοτέλης προσθεὶς ἄρχοντα Εὔθυνον. Ἀριστοφάνης δὲ καὶ* —. quo facto alius jam testis hujus anni erit, pro Philochoro Aristoteles, res tamen ipsa eadem manebit. enimvero pax ab Lacedaemoniis non semel verum saepius oblata est, primum illa quidem ante Spacteriae expugnationem, deinde etiam paullo post hac insula jam expugnata iterum iterumque res impedita est (uti vel Thucyd. IV, 41 fin. docet) machinante Cleone. quodsi verba *ὡς Φιλόχορος προσθεὶς ἄρχοντα Εὔθυνον* arcte cohaerent, ut et ego priore loco supra putavi et ipse putarat Hemsterhusius: non erit dubium, quin Lucianeus scholiasta illum ipsum Philochori locum dici intelligique voluerit, qui ab schol. ad Pac. v. 664 servatus est. nam Philochorus ibi de eo tempore clare loquitur, quo Spacteria nondum expugnata erat. ceterum schol. ad Pac. v. 664 quum e Philochoro partem tantum verborum adferret, rem omisit gravissimam, quam Lucianeus scholiasta unus supplevit, Euthynum archontem, id est a. 426 (Ol. 88, 3). in hoc igitur scholio sive *ὡς Φιλόχορος προσθείς* sive *ὡς Φιλόχορος καὶ Ἀριστοτέλης προσθείς* scribendum est: archon ipse *Εὔθυνος* gravissimi scriptoris auctoritate munitus est vel Philochori vel Aristotelis. itaque tandem componi poterit magna ista hominum doctorum dissensio de vero nomine archontis eponymi a. 426 (Ol. 88, 3). etenim praeter anonymum in Vita Thucydidis p. XX ed. B., qui habet *περὶ τὸ ἕβδομον ἔτος ἐπὶ Εὐθίνου ἄρχοντος*, cum nostro consentit vetus inscriptio et aequalis ipsius Euthyni temporibus, quae primum edita est ab L. Rossio in Annalibus Halensibus a. 1838 m. Novemb. fol. 196 p. 358, ubi sic est: *πρῶτος ἐγραμμάτευε ἐπὶ Εὐθύνου ἄρχοντος*. falso autem hic ipse archon Ol. 88, 3 vocatur *Εὐθυμένης* errore ex Acharn. v. 67 nato in didascalia Acharnensium: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος*, ubi nunc G. Dindorfius in edit. quinta bene restituit *ἐπὶ Εὐθύνου*. sed plerique S. Petito Miscell. L. I. 4, P. Wesselingio ad Diodor. XII, 58 et H. Clintone Fast. Hellen. p. 70 ed. Kr. auctoribus opinati illius anni archonti nomen fuisse potius *Εὐθύδημος* male confisi erant loco Diodor. XII, 58 et Athenaei V p. 218, b. at in Diodoro scribendum est: *ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Εὐθύνου* pro *Εὐθυδήμου*, quod e praegressis *ἱκέται τοῦ δήμου* oriri facile potuit. in Athenaeo autem si in codd. legitur *ἐπὶ μὲν Εὐθυδήμου ἄρχοντος* et ab ipso ita scriptum est, Athenaeo debetur sive aberranti ad priorem de Euthydemo locum p. 217 b, sive inopportune recordanti, viros nomine *Εὐθύδημος* ter Athenis archontes fuisse, Ol. 56, 1; Ol. 82, 3 et Ol. 87, 2. venio nunc ad Theopompum, cujus in historiis quum plurima erant episodia teste Photio in Bibl. Cod. 176, tum decimo libro rerum Philippicarum hujusque libri parti extremae singularis digressio inserta erat ‚de demagogis Atheniensium‘, sicut Athenaeus IV, p. 166, d palam testatur. hinc non solum ea lucem accipiunt, quae Lucianeus scholiasta in rebus Hyperboli ita scribit: *ὡς Θεόπομπος ἐν τῷ περὶ δημαγωγῶν· Θεόπομπος δὲ πάλιν ἐν δεκάτῳ φιλιππικῶν*, —, ubi Solanus minime (ut ait Jacobitius IV, p. 47) *ἐν δ' Φιλιππικῶν* sed recte *ἐν δεκάτῳ Φιλιππικῶν* emendavit, verum etiam certo adparet, duplicem de Cleone memoriam, quam Lucianeus scholiasta ita profert: *καθὼς Θεόπομπος ἱστορεῖ*, ipsam quoque e X° libro rerum Philippicarum sive e digressione de demagogis repetitam esse.*) ac priore quidem Theopompi loco Cleon tanta fuisse audacia dicitur, ut quondam populo jam congregato ipse coronatus in concionem prodiret et quod hospites ad coenam vocasset, nunc tantum ab re sua oti esse negaret, ut domo abesse diutius posset: quibus dictis ab Cleone re infecta et die prorogata populum esse dimissum. eandem rem tradit Plutarchus in Vita Niciae c. 7 fin. scilicet e Theopompo, cujus ut nomen non addit, ita verba ejus nonnulla sicut scholiaste retinet. jure autem Plutarchus miratur, quod hanc Cleonis insaniam (*μανίαν*) Athenienses tam aequo animo ferre potuerint. sed G. Oncken in libro docte et eleganter scripto: ‚Athen und Hellas‘ T. II, p. 285 sq. quum unius Plutarchi locum cognitum haberet non item Theopompi: audaciam Cleoni imputatam esse temere negavit et de hac re quae nobis certa historiae fide prodita est, ita scribere non dubitavit: ‚ich halte diese artige Anecdote nicht für echt‘. est autem haec res ad illud tempus referenda et jam ab Curtio bene relata, quo Lacones captivi

*) Scholiastes ad Acharn. v. 6 de Cleone et de equitibus agens ita loquitur: *μέμνηται Θεόπομπος.* nimirum in decimo libro, ut adparet etiam e consimili scholio ad Equites v. 226, ubi diserte legitur: *Θεόπομπος ἐν δεκάτῳ Φιλιππικῶν φησίν* —.

e Spacteria Athenas adducti erant cum eximia laude Cleonis, cujus tum summa erat potentia. vere enim Demosthenes 40, 25: *Κλεομέδοντος φασὶ τὸν πατέρα Κλέωνα τῶν ὑμετέρων προγόνων στρατηγοῦντα, Λακεδαιμονίων πολλοὺς ἐν Πύλῳ ζῶντας λαβόντα, μάλιστα πάντων ἐν τῇ πόλει εὐδοκιμῆσαι.* nempe post illam expeditionem Cleon spiritus sumsit ingentes, uti diserte Plutarchus testatur in Nicia c. 8: *τὴν πόλιν ἔβλαψεν οὐ μικρὰ τῷ Κλέωνι τοσοῦτον προσγενέσθαι δόξης ἐάσας καὶ δυνάμεως, ὑφ᾽ ἧς εἰς βαρὺ φρόνημα καὶ θράσος ἐμπεσὼν ἀκάθεκτον* —. altera Theopompi memoria ad famosissimam Cleonis pertinet *δωροδοκίαν*, quae comicorum acumine saepius derisa est. sic Eupolis in nomine urbis *Γαληψός* ingeniose lusit (*παρὰ τὸ λαμβάνειν*), ut ego in Quaestt. Arist. I p. 145 sq. adnot. ipse docui idque aliis ut A. Meinekio in Fragm. Com. II, I p. 571 et M. Schmidtio ad Hesychium I p. 413 probavi, sic Aristophanes Equit. v. 984 sqq. egregie lusit in vocabulis *δωριστί* et *δωροδοκιστί*, neque fictam rem in eisdem Equit. v. 436: *σὲ δ᾽ ἐκ Ποτειδαίας ἔχοντ᾽ εὖ οἶδα δέκα τάλαντα* sed verum crimen homini objecit. enimvero nunc in ea pecunia subsistam, quam Cleon ab miseris Mytilenaeis (certo perituris, ut sperabat) indignissime expressit. tametsi autem ne haec quidem corruptio in Equit. v. 832 omissa est, ubi insiciarius ad Cleonem: *καί σ᾽ ἐπιδείξω | νὴ τὴν Δήμητρ᾽, ἢ μὴ ζῴην, | δωροδοκήσαντ᾽ ἐκ Μυτιλήνης | πλεῖν ἢ μνᾶς τετταράκοντα*, tamen ibidem scholiasta, qui adhuc sciebat veras res hic quoque ab Aristophane tradi, ut ex his verbis elucet: *ὄντως ἐδωροδόκησεν ὁ Κλέων ἐκ Μιτυλήνης*, alium tantae rei auctorem nullum protulit. quumque Cleon ap. Thucyd. III, 37—40 populum hortetur, ut Mytilenaeis ne parcant sed in pristina atrocitate perstent: mirari licet, quomodo in Cleonem hic quidem ulla suspicio cadere possit corruptelae. ita factum est, ut G. Droysenius in Aristophanem acerrime sibi putaret invehendum esse.*) ego vero (bona venia dixerim Droysenii, eximii viri, quem historicum jure facio permagni) quae hic ab Aristophane dicuntur, ea ipsa veritati consentanea esse semper existimavi ductus testimonio Theopompi ap. schol. Luciani l. l: *δωροδόκος δὲ εἰς ὑπερβολὴν ὑπῆρχεν — ἐπέστη δὲ κ. τ. ἑ.* quo loco ne ante nos jam alii uterentur, omnes frustra videntur deterriti esse hoc additamento scholiastae ipsius: *οὕτω Θουκυδίδης*. at Hemsterhusius haec optime viderat ideo adjecta esse, quod verba Thucydidis nonnulla in superioribus expressa sint, haec verba dico Thucyd. III, 36 init: *ἔδοξεν αὐτοῖς — παῖδας δὲ καὶ γυναῖκας ἀνδραποδίσαι* et iterum III, 49 init: *καὶ τριήρη εὐθὺς ἄλλην ἀπέστελλον*, neque fieri potest, quin de rebus partim eisdem eadem verba scribenti ultro alteri occurrant.**) id igitur quum meminisset scholiastes, adsiduus lector Thucydidis idemque doctrinae suae jactator, ipse haec adjecit: *οὕτω καὶ Θουκυδίδης* (ita enim scribendum est). nihil vero in Thucydide exstat de epistola Cleonis ad Mytilenaeos data, nihil de largitione, denique nihil de nocturno legatorum conventu, quos scribit ille quidem III, 49 Athenis tum fuisse magnaque dona promisisse, in alia tamen causa et ea honesta. sed in oculos incurrit, excerptis e Philochoro non unam sed duplicem Theopompi excerptionem praecedere, alteram his verbis inesse: *θρασὺς ὢν οὕτως — διαλῦσαι τὴν ἐκκλησίαν*, alteram verbis proximis: *δωροδόκος δὲ — ἀναιροῦσαν τὸ ψήφισμα* et ad utramque excerptionem juxta pertinere illud scholiastae ipsius: *καθὼς Θεόπομπος ἱστορεῖ.* nec dubito, quin Hemsterhusius, quamvis taceat, hanc quoque rem pulchre habuerit exploratam. cum Thucydide autem Theopompus haudquaquam pugnat, sed de caeteris adsentiens ita ipse supplet omissa, ut et summam rei eodem modo enarret et praeterea flagitium Cleonis, corruptionem ejusque tempus et modum solus aperiat. nam quum epistola Cleonis, quam sua manu ad Mytilenaeos dederat, postea esset prolata, in manifesto peccato deprehensus Cleon tenebatur: ut de corruptione hominis ac de fide Theopompi ne dubitare quidem liceat. noctu autem, uti Theopompus docet, Lesbii Cleonem convenerant, magna vi pecuniae eum corruperant effecerantque, ut sibi ad populares suos epistolam Cleonis manu scriptam traderet, in qua promiserat, sese in altera concione, quae die proximo futura erat, salutem Lesbiorum defensurum esse. quae quum ita sint, Cleon in hac Mytilenaeorum causa crudelitati avaritiam, avaritiae inauditam addidit perfidiam. stultitiae tamen crimine liberari eundem per Thucydidem licet, unde scimus nihil propius factum esse, quam ut in altera quoque concione crudelis sententia Cleonis vinceret (III, 49: *ἐγένοντο ἐν τῇ χειροτονίᾳ ἀγχώ-*

---

*) In Introductione ad Equit. p. 290: ‚es verdient erwähnt zu werden, inquit, dass Aristophanes dem Kleon vorwirft, von den Mitylenäern bestochen worden zu sein; man kann sich keine unsinnigere Verläumdung denken, und sie ist ein Beweis, wie man die Angaben der Komödien überhaupt aufzunehmen hat.‘ ad ipsum locum v. 834 idem p. 384 haec habet: ‚das ist eine Beschuldigung, die nicht empörender sein kann‘ —.

**) Satis est unicum hujusmodi locum pro multis comparasse, nostro illum simillimum. nam in Philochori fragmento ap. schol. ad Aristoph. Nubes v. 213: *Περικλέους δὲ στρατηγοῦντος — αὐτοὺς τὴν χώραν ἔχειν* paucis mutatis eadem prope verba retenta videmus, quibus de eadem expeditione usus erat Thucydides I, 114. quam rem si ille scholiastes animadvertisset, post verba *τὴν χώραν ἔχειν* ipse quoque additurus erat: *οὕτω καὶ Θουκυδίδης*. videsis Goellerum ad Thucyd. I, 114 (T. I p. 179).

μαλοι). quum igitur perituros esse Lesbios certo confideret (quae spes eum sola fefellit), praevidebat mortuos contra se testimonium dicere non posse ideoque epistolam (in qua de corruptione ipsa haud dubie tacuerat) sibi videbatur tuto sua manu scribere posse et scriptam Lesbiis de manu in manum tradere.*) at Lesbii hanc epistolam mox eo cupidius divulgarunt, quod sciebant Cleonem in altera concione, quum victus esset, tamen quoad posset in crudelitate adversum Lesbios perseverasse, ut ait Thucydides III, 50: *Κλέωνος γνώμῃ διέφθειραν κ. τ. ἑ.* de scholiasta Lucianeo, qui hic quidem antiquus et fide dignus est, haec hactenus. nondum exstitit, qui omnes res Cleonis domi forisque gestas tanta subtilitate complecteretur, quantam hujus propositi poscit magnitudo. quo magis dubium videri potest, quidnam in universum de Cleone nobis judicandum sit momentis singulis non quadam populari trutina sed ut criticos decet aurificis statera examinatis. hunc enim virum infamatum a plerisque omnibus et omni tempore conviciis objurgatum defendere nuper et laudare clarissimi historici coeperunt, G. Droysenius in Introductione ad Equites p. 298 sqq., G. Oncken in l: ‚Athen und Hellas' T. II p. 222 sqq. et praeterea alii, de quibus infra seorsim dicetur, G. Groteus ejusque laudator Brockius, qui viri multis in locis inter se consentiunt. ac primo Thucydidem, quum res ipsas verissime traderet, tamen ut inimicos de inimicis et de popularibus optimates prope necesse sit, de moribus virtutibusque Cleonis existimasse justo volunt iniquius: id quod Onckenius inprimis ostendere conatus est acumine permagno, fructu admodum exiguo, tanto autem impetu, ut p. 317 etiam C. F. Rankium ‚De Vita Aristophanis' suis auctoribus insereret, qui vir et p. CCCLXXXIII sqq. edit. prim. prudentissime disserit et p. XXII sec. edit. diserte scribit Thucydidem partium studii frustra accusatum esse. quid, quod per Thucydidem, qui nonnullas tantum res Cleonis, bellicas maxime paucis enarravit tot flagitiis ut donorum captatione silentio obtectis, de Cleone sententiam ferre licet satis benignam, et quod Thucydides ob humanitatem, qua erga ipsum Cleonem usus sit, olim amplissime laudatus est a Plutarcho De Herodoti Malignitate c. 3 et ab Marcellino in Vita Thucyd. p. XI ed. B. (ubi mox p. XV malus grammaticus infersit contraria). tum Aristophane nimis confisi nonnulli qualem ille tota Equitum fabula Cleonem depinxit, talem in minima quaque re ipsum planissime fuisse crediderunt, obliti ad aliud genus historiam pertinere ad aliud veterem comoediam. praeterquam enim quod poeta Cleonem subversurus de meritis ejus detrahere cogebatur: comicorum est acerba joca movere, perplexe et figurate loqui, superlationibus uti et veras res ultra modum amplificare. contra Droysenius, Groteus et p. 217 Onckenius vix ulla in re credunt Aristophani, sed ut in Nubibus Socratem ita Cleonem in Equitibus redditos esse putant sui dissimillimos, vix ut agnoscere possis eosdem esse. at de philosopho poeta errare potuit, de Cleone ne voluit quidem errare, contra cujus potentiam infirmo ut ipse sensit equitum ordinis auxilio nisi populi agnitionem nudaeque veritatis arma alia sumere nulla licuit. immo quidquid fuit interpretum et criticorum jam inde ab aevo Alexandrino ad hunc diem in eisque Rankius l. l. p. CCCLXXXIX (sive p. XXII ed. sec.) uno ore bene professi sunt, si summam rei spectes et quasi ipsum corpus fabulae ornatu comico tanquam veste detracta, quod ad mores Cleonis et ad indolem hujus principatus pertinet, cum Thucydide Aristophanem amice consentire. negant tamen, ut historiam diffingere liceat, Droysenius, Groteus et p. 226 Onckenius, sed negabunt soli, negaturi etiam meridie lucere. quum igitur de Cleone Aristophanem inter et Thucydidem tanta consensio sit: patroni Cleonis manifesto secum ipsi pugnant neque ullo modo sibi constant, qui verissima de Cleone dixisse Thucydidem velint, nolint Aristophanem. qui si nihil confidere audent Equitibus, non plus tribuere possunt Acharnensibus, Vespis, Paci Aristophanis, aliis denique comicis aequalibus, quorum vix ullus ac ne Hermippus quidem pepercisse Cleoni videtur, maximeque Eupolidi et Platoni, qui cum Aristophane tantopere consentiunt. nam quum *Ἱππῆς* comoedia plausum tulisset maximum, Eupolis metu deposito in ea fabula cui nomen erat *Χρυσοῦν Γένος* Cleonem vivum denuo exagitavit (ut in Quaestt. Arist. I p. 146 clare docui eaque Meinekio in Fragm. Com. II, I p. 536, p. 540 et p. 557 probavi omnia), idemque postea in Maricante Hyperbolum adgressus etiam Cleoni videtur insultasse mortuo. quin etiam in ‚Baptarum' parabasi Eupolis gloriatus est sua opera in Equitibus scribendis Aristophanem esse adjutum (quod cujusmodi sit in Quaestt. Arist. I p. 228 sqq. ostendi comprobante Meinekio in Fragm. Com. II, I p. 453 et p. 578): quibus dictis crimina Cleoni in Equitibus

*) Theopompi locum non magis quam caeteri novit Th. Kockius et propterea rem in medio reliquit neque de Equit. v. 832 certum ferre judicium ausus est. tamen sic quoque proxime ab vero abfuit vir doctissimus in Introductione ad Equites p. 12: ‚Kleon, inquit, beschuldigt den Diodotos wiederholt der Bestechlichkeit; gerade dadurch wird es am wahrscheinlichsten, dass er selbst bestochen war. Der Wursthändler (832) behauptet, er habe mehr als vierzig Minen aus Mytilene erhalten. — es war auch das sicherste Mittel, die Geschenke, die man für die Rettung der Begütertsten unter den Mytilenäern erhalten hätte, zu verheimlichen, wenn sämmtliche Lesbier getödtet wurden.'

objecta Eupolis tuitus est omnia eorumque fidem ipse quoque praestitit. jam Plato comicus in *Περιαλγεῖ*, quae fabula haud dubie post ‚Equites‘ docta est, ab se Cleoni bellum esse inlatum dictitat in versu ap. Priscianum XVIII p. 211 K. idemque in schol. Ven. ad Pac. v. 312 Cleonem eundem compellavit ‚Cerberum‘. verum ut comicos omittam, e scriptoribus caeteris vix ullus praeter Ciceronem semel in Bruto c. 7 laude aliqua Cleonem adfecit, sed omnes ad unum severe hominem castigant. quae consensio quum maximas habeat salebras, mirum dictu est, quam facile e tot difficultatibus defensores Cleonis se expediant, ut Droysenius Introduct. in Equites p. 299: ‚man wende nicht ein, inquit, dass ja das übereinstimmende Zeugniss des Alterthums gegen Kleon sei; was hilft die Zahl citirter Autoritäten? mehr oder minder ist dem Thukydides oder gar der Komödie nachgesprochen worden, jener Komödie, die —‘ caetera quis nescit? hic nostra aetas, qua paucae tabulae e communi literarum naufragio ereptae restant, cum antiquis temporibus confusa est. contrarium enim de his quidem demonstrari potest, maximam partem eorum quae ad Cleonem adtinent, ex aliis scriptoribus repetitam esse, minime e Thucydide nedum ex ‚Equitibus‘, quae fabula non ut Nubes, Ranae, Plutus diu lectitata sed cito neglecta est, ut eam mirere non funditus interisse. nempe Cleon in republica floruit Atheniensium, quorum res literarum monumentis inprimis inlustratae sunt, floruit tum, quum et magna esset Athenarum potentia et bellum saeviret diuturnum: quibus de rebus omnibus scriptores multi multa composuerant. quos quum paene omnes hodie intercidisse, medio autem aevo eosdem partim superfuisse constet, ut pleraque Theopompi, in his librum ejus decimum, quem adhuc Photius (sicut ait in Bibl. cod. 176 p. 120) ipsum evolvebat: sequitur horum scriptorum in eis rebus Cleonis, quae neque e Thucydide neque e comoedia haustae sunt, non levem esse auctoritatem sed nimirum maximam, seriorum denique auctorum qui ex eisdem passim excerpta dederunt, pondus nihilo esse levius illis ipsis, quorum nobis testimonia soli conservarunt. sed prisci scriptores ipsi nobis nominandi sunt, quos nunc omnes ambitiosius conligere nolo omissis qui de Hyperbolo vel Eubulo nonnihil scripsisse dicuntur ut Andocide et Theophrasto, omisso etiam ipso Aristotele (in *Ἀθηναίων πολιτείᾳ*, uti bene Hemsterhusius), qui de Cleone egisse traditur in loco mendoso schol. Luc. Timon. § 30. certo autem de Cleone exposuerant plures *Ἀτθίδων* scriptores, Androtion ap. schol. ad Nubes v. 549, Philochorus ap. schol. Luc. Timon. § 30, ut etiam de sociis eorum et collegis idem suspicari possis veluti de Clidemo ac praeterea de aliis historicis loci inferioris ut de Neanthe ap. Plutarch. in Themistocle c. 1 et schol. ad Lysistrat. v. 808. nam Ephorus et Timaeus, clarissimi historici Cleonis mentionem paucis tantum fecisse videntur. est vero etiam, qui unus maxime in hunc censum veniat, Theopompus in decimo libro historiarum Philippicarum sive in digressione ‚de demagogis Atheniensium.‘ itaque non de solo ille egerat Cleone, sed etiam de caeteris oratoribus publicis conjuncte, ita ut primum ejus qui aetate reliquis antecessit, Cleonis vitam pertexeret, deinde ad Hyperbolum et ab hoc ad proximum quemque pedetentim transiret. atque etiam alii sive sua sponte sive Theopompum imitati Cleoni alium addere demagogum solent*), ut Lucianus Tim. § 30: *Ὑπερβόλῳ τάχα ἢ Κλέωνι* (nebulonibus nequissimis), ubi plura hujusmodi p. 145 conlegit Hemsterhusius. adde Demetrium De Elocut. c. 294: *ὁ Ἀθηναίων δῆμος — κόλακας τρέφων Κλέωνας καὶ Κλεοφῶντας* (ambo plebis adulatores), Plutarchum Moral. p. 805, d: *οἷος ἦν Κλέων Ἀθήνησι καὶ Κλεοφῶν* (homines pessimi), Maximum Tyrium XIII p. 237: *οὗτος ὁ δῆμος καὶ Κλέωνι συνεμαίνετο καὶ Ὑπερβόλῳ συνενόσει* (Cleon quasi insanus), ibid. XX p. 391: *Κλέων — Ὑπέρβολος κόλακες πονηροὶ τρυφῶντος δήμου* (adulatores, ut supra), Ciceronem De Republ. IV, 10: ‚populares homines improbos in republica seditiosos Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum‘. quorum virorum societate nisi liberare Cleonem plane contigerit, spes defendendi Cleonis deponenda est. nondum enim exstitit, qui etiam hos consilii publici principes auderet laudare. ac de Hyperbolo quidem ego ipse disputavi in Actis Soc. Gr. vol. I fasc. I p. 127 sqq. et post me paullo copiosius Meinekius in Hist. Com. Gr. I p. 188 sqq., qui et ipse ut par est eum castigavit. de Cleophonte autem post Palmerium et Meierus De bonis damnatorum p. 218 et ego ad Arist. Thesmoph. v. 805 p. 298 sqq. disseruimus. nempe Hyperbolum jure pestem hominis diceres, Cleophontem autem hominis monstrum. quodsi Theopompus Philippi rebus maxime intentus (teste etiam Photio cod. 176 p. 121: *αἱ Φιλίππου πράξεις σκοπός εἰσι Θεοπόμπῳ*) demonstrare voluit, qui factum sit, ut Graeciam subigere Philippus posset: per hanc digressionem a proposito haud longe aberravit. certo enim ita sensit neque servituram Graeciam fuisse, nisi prius Atheniensium opes concidissent, et vires hujus civitatis vel maxime fractas esse culpa demagogorum. omnino autem in horum hominum clamorem intelligentes viri et patriae amantes

*) Alibi Cleo solus exagitatur ut ap. Lucian. De Hist. Consc. § 38: *ὄλεθρος καὶ μανικὸς ἄνθρωπος*, Diodorum XII, 55: *ὠμὸς ὢν τὸν τρόπον καὶ βίαιος παρώξυνε τὸν δῆμον*, Plutarchum De Herod. Malign. c. 3: *τῶν Κλέωνος ἁμαρτημάτων, ἀφθόνων ὄντων* et saepius.

certatim invecti sunt, ut Euripides, Isocrates alii ap. Valckenarium in Diatribe p. 253 sqq. his adjice Naevium ap. Ciceronem in Catone Majore c. 6, ubi priore versu pro his ‚cedo qui vestram rempublicam‘ corrigo: ‚cedo qui vos rempublicam‘: est enim trochaicus septenarius, ut proximus. Köchlyus ap. Ribbeckium (Comic. Lat. p. 14) scribebat: ‚cedo rempublicam qui vestram tantam amistis tam cito‘, collocatione haud probanda. tum quid sibi velit illud Ciceronis: ‚ut est in Naevii Ludo‘, omnes fugit etiam Ribbekium et ibidem Klussmannum. nempe non vocabuli mutatione opus est sed tantum orthographiae, quum ‚Ludus‘ nihil sit aliud quam ‚Lydus‘. verterat enim Naevius graecam comoediam nomine *Λυδός* sive alius poetae sive Antiphanis, de quo ita scribit Athenaeus X p. 445 c: *Ἀντιφάνης ἐν Λυδῷ εἴρηκε* —. itaque in Naevii Lydo aliquis percontabatur:

‚cédo, qui vos rem públicam tantam ámisistis tám cito‘?

respondente altero:

‚próveniebant óratores noví stulti adulescéntuli.‘

etsi haec aliorsum spectabant non ad Cleonem, qui jam vir factus civitatem labefactabat. verum Athenienses atque etiam Cleonem dicit Quintilianus in Declamat. CCLXVIII, p. 445 ed. Obrecht: ‚civitatum status scimus ab oratoribus esse conversos: sive illam Atheniensium civitatem quondam late principem intueri placeat, accisas ejus vires animadvertemus vitio concionantium.‘ negarat autem Theopompus, nisi Cleoni antea contigisset malis artibus civitatem turbare, futurum fuisse, ut Hyperbolus et caeteri eisdem artibus magis etiam labefacere rempublicam possent. nam et schol. Luc. ad Timon. § 30 e Theopompo haec sumsit: *ὅς (Κλέων) πρῶτος δημηγορῶν ἀνέκραγεν ἐπὶ βήματος καὶ ἐλοιδορήσατο*, et ab eodem Theopompo aperte pendet Plutarchus*) in Nicia c. 8 fin., ubi culpam eorum, quae alii demagogi postea per concionandi impudentiam commiserint, in unum prope transfert Cleonem: *ἄλλας τε (ὁ Κλέων) τῇ πόλει προσετρίψατο συμφοράς —, καὶ τὸν ἐπὶ τοῦ βήματος κόσμον ἀνελὼν καὶ πρῶτος ἐν τῷ δημηγορεῖν ἀνακραγὼν — τὴν ὀλίγον ὕστερον ἅπαντα τὰ πράγματα συγχέασαν εὐχέρειαν καὶ ὀλιγωρίαν τοῦ πρέποντος ἐνεποίησε τοῖς πολιτευομένοις.* nec tamen Theopompum tam iniquum fuisse puto tamque maledicum, ut Cleonem nihilo meliorem vel Hyperbolo fuisse dictitaret vel Cleophonte, consceleratis duumviris, in quibus nullum usquam ingenii lumen, nulla significatio virtutis adparuit. immo Pyli expugnatio non minus Cleoni forti oratori accepta referebatur quam militari viro Demostheni, quorum neuter repugnante praesertim Nicia carere alterius auxilio poterat, omnino autem Cleon novam viam belli malis patriae luctuosam, sibi ipsi praematuro occasu fatalem primus iniit initamque ita munivit, ut sic quoque et fortem virum exhiberet (etsi fortitudo quaedam cadit etiam in latrones) et constantem malique propositi tenacem. denique Cleon non sine labore civitatem firmiter stantem labefecit tantum et inclinavit, non subvertit inclinatam, quod deinceps alii oratores facile effectum reddebant. itaque quomodo Theopompus Cleonem eorum peccatorum quae post ipsum alii commiserunt, culpam partim sustinere voluerit, attica docet historia. Cleon enim quum aucta per ipsum judicum mercede judicia sibi obnoxia reddidisset, multos saepe tanto successu in jus vocavit, ut condemnarentur insontes, quorum in numero fuisse Cleone ipso accusante constat Thucydidem. Hyperbolus igitur, de quo vide vel Aristophanem in Acharn. v. 846, ubi scholiasta: *Ὑπέρβολον ὡς φιλόδικον διαβάλλει συνεχῶς Ἀριστοφάνης*, hanc turpitudinem ita imitatus est, ut vivum Cleonem propemodo aequipararet, mortuum longe longeque vinceret. pacem vero hi demagogi non destiterunt dissuadere et ne convenire posset, omni ope obsistere, Cleon quidem eo tempore, quo accepta pacis conditione foedus hostium disjectum fuisset et pacis quies magis confirmata. nempe illi demagogi nisi bello saeviente nec potentia florere poterant nec fortunis locupletari. Cleonem tamen belli auctorem Onckenius l. l. II p. 254 sqq. defendit neque id adtulit, quo uno hoc facinus excusare licet, aliquam spem etiam tum in victoria Atheniensium positam fuisse. quanquam pacem illi vel minus aequam debebant accipere et finem facere bello intestino, neque Cleonem audire neque (ut est in Pace v. 108) *Μήδοισι προδιδόναι τὴν Ἑλλάδα.* eisdem vero artibus usus pacem et Hyperbolus impedivit et aliquanto post Cleophon, quum Athenienses ne possent quidem bellum gerere diutius. sed hi Cleonis vestigia adeo persecuti sunt, ut quae de Cleone in Equit. v. 862 sqq. narrantur, eadem alii comici, ut e Nubib. v. 551 patet, dixerint de Hyperbolo eosque similes esse voluerint piscatori in anguillarum captura occupato. enimvero Theopompus quum apud omnes tum in rhetorum scholis auctoritate floruit maxima. hinc ita scribit et Marcus Antoninus ap. Frontonem p. 54 ed. Rom: ‚Theopompum audio apud Graecos disertissimum natum esse‘, et de semet

*) Nusquam Cleonem acrius castigat Plutarchus quam eo in loco, in quo et ipso Theopompi acrimoniam mihi videor agnoscere, in Moral. p. 805, d: *τὸ μέντοι φαῦλον ἄνθρωπον ἀπονοίᾳ δὲ καὶ δεινότητι πεποιημένον ὑφ' αὐτῷ τὴν πόλιν, οἷος ἦν Κλέων Ἀθήνησι καὶ Κλεοφῶν, ἐπαναστάντα ταπεινῶσαι καὶ καθελεῖν, λαμπρὰν ποιεῖται τὴν πάροδον ὥσπερ δράματος, τῆς πολιτείας.*

ipse eadem praedicat ap. Photium in Bibl. cod. 176 p. 120 sq., ut omittam Trogum Pompejum, qui in praefatione Justini dicitur ‚vir priscae eloquentiae‘ et scribendo ‚Historias Philippicas‘ Theopompeum dicendi genus et venustatem aemulatus est. quo magis miror, omnes qui adhuc de Cleone scripserunt, nullam rationem Theopompi habuisse in eisque G. Droysenium et G. Onckenium, quorum virorum libri historici tantam habent patrii sermonis elegantiam, ut eos cum Theopompo conferre audeas. huc accedit, quod Theopompi comparatio aliquam videbitur vim habere posse ad Cleonem si minus defendendum, at quodammodo excusandum. praetexere enim licebit Theopompi, qui Aemilio Probo in Alcibiade c. XI dicitur ‚maledicentissimus‘, ‚acerbitatem et linguam effrenatam‘ (*πικρίαν καὶ ἀθυρογλωσσίαν* ap. Polybium VIII, 12), *κατηγορίαν μᾶλλον ἢ ἱστορίαν* (Lucian. De Conscr. Hist. c. 59), denique ‚malignitatem‘ (*κακοήθειαν* ap. Plutarchum De Herodot. Malign. c. 1, qui ibidem paullo post c. 3 manifesto adludit ad Theopompum et ad hujus digressionem de Cleone, Hyperbolo aliisque demagogis). praeterea historicus Chius inprimis Atheniensibus fuisse infensus dicitur ab Athenaeo VI p. 254, b fortassis recte: a popularibus enim certo abhorrebat. etsi Athenaeum decipere potuerunt maledicta Atheniensium in *Τρικαράνῳ*, quem librum Anaximenes dolo malo Theopompo supposuerat, ut post alios ad Luciani Fugitivos c. 32 p. 267 ostendi. vereor tamen, ne Theopompi accusatione Cleonis honestas defendi nequeat. nam Theopompus fuit veritatis amans (*φιλαλήθης* ap. Suidan s. *Ἔφορος* et Athenaeum III, 85 a) et, ut erat dives, adcuratae rerum inquisitioni magnam pecuniae vim impenderat (Athenaeus ibidem et Dionysius Hal. Epist. ad Pompejum c. 6 sive T. VI p. 782 sq. Reisk.). cui viro quum tristia tempora, mores corrupti, homines improbi saepe describendi essent, cujusmodi fuit hic ipse Cleonis aliorumque oratorum principatus: eis castigandis qui ne poterant quidem honeste laudari non obtexit ulcera sed ut sanari possent denudavit ideoque in se illud dictum expertus est: ‚obsequium amicos, veritas odium parit.‘ verborum tamen acerbitate nimia haud raro usus est, cujus generis locum (qui manifesto ad Theopompum et ad librum ejus decimum spectat) Plutarchus adtulit De Malign. Herod. c. 2: *ὁ τοῖς δυσχερεστάτοις ὀνόμασι καὶ ῥήμασιν, ἐπιεικεστέρων παρόντων ἐν τῷ λέγειν τὰ πεπραγμένα χρώμενος (ὥσπερ εἰ — ἢ θρασύτητα καὶ μανίαν Κλέωνος μᾶλλον ἢ κουφολογίαν) οὐκ εὐμενής ἐστιν.* de maligno ille animo loquitur historici. e decimo autem libro haec sumta esse patet e schol. Lucian. ad Timon. § 30: *ὁ δὲ Κλέων — θρασὺς ὢν οὕτως ὥστε καθὼς Θεόπομπος ἱστορεῖ —*. tametsi non magis historici est, res turpes nomine honesto obtegere et elevare. quid, quod ipse Plutarchus sui oblitus in vita Niciae c. 7 fin: *Κλέωνος τὴν κουφότητα καὶ μανίαν* commemoravit, ubi de eadem re agitur, propter quam Theopompus Cleoni *θρασύτητα καὶ μανίαν* imputarat. haec de Cleone interim satis exposita sunt: nam de G. Grotei Angli opinionibus alio loco dicetur. demonstrabo autem, si quis comoedia graeca bene uti noverit et cum Aristophane Thucydidem aliosque recte conferre possit (id quod Groteo minime contigit), hodie Theopompo non jam superstite Aristophanis ‚Equites‘ rerum quae ad Cleonem adtinent gravissimarum quasi quendam locupletem thesaurum esse.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim ecclesiae apostolicae historiam et apostolorum doctrinam quinis diebus h. IX tradet; 2) privatim theologiam moralem quinis diebus h. X docebit; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim symbolicen et polemicen docebit sive doctrinam ecclesiasticam exponet et defendet septenis p. h. scholis, quinquies h. XI et die Saturni h. III et h. IV; 2) privatim Pauli Apostoli epistolas minores explicabit quinquies p. h. hora XII; 3) publice conversatorium exegeticum moderabitur binis horis definiendis.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., I) privatim: 1) Vaticinia V. Ti Messiana interpretabitur, quinis p. h. scholis hora VII—VIII; 2) Librum Jobi explicabit, quinquies p. h. hora IV—V; II) publice: selectos S. Ephraemi Syri hymnos exponet, binis p. h. scholis definiendis; III) privatissime sed gratis: praecipuos Prophetarum qui de rerum exitu editi sunt sermones in conversatorio exegetico tractabit, die Mercurii hora VI—VIII vesp.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies h. VIII, 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinquies h. III tradet, et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

In ordine juridico.

D. Otto Mejer, P. P. O., docebit 1) jus publicum Germanicum quinquies p. h. hora XI.; 2) processum criminalem communem et Mecklenburgicum quinquies p. h. hora IX.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., 1) docebit jus obligationum quinis p. h. scholis h. XII; 2) historiam juris Romani tradet quinis scholis h. XI; 3) Relatorium instituet die Saturni hh. XI—I.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., h. t. Decanus, 1) historiam juris Germanici tradet quinis p. h. scholis h. XII; 2) jus mercatorium et cambiale docebit sexies p. h. h. X; 3) publice carmen „Reineke Vos“ interpretabitur semel p. h. hh. cc.

D. Theodorus Muther, P. P. O., 1) processum civilem docebit sexies h. IX; 2) institutiones juris Romani tradet sexies h. X duce „Salkowski: Lehrbuch der Institutionen“ (1868); 3) Gaji institutionum commentarium IV^{um} interpretabitur hh. cc.; 4) practicum quod vocant processus civilis moderabitur hh. cc.

In ordine medico.

D. Carolus Strempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) publice de morbis renum diebus Lunae et Martis h. IX, 2) privatim de morbis organorum respirationis diebus Mercurii, Jovis et Veneris h. IX, 3) privatissime de aegrotis policlinicis die Saturni hh. VIII et IX disseret; 4) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.

D. Franciscus Winckel, P. P. O., 1) publice pathologiae et therapiae partus partem alteram binis horis, 2) privatim gynaecologiae partem primam, tocologiam quaternis p. h. horis edisseret; 3) exercitationes practicas in clinico gynaecologico quinis diebus h. VIII—IX moderabitur.

D. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., h. t. Rector, 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis hora III—IV, 2) privatim Physiologiam (functiones vegetativas) quotidie hora IX—X docebit; 3) privatissime exercitationes physiologicas bis per hebdomadem horis ternis moderabitur.

D. Phil. Jac. Guilielmus Henke, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice angiologiam docebit die Lunae h. VII—IX; privatim 2) anatomen c. h. topographicam quaternis diebus h. V demonstrabit; 3) exercitationes histologicas die Martis et Mercurii h. VII—IX moderabitur.

D. Theodorus Ackermann, P. P. O., 1) privatim pathologiam generalem diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. III, 2) privatim materiam medicam diebus Martis, Jovis et Saturni h. III tradet, nec non 3) privatissime exercitationes practicas in instituto pathologico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. IV et V moderari perget.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) Ophthalmologiam quaternis p. h. h. IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dimidia moderabitur; 3) cursum operationum, quae in arte ophthalmiatrica adhibentur, horis definiendis docebit.

D. Franciscus Koenig, P. P. O., 1) chirurgiam specialem quotidie docebit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis et Saturni hora XI moderabitur; 3) cursum operationum chirurgicarum horis definiendis habebit.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) morbos mulierum tractabit quaternis p. h. horis; 2) publice varias methodos explorationis gynaecologicae exponet semel p. h.; 3) cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ternis p. h. horis moderabitur.

D. Waltherus Flemming, instituti anthropotomici prosector, 1) publice organorum sensuum anatomiam et histiologiam tradet diebus Jov. et Ven. hor. VII; 2) privatim neurologiam docebit diebus Jov., Ven. et Saturni h. VIII; 3) scholas repetitorias de anatomia desiderantibus offert.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., privatim 1) trinis diebus h. XI Aristophanis Equites explicabit; 2) binis diebus h. XI D. Junii Juvenalis saturas selectas interpretabitur; 3) binis diebus h. XI et h. II artem Graecorum metricam exponet. Postremo exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Homeri Odysseae Lib. IX—XII et Vergili Aeneidos Lib. II—IV tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Mercurii h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam, quinis diebus h. VIII; itinera botanica instituet die Saturni.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) agros metiendi doctrinam tradet sexies p. h. h. III; 2) culturam plantarum agrestium quater p. h. docebit h. X.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter per hebd. Hymnos Homericos interpretabitur; 2) ter per hebd. Vergilii Georgica et carmina minora explicabit. Privatissime quater per hebd. de Aegyptiorum Mythologia et de monumentis ad illum cultum pertinentibus disseret.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., privatim 1) de calculo differentiali disseret quater p. h.; 2) physices experimentalis partem alteram (physicen generalem, acusticen, opticen) tradet quinquies p. h.; 3) mineralogiam docebit quater p. h. horis definiendis.

D. Franciscus Ferd. Schulze, P. P. O., h. t. Decanus, 1) chemiam universalem docebit et experimentis illustrabit sexies per hebd.; 2) exercitationes chemicas moderabitur, vel bis p. hebd. horis quaternis, vel quotidie horis antemeridianis nec non pomeridianis; 3) exercitationes agronomicas instituet horis definiendis.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit 1) oeconomiam publicam quinis p. h. diebus hora IX; 2) administrationem rei financiariae et militaris hora VIII.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim: historiam medii aevi usque ad exitum generis Staufici enarrabit quinis diebus hora XI; 2) publice: historiam reipublicae Romanae ab anno 133 ante Chr. n. usque ad annum 31 post Chr. n. deducet binis diebus (Martis et Veneris) h. XII; 3) publice: exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet ternis diebus h. XII.

D. Henricus de Stein, P. P. O., 1) Logicen et Methaphysicen quinquies per hebd., 2) Religionis philosophiam, qualis a philosophis inde a Kantio exculta est, historice et critice explicabit quinquies per hebd.

D. Franciscus Eilhardus Schulze, P. P. O., 1) Anatomiae comparatae partem primam quaternis horis per hebdom., 2) histiologiam generalem binis per hebdomadem horis, 3) zoologiam (animalia vertebrata) binis p. h. horis tradet; 4) exercitationes microscopico-anatomicas in eorum usum moderabitur, qui facultatem quandam sibi paraverint, quaternis p. h. horis.
D. Reinholdus Bechstein, P. P. O. Des., 1) syntaxin linguae theodiscae docebit ter per hebd.; 2) carmina Waltheri qui dicitur „von der Vogelweide" interpretabitur quater per hebd.; 3) cum sodalibus Seminarii germanico-philologici exercitationes instituet de lingua et scriptis Germanorum.

D. Carolus Weinholtz, 1) de idealismo et realismo, rationalismo et empirismo historice et critice disseret comparato ideismo suo qui explicatus est in libro ipsius: „Das organisch-idealistische System der Philosophie"; 2) linguae originem organicam et evolutionem pneumaticam exponet spectabitque libellum suum: „Zur Erklärung des Ursprungs etc. (Lips. 1854)" nec non libellum: „Die organische Sprechschrift etc. (Rost. 1860)".
D. Julius Robert, privatim: 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) grammaticam francogallicam docebit ter p. h.; gratis: 3) de historia literarum francogallicarum disseret bis p. h.
D. Ferdinandus de Roda, in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater per hebdom.
D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, privatim: 1) Vaticinia prophetae Jeremiae quater p. h. explicabit; 2) grammaticam linguae arabicae cum interpretatione Arnoldi Chrestomathiae ter p. h. tradet; gratis: 3) societatem habebit grammaticam in qua interpretationi libri Threnorum praeerit; 4) elementa linguae neo-persicae non sine explicatione libelli: „Narrationes persicae ed. Georg Rosen" bis p. h. docebit.

Bibliotheca extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis, et praeterea quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I, **Museum** autem die Lunae II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

H. R. Aubert, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **A. G. Dieckhoff,** Th. D.
Jurisconsultorum **H. Boehlau,** J. U. D.
Medicorum **J. G. Henke,** M. D.
Philosophorum **F. F. Schulze,** Ph. et M. D.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO ANNI MDCCCLXXI—LXXII

INDE AB DIE XVI M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

ADVERSARIORUM

PARTEM SEXTAM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.

ADVERSARIA.

§ 7.
De codicibus Luciani Vaticanis.

Mirabuntur fortassis, in quorum manus cura nostra venerit, quid sit, quod de Vaticanae bibliothecae codicibus nuper inspectis aliquid hoc potissimum tempore relatum legere possint. Nam ut aliorum querimonias omittam, ego ipse hisce diebus (id est mense Quintili) literas Roma datas et eas querelae plenas accepi. Hinc autem didici, ferias longiores bibliothecae Vaticanae indictas esse, quae hoc quidem anno ab Junio mense medio usque ad Novembrem medium duraturae sint, hoc tantum temperamento, ut tum quoque illa bibliotheca bis per hebdomadem horis trinis aperiatur. Tum ab juvene docto, qui ut bibliothecam illam adiret Romam erat profectus, literae ad me missae sunt etiam tristiores, in quibus ita scriptum est verbotenus: ‚Die Verhältnisse der Vatik. Bibliothek, besonders in diesem Augenblicke, sind für Studirende sehr schlecht, und Gott weiss, wann sie günstiger sein werden.‘ Sed primo tenendum est, ibidem ferias minus incommodas illas quidem, haud brevissimas tamen jam dudum institutas fuisse. Tum omnino vereor, ne juvenis eruditus meras fere colubras viderit et de futuri temporis exitu temere fuerit sollicitus. Etenim cum turbis inter catholicos modo exortis minime rationes cohaerent bibliothecae Vaticanae, quae quum omnibus doctis ad novissimam aetatem semper patuit*), tum eadem nunc eis quoque catholicis, qui a pontificis romani partibus stant, necessario utendum est. Tamen illud unum concedo, hoc ipso temporis momento ad eam aditum adeo esse difficilem, ut bibliotheca Vaticana jam arci cuidam inaccessae non absimilis esse videatur. Quo factum est, ut quas ego ipse ibidem fieri jusseram conlationes novas, eae intermissae deficerent neque ad nos mature perferri possent. Sic quoque mihi contigit tam esse felici, ut eo tempore, quo neque feriae ullae incidissent et quo thesauri illi non sine summa humanitate aperti vulgo paterent, conlationes Lucianeas sat multas adipiscerer. Et illae quidem lectiones, de quibus infra dicetur, partim anno jam superiore partim hujus anni initio e codd. Vaticanis consignatae sunt ab homine admodum diligenti ac vere erudito, qui nunc vix intelligitur, mox aperte nominabitur. De quibus rebus non pauca duobus abhinc mensibus perscripsi, quorum partem infra posui neque quidquam ausus sum mutare, ne quid temere viderer novasse. Quanquam fateor orationem meam paullo altius videri posse repetitam esse. Itaque de codicibus Luciani Vaticanis haec scripsimus.

‚Johanne Bessarione, cujus viri codices etiamnunc bibliothecam ornant Marcianam, paucis annis superior fuit Johannes Aurispa, Siculus, qui et Florentiae literas graecas docuit et Romam evocatus est ab Nicolao V, cui pontifici prima Vaticanae bibliothecae institutio debetur. Sed Johannem Aurispam pro certo creditur primum effecisse, ut in Italiam transferrentur integra opera quum plurimorum Graeciae scriptorum tum Luciani Samosatensis: de qua re satis est tironi Schoellium in Hist. Graec. Lit. III p. 534 ed. Pind. contulisse. Ac de iis quidem Luciani codicibus, qui in aliis Italiae urbibus adservantur ut Florentiae, Urbini, Venetiis, hic nihil dicam, sed in eis libris manu scriptis

*) Vide tamen O. Jahnium in Praefat. ad Persium p. 4 ed. sec.

acquiescam, qui mere sunt Romani. Sed de his adhuc omnes fere ita mentionem fecerunt, quasi duo codices (87 et 90) soli aut omnino exstent aut in censum possint venire. Atqui bibliotheca Vaticana Lucianei codices non sane duo continentur sed undecim, qui in indice graeco ita numerati sunt: 76; 86; 87; 947; 1323; 1325; 88; 89; 90; 224; 1322. Hos enim in tabulario basilicae Vaticanae codices Luciani ad unum omnes servari accepimus. Ita quaeritur, quo jure novem libri Vaticani plane contemti jaceant atque neglecti. Insunt tamen in hoc numero etiam codicilli admodum recentes, qui Lucianea non habent nisi perpauca, dico codicem n. 89 chartaceum saeculi XIV itemque alium n. 88 et chartaceum et recentissimum. Nam ab hujusmodi codd. non sane multum sperare licet: quae ratio ut non ubique constat, ita tam raro fallit, ut ea omnes vulgo utamur. De duobus aliis codd. paullo certiora adferre possum edoctus amici miro quodam errore. Rogaram doctum qui tum Romae erat amicum, ut mihi duo Vaticanos no. 87 et no. 90 ad multos Luciani dialogos (in his ad Timonem) adcurate conferret. Quod ita partim factum est, ut tamen ad Timonem non ei codd., quos ego jusseram conferrentur, sed eorum loco nescio quo modo duo alii, item Vaticani. Quorum alter no. 86 chartaceus sane recens et vilis est, alter autem no. 76 codex bombycinus saec. XIV notae melioris est et cum optimis libris saepe consentit. Et hic quidem si juris est sui, dignus videtur, qui totus excutiatur; sin e cod. 90 vel 87 descriptus est, ne ipse quidem ullam potest vim habere. Restant codices, de quibus parum constet, quinque: no. 947; 1323; 1325; 224; 1322. Verum quod ad reliquos duo pertinet, primum repetere hic nolo, quae de codice 87 verissime scripsit C. B. Hasius in ,Notices et Extraits des manuscripts de la Biblioth. du Roi vol. IX, T. II‘ 11 partie. Quo in loco hic codex ab Hasio ita descriptus est, ut ei jure meritoque multum tribueret. Illud tamen Hasio propositum erat, non ut de Samosatensi ipso scriberet, sed de seris Luciani imitatoribus. Nam Hasius ex hoc ipso cod. 87 ibidem edidit Byzantinae aetatis dialogum ,*Τιμαρίων*‘ nomine, adnotationibus et indice instructum, quo dialogo frigida quaedam continetur Necyomantiae Lucianeae imitatio (vol. IX p. 128 sqq.). Attamen quum Hasio de partibus primariis, id est Lucianeis tacendum fuerit, haec nobis videntur addenda esse, primum scholia in cod. 87 inesse nulla, deinde quaecunque opera Luciano tribui solent, ea huic codici omnia inesse, exceptis tantum septem hisce: 1, *Ὄνειρος*, 2, *Ῥητόρων διδάσκαλος*, 3, *Μακρόβιοι*, 4, *Περὶ τῆς Συρίας θεοῦ* 5, *Φιλόπατρις* 6, *Χαρίδημος* et 7, *Νέρων ἢ περὶ τῆς ὀρυχῆς τοῦ Ἰσθμοῦ*. Quo autem tempore hic codex Parisios Roma abreptus erat, non solum C. B. Hasius ex eo ,Timarionem‘ edidit, verum etiam Lucianea omnia bene contulit F. J. Bastius et paucas quasdam lectiones hic illic memoravit, post cujus viri obitum integra conlatio videtur funditus interisse, in Angliam (ut putant) ablata, de qua re vide Schoellium ,Gesch. d. gr. Lit.‘ II p. 499. Post Bastium tres tantum libelli Lucianei cum cod. 87 conlati erant, quae lectiones in Tauchnitiana Dindorfii, in Sommerbrodtiana et in mea ipsius editione (Voll. I—IV) exstant. Quo magis curae habui, ut alios quoque Luciani dialogos vir vere doctus cum cod. 87 bene compararet: quarum conlationum magnam partem nuper admodum accepimus. Superest Vaticanus 90, qui primum fortassis ab J. Vossio, certe ab Jo. Massono ap. Reitz. Praef. p. XVIII sq. deinde etiam ab aliis inspectus est. Hic codex membranaceus est, saeculi (ut videtur) XI; habet autem LXXIX Luciani et Pseudoluciani libros; desunt novem hi: 1, *Ἑταιρικοὶ διάλογοι*, 2, *Δραπέται*, 3, *Ὑπὲρ τῶν εἰκόνων*, 4, *Νέρων*, 5, *Πατρίδος ἐγκώμιον*, 6, *Περὶ πένθους*, 7, *Ῥητόρων διδάσκαλος*, 8, *Φιλόπατρις* et 9, *Χαρίδημος*. Scholia in margine exhibet plurima, alia recentia, antiqua alia, multa denique antiquissima. Et haec quidem cum scholiis ,codicis Vossiani‘ (V) apud Hemsterhusium toties ad verbum paene conveniunt, ut conjicere audeam Vossianum illum codicem hunc ipsum fuisse Vaticanum. Quanquam me interdum dubitasse memini, an J. Vossius alium codicem secutus sit, dico Graevianum. Multo plures scripturas quam e cod. 87 Bastius ex hoc codice 90 variis locis adtulit. Nam hunc quoque ille integrum Parisiis bene excusserat: quae conlatio aut periit aut alicubi (in Anglia fortasse) latet abscondita. Post Bastium unius dialogi conlationem Sommerbrodtius et trium aliorum Dindorfius in Tauchnitiana ediderunt. Ad me ipsum quod adtinet, primum olim ab F. Osanno, professore tum Gissensi conlatione ad ,Veras Historias‘ instituta donatus sum, non tamen integra illa nec satis fideli. Totius autem codicis

lectionibus potiri discupiebam. Quae res quum saepius frustra tentata esset, tandem virum vere doctum et adcuratum nuper inveni, qui primum conlationem ad quatuor longos dialogos optime factam non sine scholiis antiquis ad me transmitteret, et plura se propediem missurum polliceretur. Ejusdemque viri opera effectum est, ut codicis 87 conlationem ad decem libros Lucianeos exactam jam nunc manu teneam, plura hujusmodi mox habiturus. Quanquam autem de utriusque codicis indole sat multa ad me perscripta sunt, pleraque tamen adhuc silentio malim transire. Nam quae scire magni nostra interest, ea nisi ex integra horum librorum conlatione certo perspici nequeunt. Ut codicis 90 exemplo utar, non solum scholia tribus scripta temporibus dignoscere licet, sed ipsius Luciani sermo duas correctorum manus non unius aetatis expertus est. At scire illud laboro, utrum antiquissima manus hunc codicem totum perscripserit et pari scripserit diligentia, an (ut in tam spissis voluminibus) duo minimum librarii tempore etiam diverso nec fide simili codicem primo exararint. Nam, id quod multi cum literarum damno omittere solent, unusquisque codex ante omnia secum ipse conferendus est videndumque illud maxime, num ab initio ad finem totus sibi constet paremque et aetatis notam et lectionum fidem ubique tueatur. Tum de codd. 87 et 90 disputanti hoc quaerendum est, uter utri videatur praestare. Incertus scriptor Timarionis, qui dialogus in cod. 87 inest, saeculo vixit XII°, ut ab Hasio aliisque satis demonstratum est. Omninoque fieri non potest, ut codex 87 ante saeculum XII vel potius XIIIum scriptus fuerit. Quum igitur codex 90 saeculo jam XI° exaratus esse videatur, hic ipse codex alteri anteponendus est, si tamen antiquitatis sequi praejudicium licet. Etsi fuisse etiam scio qui codicem 87 alteri non dubitaret praeferre. Illa vero una et consentiens vox omnium est, utrumque horum codicum auctoritate multum valere. Quod tametsi nos quoque verissime dictum esse defendimus, tamen hoc uno omnis res haudquaquam confecta est. Omnino enim in Luciano optimi codices, de quorum dignitate dubitat nemo, partim eisdem lectionibus amice conspirant, partim mire depugnant inter se et digladiantur. Quo magis exoptandum est, ut optimi quique codd. melius et conjungi possint et distingui, sua cuique aetatis nota certo adsignata et mutuo nexu, quo inter se cohaereant, tandem invento. Nam, uti tum demum plane sciemus, videntur nobis Vaticani 87 et 90 dignitate aut aequare aut etiam vincere hosce libros magni nominis Marcianum 436 saec. XIV (Ψ) et item saec. XIV Gorlicensem (A) sive pro parte quadam Gorlicensis Parisinum 3011 (C) saec. XIII. Quae enim partes ex aliis plane libris codici C nuper demum temere additae sunt, una membranacea et chartaceae duae admodum recentes, tribus his partibus cum cod. Gorlicensi nulla omnino necessitudo intercedit. Ita et Gorlicensis, qui multo plenior est, magna ex parte cum cod. C non cohaeret et in codicis C antiquissima tantum parte, qua bombycinus est, aliquot dialogi qui etiam in Gorlicensi leguntur, verbotenus ita conveniunt, ut in hac una parte sane illa exigua Gorlicensis A videri possit e Parisino C descriptus esse. Quanquam ne in hac quidem parte librum C, qui vix obiter inspectus est, sequi licet, sed duce uti adhuc oportet eo qui eximie conlatus est Gorlicensi. Vide quae scripsimus ad Lucian. Vol. II, P. II Praefat. p. X. Ex his sequitur falso et inepte dictum esse, quod Siemonsen in Quaestt. Luc. p. 11 confirmavit: ‚non dubito, inquit, quin Gorlicensis A totus ex Parisino C, qualis nunc est, transcriptus sit.‘ Praeter hos libros, qui nuper demum conlati sunt, Gorlicensem (A) et Marcianum (Ψ) tres alii, qui jam antiquitus comparati erant, in meliorum codicum loco bene ducuntur, Graevianus (V), Wittianus (E) et Oxoniensis (D). Venio nunc ad illum codicem, qui et antiquitate Vaticanum ipsum 90 et omnes superat virtute, Vindobonensem 123 (B), librum membranaceum, quem sub initium saeculi decimi (anno circiter 912) scriptum esse constat, in cujus margine scholia eximia primae manus partim legi hodieque possunt. Et Siemonsenius quidem in Quaestt. Luc. p. 7 hunc librum ita judicat excellere, ut ad hunc solum quasi normam quandam caeteri libri exigendi sint. Aliter tamen statuisse liquet et eum qui hoc codice ab se partim excusso bene usus est, C. Jacobitium et qui plerumque idem secuti sunt ipsum J. Bekkerum et G. Dindorfium. Quin ipse Jacobitius in Praefat. p. XIII ostendit posteriorem libri partem scriptam esse minus adcurate. Quodsi quis vel unum dialogum ‚Δραπέται‘, qui nunc sub finem exstat, consuluerit, hunc codicem videbit sui dissimilem esse et ab sua ipsius virtute degenerasse. Contra quicunque dialogi ab initio

hujus qualis nunc est codicis exstant, optimis lectionibus tam sunt referti, ut de hac prima parte non dubitem Siemonsenio adsentiri. Ita sane dolendum est, quod a principio libri Lucianei 19 perierunt: qua re Lucianeus sermo magnam fecit jacturam et inreparabilem. Ex his sequitur, iis in libris qui ab initio leguntur, Vindobonensem B solum esse audiendum, non item si ab eo dissentiant no. 87 et 90 Vaticanos; contra in eis dialogis, qui nunc sub finem Vindobonensis exstant, Vaticanos aut pari esse virtute aut etiam superiore. Enimvero Vindobonensis B a principio, in medio libro et in fine turpiter mutilatus nunc vix triginta libros Lucianeos et in his quoque brevissimum quemque complectitur: ex quo adparet parvam tantum et exiguam Luciani partem in hoc codice servatam esse. At in utroque Vaticano et no. 90 et 87 totus propemodo Lucianus tulit aetatem. Hinc rursus emergit, tot in libris Luciani, in quibus Vindobonensis B plane deficit, necessario quasi ad aram confugiendum esse ad utrumque Vaticanum, ita tamen ut horum scripturas in locis suspectis ubique cogites minus certas nec tam firmas esse, quam Vindobonensis B ibidem futurae essent, si modo exstarent. Nempe critici est, scepticorum more, si fieri possit, a pravo dignoscere rectum atque quaerere verum: et ostendisse videor, me hic nudae veritatis, non vanae laudis studiosum fuisse. Nolo equidem Vaticanos libros usque eo dilaudari, ut aliis codicibus injuria inferatur. Quamobrem sciens tacui de optimis Vaticanorum scripturis, quas vixdum ad me missas diligenter omnes exploravi easque meae Luciani editioni duxi reservandas esse. Majorem enim fidem inveniet oratio mea, si codicem Vaticanum jure meritoque reprehendere potuero. Sed hoc tam commodo loco facere non possum, quin prius ad unum omnes codices in his Vindobonensem (B) acriter reprehendam. Ex quo enim rescripti codices et ipsae, quarum partim duo annorum milia paene adtingunt, papyri velut Herculanenses et Hyperideae pervestigari coeptae sunt: certo adparuit in tanta praestantia hasce jam papyros multis vitiis et ex parte gravibus laborare. Quae quum ita sint, in arte critica tot pravas lectiones scrutanti illa, quae depravari non facile potest, caelestis lux rationis, tanquam obrussa, ubique adhibenda est: siquidem ingenium Bentlejanum et divinatio vere divina longe praestat mille codicibus. Illuc revertor. Dixi autem eis in libris qui nunc ab initio exstant, codicem B ita eminere, non ut ad aliorum codicum lectiones sed ad hunc solum, quasi regulam, judicia nostra dirigenda sint. Quo decreto nunc mihi videor ita usurus esse, ut cum merita laude Vindobonensis B non injusta vituperatio Vaticani 87 conjungi possit. Nam, ut insigne hujus rei specimen adferam, quinto nunc loco in Vindobonensi B is dialogus legitur, cui nomen est *ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ Η ΚΑΥΚΑΣΟΣ*, ad quem Vindobonensis B conlationem eamque praeclaram ab J. H. Chr. Schubarto acceptam C. Jacobitius editioni suae majori inseruit. Quum autem vulgata vitiis plena sit turpissimis, B codex non vulgatam sed pro ea plerumque scripturas exhibet verissimas. Quarum certa fides ita in oculos incurrit, ut et Jacobitius eas optime receperit et Bekker Dindorfiusque easdem comprobarint. Equidem ad illum dialogum meis codicibus usus sum duobus, olim Florentino saec. XIII (*Φ*), quem in deteriorum codicum familia principatum tenere recte judicat Siemonsenius in Quaestt. Luc. p. 14, nuper etiam Vaticano 87 (𝔄). Sane et Florentinus cum codice B haud ita raro consentit et saepius paullo Vaticanus ita tamen, ut ambo frequentius etiam in vulgata ejusque magnis corruptelis et mendis inhaerescant. Itaque codicum ope, absque uno B esset, hic quidem dialogus in integrum restitui non posset. Quod ne temere dixisse videar, initium saltem hujus ‚Promethei' non sine adnotatione critica infra posui. Tenendum est autem codices meos 𝔄 *Φ* toto hoc dialogo unum servare tenorem, ut necesse non sit omnia ab initio ad finem hic proferri.'

ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ Η ΚΑΥΚΑΣΟΣ.
ΕΡΜΗΣ, ΗΦΑΙΣΤΟΣ, ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ.

Reitz. ed. I. p. 185

1. *ΕΡΜ.* Ὁ μὲν Καύκασος, ὦ Ἥφαιστε, οὗτος, ᾧ τὸν ἄθλιον τουτονὶ Τιτᾶνα
προσηλῶσθαι δεήσει· περισκοπῶμεν δὲ ἤδη κρημνόν τινα ἐπιτήδειον, εἴ που τῆς χιόνος
τι γυμνόν ἐστιν, ὡς βεβαιότερον καταπαγῇ τὰ δεσμὰ καὶ οὗτος ἅπασι περιφανὴς ᾖ
κρεμάμενος. *ΗΦ.* περισκοπῶμεν, ὦ Ἑρμῆ· οὔτε γὰρ ταπεινὸν καὶ πρόσγειον ἀνεσταυ-
ρῶσθαι χρή, ὡς μὴ ἐπαμύνοιεν αὐτῷ τὰ πλάσματα αὐτοῦ οἱ ἄνθρωποι, οὔτε μὴν κατὰ
τὸ ἄκρον (ἀφανὴς γὰρ ἂν εἴη τοῖς κάτω), ἀλλ' εἰ δοκεῖ κατὰ * μέσον ἐνταῦθά που 186
ὑπὲρ τῆς φάραγγος ἀνεσταυρώσθω, ἐκπετασθεὶς τὼ χεῖρε ἀπὸ τουτουὶ τοῦ κρημνοῦ πρὸς
τὸν ἐναντίον. *ΕΡΜ.* εὖ λέγεις· ἀπόξυροί τε γὰρ αἱ πέτραι καὶ ἀπρόσβατοι πανταχόθεν,
ἠρέμα ἐπινενευκυῖαι, καὶ τῷ ποδὶ στενὴν ταύτην ὁ κρημνὸς ἔχει τὴν ἐπίβασιν, ὡς ἀκρο-
ποδητὶ μόγις ἑστάναι· καὶ ὅλως ἐπικαιρότατος ἂν ὁ σταυρὸς γένοιτο. μὴ μέλλε οὖν, ὦ
Προμηθεῦ, ἀλλ' ἀνάβαινε καὶ πάρεχε σεαυτὸν καταπαγησόμενον πρὸς τὸ ὄρος.
2. *ΠΡΟΜ.* ἀλλὰ κἂν ὑμεῖς γε, ὦ Ἥφαιστε καὶ Ἑρμῆ, κατελεήσατέ με παρὰ τὴν ἀξίαν
δυστυχοῦντα. *ΕΡΜ.* τοῦτο φής, ὦ Προμηθεῦ, ἀντὶ σοῦ ἀνασκολοπισθῆναι αὐτίκα μάλα
παρακούσαντας τοῦ ἐπιτάγματος. ἢ οὐχ ἱκανὸς εἶναί σοι δοκεῖ ὁ Καύκασος καὶ ἄλλους
ἂν χωρῆσαι δύο προσπατταλευθέντας; ἀλλ' ὄρεγε τὴν δεξιάν· σὺ δέ, ὦ Ἥφαιστε, κατά-
κλειε καὶ προσήλου * καὶ τὴν σφῦραν ἐρρωμένως κατάφερε. δὸς καὶ τὴν ἑτέραν· κατει- 187
λήφθω εὖ μάλα καὶ αὐτή· εὖ ἔχει. καταπτήσεται δὲ ἤδη καὶ ὁ ἀετὸς ἀποκερῶν τὸ

Fieri potest, ut ipse Menippus saturam ‚*Προμηθεύς*‘ nomine scripserit, sive illam similem Luciani ‚dialogo Deorum primo‘ et Varronis saturae ‚Prometheus liber‘ (de qua Oehler in Varron. sat. reliq. p. 195 et Riese l. l. p. 200), sive dialogo nostro. varios Aeschyli in ‚*Προμηθεῖ δεσμώτῃ*‘ locos ab initio inprimis et in fine, tum personas fabulae, denique ipsum adeo tragoediae argumentum Lucianus imitatur et sicut Aeschylus saevitiam Jovis puniendo Prometheo depingit, contendit vero etiam illud Jovem inepte ac prorsus stolide egisse. — *Η ΚΑΥΚΑΣΟΣ* om 𝔄 et Thomas p. 406, 4. — *ΕΡΜΗΣ, ΗΦΑΙΣΤΟΣ, ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ* om B 𝔄 *Φ* J et reliquae edd. vett. —

1. *ΕΡΜ.*] personam puncto notat B hic et mox pro *ΗΦ.* — *Ὁ μὲν — οὗτος*] Aesch. Prom. v. 1 comparat Lehmannus. — *τουτονὶ Τιτᾶνα* B, *Τιτᾶνα τουτονὶ* 𝔄 *Φ* et v. — *τῆς χιόνος τι γυμνόν* B, *τῆς χιόνος γυμνός* 𝔄 *Φ* et v. conjecturam meam: *εἴ πού τις τῆς χιόνος — γυμνός* partim firmat B. — *καταπαγῇ — ᾖ* (superscr. ῇς) B, *καταπαγείη — εἴη* 𝔄 *Φ* et v. — *περιφανῶς* *Φ*, *περιφανεὶς* J. — *οὔτε γὰρ*] *γὰρ* om B solus. — *ἀνεσταυρῶσθαι* B, *ἐσταυρῶσθαι* 𝔄 *Φ* et v. — *ἐπαμύνοιεν* B 𝔄 *Φ*, *ἐπαμύνειεν* a, *ἐπαμύνειν* b aliaeque edd. ante Hemsterhusium, *ἐπαμύνειν αὐτῷ δύνωνται* c d itemque in Y sed transversa linea inductum. — *πλάσματα*] *πλάστα* (sic) lemma scholii. — *τῆς φάραγγος*] haec vox in Aesch. Prom. legitur saepius, veluti v. 15, quem unum adtulit Hemsterhusius. — *ἐκπεταθεὶς* v, sed recte *ἐκπετασθεὶς* B 𝔄 *Φ* cum Struvio L. L. p. 233. at Cobetus V. L. p. 223 malebat: *ἐκταθείς*, frustra. — *ἀπὸ τουτουὶ τοῦ κρημνοῦ πρὸς τὸν* B, *ἀπὸ τουτουὶ πρὸς τὸ* 𝔄 *Φ* et v. — *ἀπόξυροί* BRTUV et in marg J, *ἀπότομοί* 𝔄 *Φ* et in textu J et schol. Voss. et v. — post *πανταχόθεν* B interpungit, non ut vulgo post *ἀπρόσβατοι*. sed pro *ἠρέμα* scribendum puto: *καὶ ἠρέμα*. — *καὶ τῷ*] *καὶ τὸ* J. — *ἀκροποδητὶ* B cum Lehmanno, *ἀκροποδιτὶ* v, *ἄκρῳ ποδί* 𝔄 *Φ* d. — *μόγις* BR, *πω μόλις* 𝔄, *που μόλις* *Φ* et v. — *ὅλως*] *ὅλος* 𝔄 et suprascr. *ὅλως* J. — *ἂν ὁ σταυρὸς* B 𝔄 *Φ*, *ὁ σταυρὸς ἂν* v. — *ὦ Προμηθεῦ*] *ὦ* om 𝔄 *Φ*. — *ἀλλ'* B, *ἀλλὰ* 𝔄 *Φ* et v. —

2. *ἀλλὰ κἂν ὑμεῖς γε* B, *ἀλλ' ὑμεῖς γε* 𝔄, *ἀλλ' ὑμεῖς γοῦν* *Φ* et v. recte judicat Burmeister (Quaestt. crit. p. 42) *κἄν* saepe cum imperativo conjungi, ut in Prometh. 13, D. Mort. 13, 6, Catapl. 13, Catapl. 20, Jmagg. 3, ideoque malam esse Halmii mei conjecturam: *κατελεήσαιτε*. — *τοῦτο φὴς* B, *τοῦτ' ἔφης* 𝔄 *Φ* et v. — post *Προμηθεῦ* libri omnes addunt *τὸ κατελεήσατε*, quae verba ab Hemsterhusio, Schmiedero, Lehmanno, Dindorfio bene deleta sunt. hoc enim glossema cum duplici corruptela *ἔφης* et *ἀντὶ τοῦ* cohaeret. qui illud *τὸ κατελεήσατε* servarunt Bekker, Burmeister l. l. et Jacobitius, similem locum conferre nullum potuerunt. at Hemsterhusius apte comparavit D. Deor. I, 2: *τοῦτο φὴς ἐκπεσεῖσθαί με τῆς ἀρχῆς;* quanquam nostro l. interrogatio videtur nulla esse. dicuntur enim talia etiam cum adfirmatione, ut ab Terentio in Andria I, 5, 20: ‚id mihi visust dicere: abi cito ac suspende te.‘ — *ἀντὶ σοῦ* B cum J. F. Gronovio et Hemsterhusio, *ἀντὶ τοῦ* 𝔄 *Φ* et v. — *ἱκανὸς* B 𝔄 *Φ*, *ἱκανῶς* abcd aliaeque edd. vett. — *ἂν χωρῆσαι* B et v, *χωρῆσαι* (om *ἂν*) 𝔄 *Φ*. — *προσπατταλευθέντα;* B, *προσπατταλευθῆναι;* 𝔄 *Φ* et v. — *ἀλλ'* B et v, *ἀλλὰ* 𝔄 *Φ*. — *προσήλου τὴν σφύραν ἐρρωμένως. κατάφερε* B. pro *σφύραν* bene Jacobitius *σφῦραν*. — *ἐρρωμένως*] ex Aesch. Prom. v. 65 vel e v. 76. — *εὖ μάλα*] *εὖ* om B solus. — *καὶ αὐτή*] *καὶ αὕτη* Jensius, quo non opus est. — *ἔχεις* (superscr. o) J.

ἧπαρ, ὡς πάντα ἔχοις ἀντὶ τῆς καλῆς καὶ εὐμηχάνου πλαστικῆς. 3. *ΠΡΟΜ. ὦ Κρόνε καὶ Ἰαπετὲ καὶ σὺ ὦ μῆτερ, οἷα πέπονθα ὁ κακοδαίμων οὐδὲν δεινὸν ἐργασάμενος. ΕΡΜ. οὐδὲν, ὦ Προμηθεῦ, δεινὸν εἰργάσω, ὃς πρῶτα μὲν τὴν νομὴν τῶν κρεῶν ἐγχειρισθεὶς οὕτως ἄδικον ἐποιήσω καὶ ἀπατηλὴν, ὡς σαυτῷ μὲν τὰ κάλλιστα ὑπεξελέσθαι, τὸν Δία δὲ παραλογίσασθαι ὀστᾶ ‚καλύψας ἀργέτι δημῷ'; μέμνημαι γὰρ Ἡσιόδου νὴ Δί' οὕτως εἰπόντος· ἔπειτα δὲ τοὺς ἀνθρώπους ἀνέπλασας πανουργότατα ζῷα, καὶ μάλιστά γε τὰς γυναῖκας· ἐπὶ πᾶσι δὲ τὸ τιμιώτατον κτῆμα τῶν θεῶν τὸ πῦρ κλέψας καὶ τοῦτο ἔδωκας τοῖς ἀνθρώποις. τοσαῦτα δεινὰ εἰργασμένος φὴς μηδὲν ἀδικήσας*
188 *δεδέσθαι;* *

3. *σὺ ὦ μῆτερ* B, *σὺ γῆ μῆτερ* 𝔄 Φ et v. — *οἷα πέπονθα*] Aesch. Prom. 92 et v. 1093 contulit Halmius. neutro versu *κακά* additum est. in Luciano Φ quinque verbis omissis: *οἷα πέπονθα κακὰ οὐδὲν δεινὸν ὦ πρ.* — *ἐργασάμενος* B, *εἰργασμένος* 𝔄 et v. — *οὐδὲν ὦ προμηθεῦ δεινὸν εἰργάσω* B, *οὐδὲν δεινὸν ὦ προμηθεῦ εἰργάσω* 𝔄 Φ, *οὐδὲν δεινὸν εἰργάσω, ὦ Προμηθεῦ* v. — *σάυτῶι* B ut solet, *αὑτῷ* 𝔄 Φ et v, *αὐτῷ* abc. infra § 6 libri omnes: *σαυτῷ μὲν τ. κ. ἐ.* — *ὑπεξελέσθαι*] *ἐξελέσθαι* 𝔄 Φ L M. — *τὸν Δία δέ*] *τὸν δὲ δία Φ.* — *ἀργέτι*] *ἀργέτηι* B, *ἀργετη* (sic) 𝔄. Hesiod. Theog. v. 541: *καλύψας ἀργέτι δημῷ.* — *μέμνημαι γὰρ Ἡσιόδου νὴ δί'* B, ut ego olim conjeceram; *μέμνημαι ἡσιόδου νὴ δί'* Φ et v, sed 𝔄 sic: *προμ. μέμνημαι ἡσιόδου νὴ δία* et post *εἰπόντος* add persona *ἑρμ.* — *ζῷα* B 𝔄 Φ, *ζῶα* v. — *μάλιστά γε* B solus, sed recte *καὶ μάλιστά γε* 𝔄 Φ et v. vide quae ego dixi ad Nigrin. § 24 p. 70 et Schwidopium O. L. I p. 18. — *καὶ τοῦτο*] quae in Quaestt. L. p. 84 scripsi, aliis probata esse miror. hodie puto Lucianum pro vulgari *ἐπὶ πᾶσι δὲ καὶ τὸ πῦρ* scripsisse rhetorice *ἐπὶ πᾶσι δὲ τὸ πῦρ, καὶ τοῦτο.* compara Bis Accusat. § 34.

Denique quae postea de codd. Vaticanis ab me literis mandata sunt, ex iis hic aliquid reponam caeterisque jam nunc adjiciam velut corollarii loco. „Sufficere ea negavi, quae viri docti, quorum ego conlationes acceperam, de aliis codd. Vaticanis praeter hos duo n. 87 et 90 ad me perscribenda curarunt. Neque enim undecim codices Luciani Vaticanos exstare hodie existimo, sed ad minimum duodecim atque adeo duodecimum magnae codicem dignitatis plane omissum esse. Dico codicem 73, cujus teste uti nobis licet oculato, viro utique docto, Erwino Rohde, cujus verba (leguntur autem in Museo Rhenano Vol. XXV a. 1870 p. 548) infra posui: Unter den sehr zahlreichen Lucianhandschriften der vaticanischen Bibliothek steht, neben dem trefflichen — Vaticanus 90 (saec. XII) der Palatinus 73 in erster Reihe: eine schöne Pergamenthandschrift des 13. Jahrhunderts, die zwar nur einen Theil der Lucianischen Schriften enthält, darunter aber die so interessanten, sonst gerade in den besseren italienischen Handschriften fehlenden Hetärendialoge. Und zwar sind gerade diese Dialoge durch einen besonderen Reichthum nicht unbedeutender Scholien ausgezeichnet. Quorum scholiorum partem, quae ad attica Thesmophoria et Haloa inprimis pertinet, Erwinus Rohde deinceps quum edidit, um interpretatus est.“ Sed manum de tabula.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim ternis diebus, Lunae, Martis et Mercurii, h. IX encyclopaediam et methodologiam theologicam tradet; 2) privatim quinis diebus h. X et binis diebus, Jovis et Veneris, h. IX theologiam dogmaticam docebit; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim epistolam ad Hebraeos interpretabitur quinquies p. h. hora III; 2) privatim Pauli Apostoli epistolam ad Corinthios priorem explicabit, quinquies p. h. hora IV; 3) publice conversatorium theologicum moderabitur binis horis definiendis.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., I) privatim 1) Introductionem historicam criticam in canonicos V. Ti libros docebit, quinis p. h. scholis hora XII—I; 2) Psalmos interpretabitur, quinquies p. h. hora XI—XII; II) publice: Cantica quae V. Ti libris historicis inserta sunt explicabit, bis p. h. die Veneris hora VI—VIII vesp.; III) privatissime sed gratis lectiones Mischnicas vel Targumicas instituet, binis p. h. horis definiendis.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinquies h. VIII, 2) privatim historiam dogmatum senis p. h. scholis h. XII et h. II, 3) publice nostrae aetatis historiam ecclesiasticam binis p. h. scholis h. II tradet; et 4) publice in Seminario exercitationes catecheticas h. XI et h. XII die Saturni moderabitur.

In ordine juridico.

D. Otto Mejer, P. P. O., docebit 1) jus ecclesiasticum quinquies p. h. h. XI.; 2) encyclopaediam juris quinquies h. IX.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., h. t. Academiae Rector, 1) institutiones juris Romani quinis p. h. scholis h. XI, et 2) doctrinam de hereditatibus quinis scholis docebit hora XII; 3) collegium, quod vocant civile practicum, instituet die Saturni hh. III—V.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) jus Germanicum privatum docebit quinquies p. h. h. XII; 2) jus Mecklenburgicum privatum tradet ter p. h. h. IV; 3) jus feudale tam commune quam Mecklenburgicum exponet ter p. h. h. IV.

D. Theodorus Muther, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pandectas juris Romani docebit sexies hh. IX—XI; 2) exercitationes exegeticas moderabitur hh. cc.; 3) relatorium, quod vocant, instituet hh. cc.

In ordine medico.

D. Carolus Strempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) publice de rheumatismo, arthritide, rachitide et osteomalacia die Mercurii h. IX, 2) privatim de morbis infectione ortis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IX, 3) privatissime de aegrotis policlinicis die Saturni h. IX disseret; 4) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.

D. Franciscus Winckel, P. P. O., docebit 1) gynaecologiae partem alteram (mulierum morbos) quaternis horis p. h. privatim; 2) publice pathologiae et therapiae partus partem alteram binis p. h. horis; 3) medicinam forensem ternis horis p. h.; 4) in clinico obstetricio exercitationes practicas quinquies moderabitur.

D. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) Encyclopaediam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) Physiologiae partem priorem (functiones animales) quotidie h. IX—X, 3) exercitationes physiologicas bis per hebdom. horis definiendis moderabitur.

D. Phil. Jac. Guilielmus Henke, P. P. O., 1) anatomes c. h. partem priorem quotidie h. XII, 2) osteologiam et syndesmologiam quotidie per dimidium semestre prius h. IX docebit; 3) privatissime exercitationes anatomicas quotidie horis IX—XII moderabitur.

D. Theodorus Ackermann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim anatomen pathologicam specialem quotidie h. III tradet; 2) privatissime exercitationes practicas in instituto pathologico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. IV et V moderari perget; 3) publice disquisitiones laryngoscopicas die Saturni h. IV instituet.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) Ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dimid., 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

D. Franciscus Koenig, P. P. O., 1) privatim chirurgiam specialem quaternis horis docebit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis et Saturni moderabitur.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) Pathologiam et therapiam puerperii II p. h. horis tradet; 2) De morbis mulierum quaternis p. h. horis disseret; 3) Cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ternis p. h. horis habebit.

D. Waltherus Flemming, 1) Embryologiam docebit ternis per hebd. horis; 2) publice stralorum connectivorum histiologiam tradet.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., privatim 1) trinis diebus h. XI Aristophanis Pacem explicabit; 2) binis diebus h. XI P. Terenti Phormionem interpretabitur; 3) binis diebus h. II historiae literarum graecarum capita selecta explanabit. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo loci selecti et Thucydidis (primum lib. II, 47 sqq.) et T. Lucreti Cari de R. N. (primum lib. VI, 1090 sqq.) pertractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit 1) familias plantarum naturales, demonstrationibus vegetabilium medicinalium illustrandas, quaternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, binis diebus h. XI; 3) anatomen et physiologiam vegetabilium, binis diebus h. X.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) quinquies p. h. culturam silvarum docebit h. XI; 2) de praedio rite administrando exponet quinis diebus h. III.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter p. h. Herodiani Historiarum libros, et 2) ter p. h. Theocriti Idyllia interpretabitur; 3) privatissime quater p. h. Plinii maj. Historiae naturalis libros XIII—XIX explicabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit: 1) publice astronomiam popularem bis p. h.; 2) privatim geometriam analyticam quater p. h.; 3) privatim mineralogiam quater p. h. horis definiendis.

D. Franciscus Ferd. Schulze, P. P. O., 1) Chemiam organicam tradet diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. IV—VI; 2) Physices partem alteram de calore nec non de magnetismo et electricitate docebit et experimentis illustrabit diebus Martis et Jovis h. IV—VI; 3) Exercitationes chemicas moderabitur, vel die Saturni horis IX—I et III—VII, vel quotidie omnibus horis commodis; 4) privatissime exercitationes agronomicas instituet horis definiendis.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit 1) jus administrativum et politiae, binis p. h. horis; 2) Statisticam Germaniae.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiam nationis Germanicae a Caroli V electione docebit quinis diebus; 2) publice historiam a tractatu Viennensi binis diebus; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet ter p. h.

D. Henricus de Stein, P. P. O., privatim docebit: 1) Psychologiam quater p. h. hora IV—V; 2) Historiam philosophiae antiquae quinquies p. h. hora V—VI; 3) publice de Spinozae vita et doctrina, die Mercurii h. IV—V.

D. Franciscus Eilhardus Schulze, P. P. O., 1) Zoologiam generalem junctam cum demonstrationibus senis p. h. horis docebit; 2) Exercitationes anatomicas microscopicas quaternis p. h. horis moderabitur.

D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., privatim 1) grammaticam linguae franco-gallicae historicam tradet bis per hebd.; 2) linguam veterem Germaniae superioris docebit ejusque monumenta interpretabitur quater per hebd.; 3) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo ludi scenici Germanorum medii aevi tractabuntur.

D. Carolus Weinholtz, 1) Ideismi humani lineamenta exponet; 2) de Logica antiqua, nova et novissima disseret, comparato libro suo: „Die Wissenschaftswege“ I, II.

D. Julius Robert, privatim: 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia literarum francogallicarum disseret ter p. h.; 3) grammaticam francogallicam docebit ter p. h.

D. Ferdinandus de Roda, in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater per hebdom.

D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, privatim: 1) Vaticinia prophetarum Hoseae, Jonae, Nahumi ter p. h. explicabit; 2) grammaticam linguae sanscriticae una cum Hitopadeçae explicatione secundum librum Stenzleri: „Elementarbuch der Sanscrit-Sprache“ ter p. h. docebit; gratis: 3) elementa linguae syriacae non sine explicatione Chrestomathiae syriacae ed. Aemil. Roediger bis p. h. tradet; 4) societatem habebit grammaticam in qua interpretationi prophetarum Habacuci et Zephaniae bis p. h. praeerit.

D. O. Clason, privatim 1) antiquitates quatenus ad Romanorum rem publicam pertinent excepto die Saturni hora X docebit; 2) interpretationes et philologicas et historicas libelli illius, quem Cornelius Tacitus de vita Cn. Julii Agricolae soceri sui composuit, diebus Martis et Veneris hora XI proponet.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis patebit, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas velut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales veluti gymnasticam publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hermannus Schwanert, J. U. D.

Praesidet ordini Theologorum **O. C. Krabbe,** Th. D.
Jurisconsultorum **Th. Muther,** J. U. D.
Medicorum **Th. Ackermann,** M. D.
Philosophorum **F. G. Schirrmacher,** Ph. D.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXIII—LXXIV

INDE AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

ADVERSARIORUM

PARTEM DECIMAM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.

ADVERSARIA.

§ 11.

De Lysiae oratione in Agoratum.

Lysias olim Romanis tantae admirationi fuit, ut nonnulli hunc unum oratoribus atticis omnibus id est etiam Demostheni praeferre non dubitarent. Tullius ipse, cui solus Demosthenes orator esse videbatur perfectus et cui nihil admodum desit, Lysiam tamen concessit egregie subtilem scriptorem esse atque elegantem, quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere (in Bruto c. IX.). Equidem cum plerisque consentio, qui admirari Demosthenem solent, cujus rapide fertur quasi torrens oratio, et iidem multum amant Lysiam tanquam fontem quendam aquae dulcis cum lenitate aequabiliter profluentem. Quem Lysiae amorem optimi maximeque attici scriptoris ut in animos juvenum, qui disciplinae meae commissi sunt, mature transfunderem, unam certe et item alteram ex eis Lysiae orationibus quae aetatem tulerunt sive in scholis sive in seminario diligenter putavi interpretandas esse et critici munus hic quoque in me recipiendum. Sed in hoc negotio mihi jam olim adversa multa fuerunt. Nam illo ipso tempore, quo Foertschius meus in Praefat. p. VIII (edit. a. 1829) J. Bekkerum dixit prudentissime cautissimeque editoris munere functum esse raroque aliis ab se dissentiendi copiam fecisse, ego etiam tum juvenis Lysiam adsiduo tractare coepi. Sed quum vidissem cum Bekkero, cujus tanta tum esset in ipso etiam Lysia auctoritas, saepe mihi depugnandum esse multis locis aliter constitutis: veritus ne juvenis „expudorata fronte" plerisque esse viderer, de studiis meis in Lysia poni coeptis interim existimavi tacendum esse. Sperabam autem et confidebam fore ut e tanta Lysiae codicum multitudine unus certe optimae notae liber tandem inveniretur: quo facto ad Lysiam continuo reverti statueram. Sed haec spes egregie me fefellit neque unquam explebitur. Bekkero tamen in Lysia repugnare omnes hodie coacti sunt: quem virum constat Laurentiani codicis (C) interpolationibus saepe deceptum esse. Scimus enim nunc, id quod primus vidit sive A. Emperius, sive H. Sauppius, omnes Lysiae codices e Palatino s. Heidelbergensi No. 88 (X) velut e communi quodam fonte emanasse, ut scriptoris nostri salus ab unius et ejus non optimi codicis auctoritate pendeat. Itaque tam misere corruptum ad nos Lysiam pervenisse nemo mirabitur. Vindobonensis tamen codex, cui A. Westermannus meus multum tribuebat, ab Heidelbergensi, unde ipse quoque derivatus est, proxime videtur abesse. Denique Laurentianus (C) non merum est archetypi apographum, sed interpolationibus est refertus. Dixit autem Bekkerus e novem quos viderit Lysiae codd. sese, quos totos compararet, duos C et X elegisse. Et Laurentianus

quidem optime comparatus est, non item Heidelbergensis, uti nova collatio C. L. Kayseri clare docuit. Ita demum fieri potuit, ut Bekkerus Heidelbergensi male posthabito sequi mallet Laurentianum: quod quum Bekkeri tum Lysiae causa et doleo et puto dolendum esse. Ceterum ut Bekkeri opera Lysiae impensa olim nimis celebrata est, ita nunc editio viri eximii et graece doctissimi inique solet contemni. Haud raro enim Laurentianum bene sequutus est, cujus correctorem nec graece indoctum et valde acutum agnoverat, velut in nostra oratione § 64, ubi pro *μέν* quod habet X *μέντοι* recepit et § 62 ubi pro *μέν* (ita X) e C *μὲν οὖν* scripsit: hiat enim oratio nec nisi *οὖν* inseratur, ullo modo cohaeret. Absque Laurentiano esset, ipse Bekkerus per se *μέντοι* et *μὲν οὖν* correxisset: nunc vero quid faceret? num potuit vir summus mentiri? Concedo tamen correctiones libri C, quae in Lysia saepe recipiendae sunt, non aliam vim habere nisi conjecturae, neque unquam invito X codice probandas esse, nisi plane fuerint necessariae. Sed quanquam juvenis aliquot Lysiae locos verissime emendavi: mea tamen studia tam juvenilia cum eis quae paullo post vidimus minime comparanda sunt. Nam post Bekkerum doctissimi critici et longe subtilissimi magno numero in Lysia restituendo felicissime elaborarunt. Adeo omnia fere, quae quidem faciliore negotio corrigi queant, nobis hodie videmus praerepta esse. Inprimis enim supersunt aut tales loci, qui certo emendari non possint, velut mutili et lacunosi, aut qui aliis de causis incertam correctionem habeant saneque ambiguam. Utcunque erit, juvabit tamen Lysiae orationibus me quoque consulere pro virili parte studuisse. Etenim ut haud multum ipse proficiam, saltem e pluribus aliorum conjecturis optimam quamque potero seligere: qua laude contentum esse oportet, si quis nulla alia re literis prodesse nostris potuerit. Nimirum in Lysia quasi ad epulas et patinas, ad largas conjectorum struices invitati sumus: ut illud Flacci verissimum sit, „Tres mihi convivae prope dissentire videntur, Poscentes vario multum diversa palato.“ Huc accedit, quod Lysiae orationem duodecimam ab me recensitam nuper edidi: quae opella ab criticis egregiis tam benevole excepta est, ut mihi in his studiis pergenti animum addidisse videantur. Unum tamen deprecor, ne hic multum ab nobis agi potuisse arbitrentur, sed nihil aliud nisi subseciva tempora et ea Luciano surrepta tribui Lysiae potuisse. Sed audaciam meam A. Seidler, vir acutissimus et idem modestissimus excusabit, qui recte negat sperni solere, si quis ad pristinum scriptoris graeci nitorem restituendum vel exiguam situs particulam absterserit. Volueram autem de locis aliquot oratoris nostri lacunosis hic disserere: nisi otium ad omnia bene componenda necessarium me deficeret. Animadverti enim in scriptoribus antiquis ad lacunas parvas agnoscendum criticos nescio quo modo tardiores esse. Et in Lysia quidem res ita ante oculos sita est, ut non nunquam hoc vitiorum genus neminem unum latuerit. De aliis tamen ejusdem locis, quos tractare statueram, in utramque partem disputari videmus. Quanquam non ignoro, esse qui de magna lacunarum multitudine ne in Lysia quidem ullo modo dubitarint. Satis est unum nominasse P. Dobraeum, qui (in Adversar. T. I P. I. p. 221) de Or. XIII haec habet: „Oratio luculenta, sed glossis scatens, et hic ibi lacunosa, ut sunt reliquae.“ Quod ad me attinet, quo modo in universum de lacunis judicem, in editione Luciani (Vol. III P. I Praefat. p. VI.) satis ostendi. Quo quidem in loco cum uno mihi res est Luciano: de aliis autem scriptoribus veluti de Lysia ibi sciens prudensque tacui. Ampliores vero lacunae vix unquam latere possunt, ut in nostra oratione § 72. Hic quidnam in eis quae exciderunt dictum fuerit, quum e Lysia perspicere licet, tum e decreto, quod § 71 verbo tantum memoratur, sed ex parte servatum esse in Ussingii Inscript. Graec. no. 56 Bergkius noster vidit literis *ΚΑΙΑΓΟΡΑΤΟ* (i. e. *καὶ Ἀγόρατον*) ad nostrum Agoratum

optime revocatis. Ergo hoc Lysias dixerat, Agoratum et quosdam alios, quum se in Phrynichi caede patranda dixissent adjutores fuisse frustra id studuisse, ut ipsi quoque cum Thrasybulo et Apollodoro civitate donarentur. Hic igitur complura deesse primus animadvertit Taylorus, quem Bekker, Bremius, Foertschius, Scheibius, Cobetus, Rauchensteinius bene sequuti sunt. Omnes tamen in eo falli videntur, quod signa lacunae post *Ἀθηναῖον πεποιημένον* ponere non dubitant, quae potius ante has ipsas voces erant ponenda. Nam quum verbum *ἔδει* non patiatur sequi participium, sed poscat infinitivum et eum (ut aoristus est in protasi *ἀπέκτεινε*) aoristi: verisimile est, prima quae exciderunt verba fuisse haec: *Ἀθηναῖον γραφῆναι.* (non sine puncto). Extrema autem lacunae verba forsitan haec vel similia quaedam fuerint: *(ἀλλ' ὅμως οὐδένα αὐτῶν ἴσμεν) Ἀθηναῖον πεποιημένον.* Quod igitur et in primis quae exciderunt verbis et in primis quae post lacunam adhuc servata sunt, de eadem re i. e. de civitate attica agebatur: id viros doctos nuper fefellit, sicut olim librarium fefellerat, cujus oculus ab voce *Ἀθηναῖον* ad eandem *Ἀθηναῖον* aberraverat, ex quo ipso nata est lacuna. Quae quum ita sint, § 72 signa defectus ita potius constituenda sunt: *Καίτοι εἴπερ ἀπέκτεινε Φρύνιχον, ἔδει αὐτὸν ἐν τῇ αὐτῇ στήλῃ, ἵναπερ Θρασύβουλον καὶ Ἀπολλόδωρον . . . . Ἀθηναῖον πεποιημένον. τὰ μέντοι ὀνόματα διαπράττονται.* — Glossematis autem hasce orationes plenas esse nemo ignorat. Quo magis cavendum est, ne iis locis quorum vitia aliter sananda sunt, ipsius Lysiae verba temere deleantur. Veluti XIII, 61 Dobraeus p. 224 octo verba *καὶ Ξενοφῶν — Θάσιος* quasi ex § 54 male repetita delebat, hoc est sana verba delebat, mendosa autem ne attingebat quidem. Verba ipsa haec sunt: *ἐκεῖνος μὲν τοίνυν καὶ ὑπὸ σοῦ ἀπολλύμενος τοιουτοσὶ ἐγένετο, καὶ Ξενοφῶν ὁ στρεβλωθεὶς καὶ Ἱππίας ὁ Θάσιος· σὺ δ' οὐδὲν* —. Hoc vult, imitandum fuisse Aristophanem, imitandos Xenophontem et Hippiam: quibus omnibus Agorati scelera multo gravius et melius opponuntur, quam uni Aristophani. Nam sic demum adparet non unum sed tres viros pro aliorum salute vitam profudisse. Quid, quod Hippias commode hic iterum nominatur, Xenophon autem necessario, qui ut peregrinus etiam tortus erat. Contra Aristophanes etsi ipse quoque peregrinus videbatur, nulla ille quidem senserat tormenta, attamen nihil propius factum erat, quam ut ipse quoque torqueretur eculeo. Haec quum verbis proximis insint, quo modo tandem verba *καὶ Ξενοφῶν ὁ στρεβλωθείς* delere licet? Immo quum Kayser pro verbis corruptis *καὶ ὑπὸ σοῦ ἀπολλύμενος* praeclare rescripsit *ὁ ὑπὸ σοῦ ἀπολόμενος,* tum ego pro verbis *τοιουτοσὶ ἐγένετο* jure mihi videor *τοιοῦτος ἐγένετο οἷος* supplevisse. Quare ita scribendum est: *ἐκεῖνος μὲν τοίνυν ὁ ὑπὸ σοῦ ἀπολόμενος τοιοῦτος ἐγένετο οἷος καὶ Ξενοφῶν ὁ στρεβλωθεὶς καὶ Ἱππίας ὁ Θάσιος· σὺ δ' οὐδὲν* —. Similis ratio est loci longioris, in quo duas paragraphos 65 init. — 66 fin. quasi ab interpolatore profectas Hamaker delebat. At iste error jam ab H. Sauppio optime refutatus est quum aliis argumentis tum eo maxime, quod verbis § 66 his: *ἐλήφθη μοιχός — καὶ τούτου θάνατος ἡ ζημία ἐστί* temere deletis verba paullo inferiora § 69: *ὧν ἑκάστου ἁμαρτήματος ἐν τοῖς νόμοις θάνατος ἡ ζημία ἐστίν* ne intelligere quidem liceret. Nam § 65 vitium *ὤφλησεν* minime favet Hamakero, quod ab H. Sauppio in ed. Turic. p. 101 recte in *ὦφλεν* mutatum est, ut aliae ejusmodi mendae plurimae ab C. G. Cobeto sublatae sunt, qui ad talia diligenter attendere solet. Quisquis enim Lysiae codicem scripsit archetypum, homo fuit hellenismi bene intelligens, sed idem parum gnarus atticismi. Transeo nunc ad ipsum Lysiam, scriptorem multorum studiis tam saepe tamque luculente correctum. Atque ut modo duodecimam orationem edidi nullis instructam commentariis: ita nunc proximam quoque nudam projicio atque inermem.

XIII.

ΛΥΣΙΟΥ
ΚΑΤΑ ΑΓΟΡΑΤΟΥ.

1 Προσήκει μέν, ὦ ἄνδρες δικασταί, πᾶσιν ὑμῖν τιμωρεῖν ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν, οἳ
ἀπέθανον εὖνοι ὄντες τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ, προσήκει δὲ κἀμοὶ οὐχ ἥκιστα· κηδεστὴς
γάρ μοι ἦν Διονυσόδωρος καὶ ἀνεψιός. τυγχάνει οὖν ἐμοὶ ἡ αὐτὴ ἔχθρα πρὸς Ἀγόρατον
τουτονὶ καὶ τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ ὑπάρχουσα· ἔπραξε γὰρ οὗτος τοιαῦτα, δι' ἃ ὑπ'
2 ἐμοῦ νυνὶ εἰκότως μισεῖται ὑπό τε ὑμῶν, ἂν θεὸς θέλῃ, δικαίως τιμωρηθήσεται. Διονυ-
σόδωρον γὰρ τὸν κηδεστὴν τὸν ἐμὸν καὶ ἑτέρους πολλούς, ὧν δὴ τὰ ὀνόματα ἀκούσεσθε,
ἄνδρας ὄντας ἀγαθοὺς περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἀπέκτεινε,
μηνυτὴς κατ' ἐκείνων γενόμενος. ποιήσας δὲ ταῦτα ἐμὲ μὲν ἰδίᾳ καὶ ἕκαστον τῶν
προσηκόντων μεγάλα ἐζημίωσε, τὴν δὲ πόλιν κοινῇ πᾶσαν τοιούτων ἀνδρῶν ἀποστερήσας
3 οὐ μικρά, ὡς ἐγὼ νομίζω, ἔβλαψεν. ἐγὼ οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταί, δίκαιον καὶ ὅσιον
ἡγοῦμαι εἶναι καὶ ἐμοὶ καὶ ὑμῖν ἅπασι τιμωρεῖσθαι καθ' ὅσον ἕκαστος δύναται· καὶ
4 ποιοῦσι ταῦτα νομίζω ἡμῖν καὶ παρὰ θεῶν καὶ παρ' ἀνθρώπων ἄμεινον ἂν γίγνεσθαι.
δεῖ δ' ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐξ ἀρχῆς τῶν πραγμάτων ἁπάντων ἀκοῦσαι, ἵν' εἰδῆτε
πρῶτον μέν, ᾧ τρόπῳ ὑμῖν ἡ δημοκρατία κατελύθη καὶ ὑφ' ὅτου, ἔπειτα, ᾧ τρόπῳ οἱ
ἄνδρες ὑπ' Ἀγοράτου ἀπέθανον, καὶ δὴ ὅ τι ἀποθνήσκειν μέλλοντες ἐπέσκηψαν· ἅπαντα
γὰρ ταῦτα ἀκριβῶς ἂν μαθόντες ἥδιον καὶ ὁσιώτερον Ἀγοράτου τουτουῒ καταψηφίζοισθε.
ὅθεν οὖν ἡμεῖς τε ῥᾷστα διδάξομεν καὶ ὑμεῖς μαθήσεσθε, ἐντεῦθεν ὑμῖν ἄρξομαι διη-
5 γεῖσθαι. Ἐπειδὴ γὰρ αἱ νῆες αἱ ὑμέτεραι διεφθάρησαν καὶ τὰ πράγματα ἐν τῇ πόλει
ἀσθενέστερα ἐγεγένητο, οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον αἵ τε νῆες αἱ Λακεδαιμονίων ἐπὶ τὸν
6 Πειραιᾶ ἀφικνοῦνται καὶ ἅμα λόγοι πρὸς Λακεδαιμονίους περὶ τῆς εἰρήνης ἐγίγνοντο. ἐν
δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ οἱ βουλόμενοι νεώτερα πράγματα ἐν τῇ πόλει γίγνεσθαι ἐπεβούλευον,
νομίζοντες κάλλιστον καιρὸν εἰληφέναι καὶ μάλιστα ἐν τῷ τότε χρόνῳ τὰ πράγματα ὡς
7 αὐτοὶ ἠβούλοντο καταστήσεσθαι. ἡγοῦντο δὲ οὐδὲν ἄλλο σφίσιν ἐμποδὼν εἶναι ἢ τοὺς
τοῦ δήμου προεστηκότας καὶ τοὺς στρατηγοῦντας καὶ ταξιαρχοῦντας. τούτους οὖν ἐβού-
λοντο ἁμωσγέπως ἐκποδὼν ποιήσασθαι, ἵνα ῥᾳδίως ἃ βούλοιντο διαπράττοιντο. πρῶτον
8 μὲν οὖν Κλεοφῶντι ἐπέθεντο ἐκ τρόπου τοιούτου. ὅτε γὰρ ἡ πρώτη ἐκκλησία περὶ τῆς
εἰρήνης ἐγίγνετο, καὶ οἱ παρὰ Λακεδαιμονίων ἥκοντες ἔλεγον ἐφ' οἷς ἕτοιμοι εἶεν τὴν
εἰρήνην ποιεῖσθαι Λακεδαιμόνιοι, εἰ κατασκαφείη τῶν τειχῶν τῶν μακρῶν ἐπὶ δέκα στά-
δια ἑκατέρου, τότε ὑμεῖς τε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐκ ἠνέσχεσθε ἀκούσαντες περὶ τῶν
τειχῶν τῆς κατασκαφῆς, Κλεοφῶν τε ὑπὲρ ὑμῶν πάντων ἀναστὰς ἀντεῖπεν ὡς οὐδενὶ
9 τρόπῳ οἷόν τε εἴη ποιεῖν ταῦτα. μετὰ δὲ ταῦτα Θηραμένης, ἐπιβουλεύων τῷ πλήθει τῷ
ὑμετέρῳ, ἀναστὰς λέγει ὅτι, ἐὰν αὐτὸν ἕλησθε περὶ τῆς εἰρήνης πρεσβευτὴν αὐτοκράτορα,
ποιήσει, ὥστε μήτε τῶν τειχῶν διελεῖν μήτε ἄλλο τὴν πόλιν ἐλαττῶσαι μηδέν· οἴοιτο
10 δὲ καὶ ἄλλο τι ἀγαθὸν παρὰ Λακεδαιμονίων τῇ πόλει εὑρήσεσθαι. πεισθέντες δὲ ὑμεῖς
εἵλεσθε ἐκεῖνον πρεσβευτὴν αὐτοκράτορα, ὃν τῷ προτέρῳ ἔτει στρατηγὸν χειροτονηθέντα
11 ἀπεδοκιμάσατε, οὐ νομίζοντες εὔνουν εἶναι τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ. ἐκεῖνος μὲν οὖν
ἐλθὼν εἰς Λακεδαίμονα ἔμεινεν ἐκεῖ πολὺν χρόνον, καταλιπὼν ὑμᾶς πολιορκουμένους, εἰδὼς

τὸ ὑμέτερον πλῆθος ἐν ἀπορίᾳ ἐχόμενον καὶ διὰ τὸν πόλεμον καὶ τὰ κακὰ τοὺς πολλοὺς
τῶν ἐπιτηδείων ἐνδεεῖς ὄντας, νομίζων, εἰ διαθείη ὑμᾶς, ὥσπερ διέθηκεν, ἀσμένως
ὁποιαντινοῦν ἐθελῆσαι ἂν εἰρήνην ποιήσασθαι. οἱ δ' ἐνθάδε ὑπομένοντες καὶ ἐπιβου- 12
λεύοντες καταλῦσαι τὴν δημοκρατίαν εἰς ἀγῶνα Κλεοφῶντα καθιστᾶσι, πρόφασιν μὲν ὅτι
οὐκ ἦλθεν εἰς τὰ ὅπλα ἀναπαυσόμενος, τὸ δ' ἀληθὲς ὅτι ἀντεῖπεν ὑπὲρ ὑμῶν μὴ κα-
θαιρεῖν τὰ τείχη. ἐκείνῳ μὲν οὖν δικαστήριον παρασκευάσαντες καὶ εἰσελθόντες οἱ βου-
λόμενοι ὀλιγαρχίαν καταστήσασθαι ἀπέκτειναν ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ. Θηραμένης δὲ 13
ὕστερον ἀφικνεῖται ἐκ Λακεδαίμονος. προσιόντες δ' αὐτῷ τῶν τε στρατηγῶν τινὲς καὶ
τῶν ταξιάρχων, ὧν ἦν Στρομβιχίδης καὶ Διονυσόδωρος, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν πολιτῶν
εὐνοοῦντες ὑμῖν, ὥς γ' ἐδήλωσαν ὕστερον, ἠγανάκτουν σφόδρα. ἦλθε γὰρ φέρων εἰρήνην
τοιαύτην, ἣν ἡμεῖς ἔργῳ μαθόντες ἔγνωμεν· πολλοὺς γὰρ τῶν πολιτῶν καὶ ἀγαθοὺς
ἀπωλέσαμεν καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἐξηλάθημεν. ἦν γὰρ ἀντὶ μὲν τοῦ ἐπὶ δέκα 14
στάδια τῶν μακρῶν τειχῶν διελεῖν ὅλα τὰ μακρὰ τείχη κατασκάψαι, ἀντὶ δὲ τοῦ ἄλλο τι
ἀγαθὸν τῇ πόλει εὑρέσθαι τάς τε ναῦς παραδοῦναι τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ τὸ περὶ τὸν
Πειραιᾶ τεῖχος περιελεῖν. ὁρῶντες δὲ οὗτοι οἱ ἄνδρες ὀνόματι μὲν εἰρήνην λεγομένην, 15
τῷ δ' ἔργῳ τὴν δημοκρατίαν καταλυομένην, οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψειν ταῦτα γενέσθαι· οὐκ
ἐλεοῦντες, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὰ τείχη, εἰ πεσεῖται, οὐδὲ κηδόμενοι τῶν νεῶν, εἰ Λακε-
δαιμονίοις παραδοθήσονται, (οὐδὲν γὰρ αὐτοῖς τούτων πλέον ἢ ὑμῶν ἑκάστῳ προσῆκεν), 16
ἀλλ' αἰσθόμενοι ἐκ τοῦ τρόπου τούτου τὸ ὑμέτερον πλῆθος καταλυθησόμενον, οὐδ' (ὥς
φασί τινες) οὐκ ἐπιθυμοῦντες εἰρήνην γίγνεσθαι, ἀλλὰ βουλόμενοι βελτίω ταύτης εἰρήνην
τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ποιήσασθαι. ἐνόμιζον δὲ δυνήσεσθαι, καὶ ἔπραξαν ἂν ταῦτα,
εἰ μὴ ὑπ' Ἀγοράτου τουτουῒ ἀπώλοντο. γνοὺς δὲ ταῦτα Θηραμένης καὶ οἱ ἄλλοι οἱ 17
ἐπιβουλεύοντες ὑμῖν, ὅτι εἰσί τινες οἳ κωλύσουσι τὸν δῆμον καταλυθῆναι καὶ ἐναντιώ-
σονται περὶ τῆς ἐλευθερίας, εἵλοντο, πρὶν τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης γενέσθαι,
τούτους πρῶτον εἰς διαβολὰς καὶ κινδύνους καταστῆσαι, ἵνα μηδεὶς ἐκεῖ ὑπὲρ τοῦ ὑμε-
τέρου πλήθους ἀντιλέγοι. ἐπιβουλὴν οὖν τοιαύτην ἐπιβουλεύουσι. πείθουσι γὰρ Ἀγό- 18
ρατον τουτονὶ μηνυτὴν κατὰ τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν ταξιάρχων γενέσθαι, οὐ ξυνειδότα
ἐκείνοις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐδέν· (οὐ γὰρ δήπου ἐκεῖνοι οὕτως ἀνόητοι ἦσαν καὶ
ἄφιλοι, ὥστε περὶ τηλικούτων ἂν πραγμάτων πράττοντες Ἀγόρατον ὡς πιστὸν καὶ εὔνουν,
δοῦλον καὶ ἐκ δούλων ὄντα, παρεκάλεσαν) ἀλλ' ἐδόκει αὐτοῖς οὗτος ἐπιτήδειος εἶναι μη-
νυτής. ἐβούλοντο οὖν ἄκοντα δοκεῖν αὐτὸν καὶ μὴ ἑκόντα μηνύειν, ὅπως πιστότερος 19
ὑμῖν εἶναι φαίνοιτο. ὡς δὲ ἑκὼν ἐμήνυσε, καὶ ὑμᾶς οἶμαι ἐκ τῶν πεπραγμένων αἰσθή-
σεσθαι. ἐσπέμπουσι γὰρ εἰς τὴν βουλὴν τὴν πρὸ τῶν τριάκοντα βουλεύουσαν Θεόκριτον
τὸν τοῦ Ἐλαφοστίκτου καλούμενον· ὁ δὲ Θεόκριτος οὗτος ἑταῖρος ἦν τῷ Ἀγοράτῳ καὶ
ἐπιτήδειος. ἡ δὲ βουλὴ διέφθαρτο καὶ ὀλιγαρχίας ἐπεθύμει, ὡς ἴστε, μάλιστα. τεκμήριον 20
δέ· οἱ γὰρ πολλοὶ οἱ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς τὴν ὑστέραν βουλὴν τὴν ἐπὶ τῶν τριάκοντα
ἐβούλευον. τοῦ δ' ἕνεκα ταῦτα λέγω ὑμῖν; ἵν' εἰδῆτε ὅτι τὰ ψηφίσματα τὰ ἐξ ἐκείνης
τῆς βουλῆς οὐκ ἐπ' εὐνοίᾳ τῇ ὑμετέρᾳ, ἀλλ' ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου τοῦ ὑμετέρου
ἅπαντα ἐλέγετο, καὶ ὡς τοιούτοις οὖσιν αὐτοῖς τὸν νοῦν προσέχητε. εἰσελθὼν δὲ εἰς 21
ταύτην τὴν βουλὴν ἐν ἀπορρήτῳ Θεόκριτος μηνύει ὅτι συλλέγονταί τινες ἐναντιωσόμενοι
τοῖς τότε καθισταμένοις πράγμασι. τὰ μὲν οὖν ὀνόματα οὐκ ἔφη αὐτῶν ἐρεῖν καθ'
ἕκαστον· ὅρκους τε γὰρ ὀμωμοκέναι τοὺς αὐτοὺς ἐκείνοις, καὶ εἶναι ἑτέρους οἳ ἐροῦσι τὰ
ὀνόματα, αὐτὸς δὲ οὐκ ἄν ποτε ποιῆσαι ταῦτα. καίτοι εἰ μὴ ἐκ παρασκευῆς ἐμηνύετο, 22
πῶς οὐκ ἂν ἠνάγκασεν ἡ βουλὴ εἰπεῖν τὰ ὀνόματα Θεόκριτον καὶ μὴ ἀνώνυμον τὴν
μήνυσιν ποιήσασθαι; νυνὶ δὲ τοῦτο τὸ ψήφισμα ψηφίζεται.

ΨΗΦΙΣΜΑ.

23 Ἐπειδὴ τοίνυν τοῦτο τὸ ψήφισμα ἐψηφίσθη, κατέρχονται ἐπὶ τὸν Ἀγόρατον εἰς
τὸν Πειραιᾶ οἱ αἱρεθέντες τῶν βουλευτῶν, καὶ περιτυχόντες αὐτῷ ἐν ἀγορᾷ ἐζήτουν ἄγειν.
παραγενόμενοι δὲ Νικίας καὶ Νικομένης καὶ ἄλλοι τινές, ὁρῶντες τὰ πράγματα οὐχ οἷα
βέλτιστα ἐν τῇ πόλει ὄντα, ἄγειν μὲν τὸν Ἀγόρατον οὐκ ἔφασαν προήσεσθαι, ἀφῃροῦντο·
24 δὲ καὶ ἠγγυῶντο καὶ ὡμολόγουν παρέξειν εἰς τὴν βουλήν. γραψάμενοι δὲ οἱ βουλευταὶ
τὰ ὀνόματα τῶν ἐγγυωμένων καὶ κωλυόντων, ἀπιόντες ᾤχοντο εἰς τὸ ἄστυ. ὁ δὲ Ἀγό-
ρατος καὶ οἱ ἐγγυηταὶ καθίζουσιν ἐπὶ τὸν βωμὸν Μουνυχίασιν· ἐπειδὴ δὲ ἐκάθισαν,
ἐβουλεύοντο τί χρὴ ποιεῖν. ἐδόκει οὖν τοῖς ἐγγυηταῖς καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἐκποδὼν
25 ποιήσασθαι τὸν Ἀγόρατον ὡς τάχιστα. καὶ παρορμίσαντες δύο πλοῖα Μουνυχίασιν
ἐδέοντο αὐτοῦ παντὶ τρόπῳ ἀπελθεῖν Ἀθήνηθεν, καὶ αὐτοὶ ἔφασαν συνεκπλευσεῖσθαι,
ἕως τὰ πράγματα κατασταίη, λέγοντες ὅτι, εἰ κομισθείη εἰς τὴν βουλήν, βασανιζόμενος
ἴσως ἀναγκασθήσεται ὀνόματα εἰπεῖν Ἀθηναίων ὧν ἂν ὑποβάλωσιν οἱ βουλόμενοι κακόν
26 τι ἐν τῇ πόλει ἐργάζεσθαι. ταῦτα ἐκείνων δεομένων καὶ παρασκευασάντων πλοῖα καὶ
αὐτῶν ἑτοίμων ὄντων συνεκπλεῖν, οὐκ ἠθέλησε πείθεσθαι αὐτοῖς Ἀγόρατος οὑτοσί. καίτοι,
ὦ Ἀγόρατε, εἰ μή τί σοι ἦν παρεσκευασμένον καὶ ἐπίστευες μηδὲν κακὸν πείσεσθαι, πῶς
οὐκ ἂν ᾤχου καὶ πλοίων παρεσκευασμένων καὶ τῶν ἐγγυητῶν ἑτοίμων ὄντων σοι συνεκ-
27 πλεῖν; ἔτι γὰρ οἷόν τέ σοι ἦν καὶ οὔπω ἡ βουλή σου ἐκράτει. ἀλλὰ μὲν δὴ οὐχ ὅμοια
σοί τε καὶ ἐκείνοις ὑπῆρχε. πρῶτον μέν γε Ἀθηναῖοι ἦσαν, ὥστε οὐκ ἐδέδισαν βασανι-
σθῆναι· ἔπειτα πατρίδα σφετέραν αὐτῶν καταλιπόντες ἕτοιμοι ἦσαν συνεκπλεῖν μετὰ
σοῦ, ἡγησάμενοι ταῦτα μᾶλλον λυσιτελεῖν ἢ τῶν πολιτῶν πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ὑπὸ σοῦ
ἀδίκως ἀπολέσθαι. σοὶ δὲ πρῶτον μὲν κίνδυνος ἦν βασανισθῆναι ὑπομείναντι, ἔπειτα
28 οὐ πατρίδα ἂν σαυτοῦ κατέλιπες· ὥστ᾽ ἐκ παντὸς τρόπου σοὶ μᾶλλον ἢ ἐκείνοις ἐκπλεῦσαι
συνέφερεν, εἰ μή τι ἦν ᾧ ἐπίστευες. νῦν δὲ ἄκων μὲν προσποιῇ, ἑκὼν δὲ πολλοὺς καὶ
ἀγαθοὺς Ἀθηναίων ἀπέκτεινας. (Continuabitur.)

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim ternis diebus, Lunae, Martis et Mercurii, h. IX. encyclopaediam et methodologiam theologicam tradet; 2) privatim quinis diebus h. X et binis diebus, Jovis et Veneris, h. IX theologiam dogmaticam docebit; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim quinis diebus h. III epistolam ad Hebraeos interpretabitur; 2) privatim quinis diebus h. IV Pauli ad Corinthios epistolam primam, et 3) publice die Saturni h. III et h. IV Pauli ad Corinthios epistolam alteram explicabit.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Dec., I) privatim 1) introductionem historicam et criticam in V. T. tradet, quinquies p. h. hora XII; 2) Psalmos interpretabitur, quinis p. h. scholis hora XI; II) publice grammaticam linguae Syriacae, duce Fr. Uhlemanni libro, adumbrabit, binis p. h. horis defin.; III) privatissime sed gratis in conversatorio exegetico Cantica, quae in V. Ti. libris historicis traduntur, explicanda proponet, die Veneris h. VI—VIII vesp.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies p. h. h. VIII, 2) privatim historiam dogmatum quinquies p. h. h. XII tradet, et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

In ordine juridico.

D. Otto Mejer, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum docebit quinquies p. h. h. XI; 2) encyclopaediam juris quinquies h. c.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., h. t. Dec., 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. X, et 2) doctrinam de hereditatibus quinis scholis docebit h. XII; 3) collegium quod vocant civile practicum instituet die Saturni hh. III—V.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) jus Germanicum privatum docebit quinquies p. h. h. XII; 2) jus civile Mecklenburgicum particulare tradet ter p. h. h. IV; 3) jus feudale tam commune quam Mecklenburgicum exponet ter p. h. h. IV.

D. Carolus Dugge, P. P. O., 1) processum civilem tam communem quam Mecklenburgicum particularem docebit quinquies hh. IX—XI; 2) practicum quod vocant processus civilis moderabitur hh. cc.

D. Augustus Thon, P. P. O., 1) pandectarum partem II (de obligationibus nec non de jure personarum) docebit senis p. h. scholis h. IX; 2) institutiones juris Romani tradet quinis p. h. scholis h. XI; 3) exercitationes exegeticas moderabitur diebus Martis et Veneris h. V.

In ordine medico.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem quaternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret hh. definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.

D. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) publice embryologiam diebus Mercurii et Saturni h. III—IV docebit; 3) privatim physiologiae partem priorem (functiones animales) quotidie h. IX—X; 4) privatim omnium ordinum commilitonibus Hygieinen tradet diebus Martis et Veneris h. V—VI.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—II; 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

D. Franciscus Koenig, P. P. O., h. t. Dec., 1) chirurgiam generalem docebit quinis diebus; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis, Saturni h. XI—I moderabitur.

D Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur h. VIII; 2) mulierum morbos ternis horis p. h., 3) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.

D. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) osteologiam et syndesmologiam dd. Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X; 2) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. h. XII—I docebit; 3) anatomiam topographicam trunci c. h. ter p. h. tradet; 4) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. X—XII, 5) exercitationes microscopicas ter p. h. moderabitur.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) artem obstetriciam docebit ternis p. h. horis; 2) de morbis mulierum disseret quaternis p. h. horis; 3) cursum operationum quae in arte obstetricia adhibentur moderabitur bis p. h.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI Platonis Convivium explicabit; 2) binis diebus h. XI Terenti Adelphos interpretabitur; 3) binis diebus h. II de linguae graecae dialectis inprimis de atticismo exponet. Publice exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Sophoclis Electra et Horati epistola ad Pisones tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit: 1) familias plantarum naturales, demonstrationibus vegetabilium medicinalium illustrandas, ternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI; 3) anatomen et physiologiam vegetabilium, binis diebus h. X.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) quinquies p. h. culturam silvarum docebit h. XI; 2) de praedio rite administrando exponet, quinis diebus h. III.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) Callimachi hymnos et epigrammata ter p. h., 2) Apollonii Rhodii Argonautica ter p. h. interpretabitur. Privatissime quater p. h. de artis operibus, quae in Pausaniae descriptione Graeciae commemorantur disputabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., h. t. Rector, docebit publice: astronomiam popularem, bis p. h.; privatim: 1) calculum differentialem quater p. h.; 2) mineralogiam quater p. h. horis definiendis.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit 1) administrationem publicam ac politiam, senis p. h. horis, h. IX; 2) statisticen, quaternis p. h. horis, h. X.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam saeculi XVII et XVIII narrabit quinis diebus h. XII; 2) publice de Gallorum seditione a. 1789 exorta disseret binis diebus h. XI; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet ternis diebus.

D. Henricus de Stein, P. P. O., h. t. Dec., 1) religionis philosophiam ter p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. V—VI docebit; 2) historiam philosophiae antiquae quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. IV—V; 3) historiam paedagogices inde ab renatis literis usque ad hodiernum tempus ter p. h. diebus Jovis, Veneris, Saturni h. V—VI tradet.

D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., privatim 1) historiam literarum germanicarum antiquiorum tradet ter p. h. h. X—XI; 2) linguam Provincialem medii aevi docebit simulque carmina selecta interpretabitur ex libro Caroli Bartschii „Provenzalisches Lesebuch“ bis p. h. h. IX—X; 3) privatissime sed gratis: conversationes cum sodalibus instituet de dialectis linguae theodiscae, praesertim de sermone Megapolitano semel p. h. h. X—XI; 4) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo poema „diu klage“ dictum tractabitur.

D. Arminius Comes Lippe, P. P. O., privatim 1) de augenda animalium prole disseret bis p. h.; 2) de fundis emendandis exponet bis p. h.; 3) conversatorium habebit quater p. h.; 4) publice agri bene colendi doctrinam universalem tradet bis p. h.

D. Henricus Grenacher, P. P. O. des., zoologiam tradet quinquies p. h.

D. Carolus Weinholtz, privatim 1) introductionem in artem philosophandi tradet; 2) ideismi practici lineamenta ex systemate suo docebit; 3) linguae originem organicam et evolutionem pneumaticam exponet, spectabitque libellum suum: „Zur Erklärung des Ursprungs" etc. (Lips. 1854) nec non libellum suum: „Die organische Sprechschrift" etc. (Rost. 1860).

D. Julius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas habebit; 2) privatim historiam literarum francogallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae disseret bis p. h.

D. Ferdinandus de Roda, in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater p. h.

D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, 1) privatim vaticinia prophetarum Hoseae, Jonae, Habacuci ter p. h. h. XI explicabit; 2) privatim prophetarum Targumim (ed. de Lagarde) bis p. h. interpretabitur; 3) privatim grammaticam linguae arabicae non sine explicatione Chrestomathiae ed. Arnold bis p. h. tradet; 4) privatim elementa linguae sanscriticae una cum Hitopadeçae explicatione bis p. h. docebit; 5) gratis societatem habebit grammaticam in qua interpretationi prophetarum Nahumi et Zephaniae bis p. h. praeerit.

D. Octavius Clason, 1) privatim politicen quam vocant Romanorum et internam rei publicae historiam (antiquitates) quaternis horis, 2) privatim literarum Graecarum inde ab initio historiam quaternis horis, 3) publice Sallustii Catilinam adhibito codice Academiae Rostochiensis Sallustiano binis horis exponet; 4) privatissime et gratis exercitationes criticas moderari binis horis perget.

D. Theodorus Huebener, privatim 1) chemiam organicam tradet quaternis diebus p. h.; 2) eos qui arti agriculturae student introducet in elementa chemiae agriculturae quater p. h.; 3) physicen quoad ad agriculturam pertinet docebit bis p. h.; 4) exercitationes chemicas moderabitur, vel diebus Martis et Veneris h. III—VII, vel quotidie omnibus horis commodis.

Bibliotheca Academica extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis et praeterea quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I. **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hermannus Karsten, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **Joannes Bachmann,** Th. D.
Jurisconsultorum **Hermannus Schwanert,** J. U. D.
Medicorum **Franciscus Koenig,** M. D.
Philosophorum **Henricus de Stein,** Ph. D.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXIV—LXXV

INDE AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

ADVERSARIORUM

PARTEM DUODECIMAM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Adversaria.

§ 13.
De numeris dochmiacis.
Particula II.

Quum de dochmiis scribere coeperim, silentio transire nequeo chorum his maxime numeris constantem virginum Thebanarum, quae in Aeschyli tragoedia *ΕΠΤΑ ΕΠΙ ΘΗΒΑΣ* agunt parodum v. 78—162 ed. Herm. Sed quaecunque de hoc chori carmine unquam scripta sunt, hic omnia complecti longum videtur: libelli enim materia est, non dissertationis. Itaque ea certe, quae infeliciter et inepte dicta sunt, sciens omittam, ut meros errores Bothii, Wellaueri et Hauptii Luccaviensis. Ante omnia quaeritur, utrum ille chorus antistrophos habuerit, an eis careat. De antistrophica hujus parodi responsione prorsus recte unus judicavit C. Lachmannus, secundum quem G. Hermannus a vero proxime afuit. Nam quum nemo antea strophas hic sibi putasset quaerendas esse: tandem G. Hermannus juvenis in l. De Metris p. 253 primus docuit versus 151—156 stropham et v. 157—162 ejus esse antistrophum, id quod mox omnes (in his Dindorfius) secuti sunt. Tum bene vidit Burneius apud Blomfieldum, qui ei adsensus est, aliam stropham esse v. 135—142 ejusque antistrophum v. 143—150. Id quoque mox plurimi (ut Lachmannus, Hermannus et Seidler) comprobarunt. Denique v. 110—124 item stropham esse ejusque antistrophum v. 125—134 primus animadvertit A. Seidler De VV. Dochm. p. 184, quod plerique (ut Lachmannus ut apud ipsum Seidlerum p. 181 et in editione Aeschyli Hermannus) conlaudarunt. Attamen hic v. 120—124 male pro mesodo habuit Seidlero p. 184 duce Hermannus in Aeschylo I p. 131, qui idem de mesodi usu longe aliter judicavit ad Choeph. v. 770 (II p. 555). Immo hos versus (120—124) ipsius finem strophae esse, antistrophi autem finem v. 132 sqq. lacerum et mutilum ad nos pervenisse unus optime intellexit C. Lachmannus De choricis system. p. 83 sq. Restat initium carminis v. 78—109, quam proodum esse recte vidit Hermannus ap. Seidler. p. 181 et in edit. Aeschyli, viderunt alii in eis Lachmannus l. l. p. 82. Sed male proodum quoque in antistrophica coëgit Seidler l. l. p. 182—184, quem nonnulli velut Hartungius in ed. p. 44 temere secuti sunt. Seidlerum enim in alia omnia abeuntem De VV. D. p. 189—192 fugerat tantum abesse, ut formae dochmiorum plane diversae apud Aeschylum unquam sibi respondere possint, ut strophae dochmii cum antistrophicis in Aeschylo summa cura exaequentur: de qua re in Quaestt. Metricis Spec. V p. 1 pluribus disserui. Ceterum saepe accidit, ut capta jam urbe ipsa tamen arx perdiu defenderetur, velut Tarenti. Hinc nemo mirabitur locum scenae aream fuisse arcis Cadmeae, quo virgines chori confugiunt (v. 172 et v. 223). Et ab initio quidem chorus tam ingenti terrore perculsus est, ut nihil loci esse possit antistrophis (v. 78 sqq.). Sed ubi primum supplicatio incipit (v. 110 sqq.), ibidem incipiunt strophae et ad finem usque totius chori (v. 162) retinentur. Adeo precibus faciendis virginum trepidatio magis magisque sedatur tandemque v. 246 ab rege quoque increpitae ad quodvis fatum subeundum sese ostendunt paratas esse. Tum singulas chori personas in nostra parodo partim canere Lachmannus De chor. syst. p. 125 primus conjecit, post quem Passovius in Opusc. p. 99 sqq. eodem modo judicavit, ita ut hanc

rem in proodum v. 78—103 cadere putaret. Et in proodo quidem res patere videtur ex interrogatione v. 96 et e responso v. 99. Singulas virgines separatim canere etiam Hermannus (II p. 273) censuit, falsus ille quidem in eo, quod ab v. 78—150 singulis tribuit omnia. Recte vero idem Hermannus alibi (in Opusc. VI. 2 p. 49) de toto hoc genere judicavit et partim hoc ipso loco (II p. 274), ubi satis certum putat, ‚κατὰ ζυγὰ dispositum fuisse chorum'. (Meminisse ubique oportet Aeschylum Hermanni opus esse postumum.) Immo quum proodum (78—109) singulae cantassent, duo prima stropharum paria (v. 110—150) majores quaedam chori partes (sive ζυγὰ sive στοῖχοι) concinuerunt. Denique extremum stropharum par hemichoriis dandum esse Hermannus (I p. 132) bene perspexit. Nam in omnibus Graecorum tragoediis parodi et antistrophi habent concentum neque usquam carent hemichoriis, quibus hic in extrema demum parte locus fuit animo virginum jam magis confirmato. Sequitur, ut eorum opiniones breviter perstringam, qui de hujus chori strophis in varios inciderunt errores. Praetereo autem Bothium, qui chorum suo modo in antistrophica redigere voluit (etiam in ed. Schuetzii p. 222 sqq.), sed omnia falsa sunt praeter stropharum par paenultimum. Verum Fr. Passovius in Opusc. p. 97 etsi duo postrema stropharum paria recte post alios agnovit, tamen erravit in eo, quod primam stropham versibus 104—119 ejusque antistrophum v. 120—133 comprehendi jussit, quorum neutrum fieri posse adparet. Jam F. Ritschlius tum ille quidem juvenis ap. Passovium l. l. p. 101 sq. Seidlerum partim secutus etiam initium carminis inde ab v. 79: μεθεῖται frustra in antistrophica mutavit. Postremo G. Dindorfius hujus chori partem maximam (v. 78—150) antistrophicam fuisse jam olim negavit, ac ne postea quidem, quum hoc ipso nomine ab G. Hermanno (II p. 274) acriter reprehensus esset, ab isto errore depelli potuit. At enim in Aeschylo antistrophi tanta severitate compositae sunt, ut sententiae, verba eorumque longitudo, syllabae ipsi denique soni sibi invicem respondeant. Itaque nullis artibus effici potest, ut Aeschylea antistrophus, quum primum eruta fuerit, unquam vel ad tempus occultetur vel plane obruatur. Immo vir egregius nihil aliud nisi hoc unum decrevit, interdiu non lucere. Quare ademtam tibi jam faxo omnem dubitationem, ut (quantum ad stropharum responsiones pertinet) in utramvis aurem otiose liceat dormire. At enim in verbis poëtae restituendis omnino nonnihil profectum esse, multo tamen plus vani laboris consumtum videmus: de quo genere admodum discrepantes sunt criticorum sententiae. Nam Passovius l. l. p. 97 nulla omnino conjectandi violentia opus esse, sed ‚optimorum codicum' lectiones adfirmat restitui debere. Contra Dindorfio hunc chorum placuit adeo depravatum esse, ut nonnullis in locis Dindorfii potius carmen graecum legamus, quam Aeschyli chorum antistrophicum. Illud tamen eidem adsentior, perraro adhuc hujusmodi emendationem propositam esse, quae omnes notas habeat veritatis. Similiter Passovius l. l. p. 95 sibi liquere negavit, cur ab multis alia lectio alii vel anteposita sit vel posthabita et plerumque se aut nimia criticorum temeritate deterreri aut ignava quadam modestia offendi. Quid, quod fuerunt, qui inter se obtrectarent: alii non contentionibus, non rixis ac ne sannis quidem abstinuerunt. Equidem qui mihi nunc seriam rem agere videar, risum et jocum in aliud tempus malo differre. Quid autem sit, quod ne summi quidem critici nisi perraro adhuc operae pretium fecerint, nunc demum certo intelligitur. Tenendum est igitur, in Aeschylo prope omnia ad unum codicem redire Mediceum. Hujus bona conlatione Hermannus usus est T. Mommseni, item bona Ritschlius (in ed. a. 1853) C. Prienii, quarum altera alteri haud levibus in rebus saepe repugnat. Sed verissime Ritschlius in Praef. p. VIII difficillimum esse judicat talem codicem, qui complures manus expertus sit, prorsus exhaurire. Hinc neutra conlatio in choro tam corrupto potuit sufficere, sed ipsius codicis opus fuit imagine paene expressa. Hanc vero (a Petro de Furia opinor acceptam) Dindorfius demum a. 1857 evulgavit in ed. tert. Praef. p. VII sqq. Quanquam ne ex hac quidem opera tam praeclara ipsi Dindorfio eximium percipere fructum licuit. Quum enim magnam chori partem (v. 110—150) antistrophicam esse negaret: coactus est tales conjecturas excogitare, quae antistrophico versui repugnent. Ita fit, ut his in locis fere omnibus Dindorfii conjecturae non modo Hermanni (II p. 274) verum etiam ipsius Aeschyli judicio condemnatae sint. Qui si Hermannum optime monentem audire maluisset, facile hunc chorum ipse potuisset multis locis redintegrare itaque et me hac scribendi opera et alios haud dubie solus liberasset. Ceterum ne ii

quidem, qui stropharum rationes bene intelligent, nisi eidem codicibus certo uti didicerint, magnam inde capient utilitatem. Nam si codex antiquior lacunis hiasset, postea librarii non semper vacuo spatio certoque signo marginis (velut cruce) defectum indicarunt, sed saepissime dissimulato omni hiatu ea quae vere hiarent continua oratione perscripserunt, cujusmodi exempla post Cobetum Orat. De Art. Interpr. p. 66—75 ego dedi ad Lucian. III. I Proleg. p. XII et alibi. Talia exempla hic ipse chorus iterum iterumque in codice exhibet Mediceo, unum caeteris longe gravius v. 132. In hujusmodi locis critici pessime mutant verba sanissima, quae legi adhuc recte poterant ideoque recte perscripta sunt, veluti v. 110: *παντελές* et v. 132: *στόνων ἀΰτᾶς*. Ergo librarius Medicei in codice quem descripsit hic v. 78—162 nimis multa legere non potuit, sed dissimulavit modo non ubique hiatum. Haec igitur nobis (si modo fieri potuerit) supplenda sunt. Semel autem v. 83 sq. idem codicem suum vix ac ne vix quidem legere potuit. Itaque ut pueruli solent, sic ille hic literas qualescunque pinxit omni sententia vacuas. Equidem illos, qui suas conjecturas in locis dubiis sine ullo aliorum criticorum respectu ubique substituerunt, imitari nolui, sed ut ab superioribus quam plurima sumerem, curae habui: quae sic quoque fuerunt paucissima. Ita ego quoque meas recipere conjecturas saepe coactus sum: quae ubi comprobari non poterunt, quam primum cedant melioribus. Nonnunquam tamen Aeschyli manum certo mihi restituisse videor idque tum ipse professus sum. Denique supplementa, quae v. 132 nulla inserere ausus sum, etsi sententiae et metro ubique conveniunt, verbotenus tamen ipsius esse Aeschyli nemo demonstrare potest.

Restat, ut chorus ipse numeris versuum secundum Hermanni editionem computatis v. 78—162 addita etiam adnotatione critica infra ponatur.

Προῳδός.

⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ θρέομαι φοβερὰ μεγάλ᾽ ἄχη·
μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών·
ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας·
αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ᾽,
ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος·
[ἕλεδέμασ πεδιοπλοκτύποσ
τὶχρίμπτεται βοᾶι]
ποτᾶται· βρέμει δ᾽
ἀμαχέτου δίκαν ὕδατος ὀροτύπου.
ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαί τ᾽, ὀρόμενον
κακὸν ἀλεύσατε.
βοᾷ ὑπὲρ τειχέων
ὁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς εὔπρεπτον ἐπὶ πτόλιν
⏑́ ⏑ ⏑ — διώκων.
τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ᾽ ἐπαρκέσει
θεῶν ἢ θεᾶν;
πότερα δῆτ᾽ ἐγὼ ποτιπέσω βρέτεα δαιμόνων;
ἰὼ μάκαρες εὔεδροι, ἀκμάζει βρετέων
ἔχεσθαι. τί μέλλομεν ἀγάστονοι;
ἀκούετ᾽ ἢ οὐκ ἀκούετ᾽ ἀσπίδων κτύπον;
πέπλων καὶ στεφέων, εἰ μὴ νῦν, πότ᾽ ἀμφὶ λιτάν᾽ ἕξομεν;
κτύπον δέδορκα· πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός.
τί ῥέξεις; προδώσεις,
παλαίχθων Ἄρης, τὰν τεὰν γᾶν;
ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδ᾽ ἔπιδε πόλιν,
τάν ποτ᾽ εὐφιλήταν ἔθου.
θεοὶ πολιάοχοι χθονὸς ⏑ — ⏑ ⏓,
ἴτ᾽ ἴτε πάντες ὧδ᾽, ἴδετε παρθένων
ἱκέσιον λόχον δουλοσύνας ὕπερ.
κῦμα γὰρ περὶ πόλιν
δοχμολοφᾶν ἀνδρῶν καχλάζει πνοαῖς Ἄρεος ὀρόμενον.

Στροφὴ ά.

Ἀλλ' ὦ Ζεῦ πάτερ, παντελὲς —́ ⏑ —,
πάντως ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν.
Ἀργεῖοι γὰρ πόλισμα Κάδμου
κυκλοῦνται. φόβος δ' ἀρήων ὅπλων·
διάδετοι γὰρ ἐν γένυσιν ἱππίοις
κινύρονται φόνον χαλινοί.
ἑπτὰ δ' ἀνάκτορες πρέποντες στρατοῦ
δορυσσόῳ σαγᾷ πύλαις ἑβδόμῳ
προσίστανται πάλῳ λαχόντες.
σύ τ', ὦ Διόγενες φιλόμαχον κράτος
ῥυσίπολις γενοῦ, Παλλάς, ὅ θ' ἵππιος
ποντομέδων ἄναξ
ἰχθυβόλῳ μαχανᾷ, Ποσειδᾶν,
ἐπίλυσιν φόβων, ἐπίλυσιν δίδου.

Ἀντίστροφος ά.

Σύ τ', Ἄρης, πόλιν Κάδμου ἐπώνυμον,
φεῦ φεῦ, φύλαξον κήδεσαί τ' ἐναργῶς.
Κύπρις θ', ἃ καὶ γένους προμάτωρ,
ἄλευσον· σέθεν γὰρ ἐξ αἵματος
γεγόναμεν, λιταῖς σὲ δὲ θεοκλύτοις
ἀϋτοῦσαι πελαζόμεσθα.
καὶ σύ, Λύκει' ἄναξ, Λύκειος γενοῦ
στρατῷ δαΐῳ ⏑ — —́ ⏑ —
⏑ —́ — — στόνων ἀϋτᾶς.
σύ τ', ὦ ⏑́ ⏑ ⏑ — ⏑́ ⏑ ⏑ — ⏑ —
—́ ⏑ ⏑ — ⏑ — [Ἄρτεμι φιλτάτα,]
Λατογενὲς κόρα
— ⏑́ ⏑ — τόξον εὐτυκάζου.
⏑́ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑́ ⏑ ⏑ . . ⏑ — .

Στροφὴ β'.

ἒ ἒ ἒ ἕ,
ὄτοβον ἁρμάτων ἀμφὶ πόλιν κλύω,
ὦ πότνι' Ἥρα.
ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χνόαι,
[[Ἄρτεμι φιλτάτα.]]
δοριτίνακτος αἰθὴρ ἐπιμαίνεται.
τί πόλις ἄμμιν πάσχει; τί γενήσεται;
ποῖ δὲ τέλος ἔτ' ἐπάγει θεός;

Ἀντίστροφος β'.

ἒ ἒ ἒ ἕ,
ἀκροβόλων ἐπάλξεων λιθὰς ἔρχεται,
ὦ φίλ' Ἄπολλον.
κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων.
ὡς Διόθεν [μόλοι]
πολεμόκραντον ἁγνὸν τέλος ἐν μάχᾳ.
σύ τε, μάκαιρ' Ὄγκα, προπτόλεως ἄνασσ'
ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύου.

Στροφὴ γ'.

Ἰὼ παναλκεῖς θεοί,
ἰὼ τέλειοι τέλειαί τε γᾶς τᾶσδε πυργοφύλακες,
πόλιν δορίπονον μὴ προδῶθ' ἑτεροφώνῳ στρατῷ.
κλύετε παρθένων κλύετε πανδίκως
χειροτόνους λιτάς.

Ἀντίστροφος γ'.

Ἰὼ φίλοι δαίμονες,
λυτήριοί τ' ἀμφιβάντες πόλιν, δείξαθ' ὡς φιλοπόλεις,
μέλεσθέ θ' ἱερῶν δημίων, μελόμενοι δ' εἴρξατε·
φιλοθύτων δέ τοι πόλεος ὀργίων
μνήστορες ἔστε μοι.

Adnotatio critica.

v. 78. *θρεῦμαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη* multa apographa plerisque (olim etiam Dindorfio) probantibus. Ac numeris quidem id bene convenit, non ut *θρεῦμαι* sit ‚trochaeus semantus' (Herm. ad Aeschyl. II p. 274), sed ut sit ‚spondeus' (ita idem in El. D. M. p. 277). Nam *θρεῦμαι* esse potest ‚spondeus duplex sive major', quum sit par dochmio i. e. pes octasemus. Vide Aristidem p. 36, Boeckhium De Metr. Pind. p. 24, Rossbachium in l. Rhythmik p. 102. Sed Hermannum l. l. p. 277 bene offendit altera lectio apographorum: *θρεῦμαι φοβερὰ μεγάλα τ' ἄχη*, iambico dimetro, qui mali est metrici. At in Mediceo est: *θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη* et Aeschylum ubique dixisse *θρέομαι*, nusquam *θρεῦμαι* primus docuit Blomfieldus ad Agamemn. v. 1135. Ergo quum hic quoque versus, sicut proximi, dimeter fuerit dochmiacus: sequitur ante *θρέομαι* syllabas ⏓ ⏑ ⏑ ⏑ excidisse. Hinc equidem supplevi: [*Δαιμόνια*] *θρέομαι* — collato loco Pers. v. 583. Summam rei post Blomfieldum animadvertit etiam Dindorfius in ed. tert. Praef. p. XII supplevitque: [*Νεόκοτα*] *θρέομαι* —, quod cum Eteoclis verbis v. 21—30 conciliari vix potest. Neque enim nova et inaudita haec oppugnatio fuit sed omnium postrema.

v. 83 sq. *ἐλεδέμασ πεδιοπλοκτύποσ* | *τὶ χρίμπτεται βοᾶι* | *ποτᾶται.* ita Mediceus. Latus patet campus divinandi. Ego quum olim audacter scripsissem: *ἀνελέλιξε γᾶς πέδον ὅπλων κτύπος* —, postea lenius conjeci (non tamen sine supplemento): *κέλαδος ἔμολε γᾶς πεδί'* (sive *πέδον*,) *ὅπλων κτύπος* | *ποτιχρίμπτεται*, [*διατόρος*] *βοὰ* | *ποτᾶται*, ratus *ὁπλόκτυπος*, quod cum v. 185 *ἁρματόκτυπος* convenit, syntaxi repugnare. Nam *κέλαδος* dici solet ‚bellicus clamor sub initium pugnae sublatus' tum ab Homero tum in Aesch. Pers. v. 383 et in Eur. Hecub. v. 910. Tum *ἔμολεν* ita usurpatum est in illo ipso l. Hecub. v. 910 et in Hippol. v. 586. Dindorfius autem conjecit: *εἷλε δ' ἐμὰς φρένας δέος· ὅπλων κτύπος ποτιχρίμπτεται διὰ πέδον βοὰ ποτᾶται*, improbante Hermanno. Languent enim ista *εἷλε δ'* — *δέος* post *θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη* verba gravissima, neque hic chori metum sed exercitum hostium poëta describit. Saltem parcendum erat insigni asyndeto v. 78—84, quod Schuetzius, Passovius, Hermannus certatim admirati sunt. Hoc unum *ποτιχρίμπτεται* pro *τὶ χρίμπτεται* ab Dindorfio mutuatus sum.

v. 90. *εὐπρεπὴς* M. pr. m., *εὐτρεπὴς* sec., quorum neutrum convenit. Quum non de urbe sermo sit, de qua *εἰς* (pro *ἐπὶ*) *πτόλιν* dicendum erat, sed de arce longe lateque conspicua: pro *εὐπρεπὴς εὔπρεπτον* voce Aeschylea (Suppl. v. 692) correxi. Tum bacchio systema dochmiorum finiri nequit. Hinc post *πτόλιν* supplevi ⏓ ⏑ ⏑ — (verbi causa *Καδμογενεῖς*) clausula frequenti, de qua vide Seidlerum De VV. D. p. 166 sqq. Non opus erit supplemento, si quis *διώκων* verbum sane aptum (quasi glossema scilicet) delere audeat. Bello saeviente multorum oculis prae metu et Panico terrore glaucomata offunduntur: cujusmodi rem Caesar De b. civ. I, 14 enarravit. Ita hoc loco poëta mihi recte sapere videtur, non mirifice ‚delirare'. Bene igitur Hermannus: ‚timidae virgines, inquit, jam muros superare exercitum putant', refellens ille unum Dindorfium, qui hic plurima mutat, ne dicam omnia.

v. 93 libri *βρέτη*, pro quo *βρέτεα* posui numerorum causa. Saepe enim creticus sive paeon dochmiis medius interponitur.

v 98. *πότ' εἰ μὴ νῦν* | *ἀμφίλιταν ἕξ. ομεν* M. Sine dubio vera emendatio est C. Prienii ita transponentis: *εἰ μὴ νῦν, πότ'* —, ante quem jam Seidler restituerat: *ἀμφὶ λιτάν' ἕξομεν* e Suppl. v. 778. Comprobavit etiam Dindorfius, oblitus ille tamen in optima scholiorum ed. Ox. p. 314 lin. 1 locum indicare scriptoris, qui sane Lucianus est in Necyom. c. 7 fin.

v. 100 et 101. Haec uno versu conjungi possunt. Nam pentametrum bacchiacum acatalectum, qui in Eurip. Helena v. 642 exstat, Aristides Quinctilianus p. 55 et Marius Victorinus X, 3 p. 131 Gaisf. diserte agnoscunt.

v. 102 et 111 = 126. De metro Hermannus utrobique recte judicavit, non item de priore Seidler (D. VV. D. p. 193), de neutro loco Dindorfius in ed. tert. Praef. p. XIX et p. XXII.

v. 104. ante *ἴθ'* (τ superscr.) rasura quinque fere literarum (ita Prienius p. X) in M. De litura ante hanc vocem consentit Mommsenius (p. 278) tacente Dindorfio p. IX. Adeo codex ipse testatur post *χθονὸσ* aliquid deesse. Deest autem imperativus sive *ἐπιρρύεσθ'* sive potius *ἀκούσατε*, quocum confer Jl. π', 514 sq. Post *χθονὸσ* lacunam esse olim (non item postea) voluit etiam Dindorfius (De metris scen. p. 12). Proximo versu inter *πάντεσ* et *ἴδετε* interposui duce Dindorfio *ὧδ'*, quocum confer melica Aristophanis in Avv. v. 229. Hanc conjecturam Hermannus p. 278 eo minus debebat ‚ineptam' dicere, quo similior ipsius emendatio v. 160 est Dindorfianae.

---

v. 78. suppleo: [*Δαιμόνια*] *θρέομαι* —.

v. 83 sq. conjicio et suppleo: *κέλαδος ἔμολε γᾶς πεδί', ὅπλων κτύπος* | *ποτιχρίμπτεται*, [*διατόρος*] *βοὰ* —, (*ποτιχρίμπτεται* pro *τὶ χρίμπτεται* post Dindorfium).

v. 90. suppleo dubitanter: [*Καδμογενεῖς*] *διώκων*.

v. 104. suppleo: *χθονὸς* [*ἀκούσατε*,] —.

v. 107. Trochaicus versus minime ferendus est. Neque tamen γὰρ deleri potest, quum asyndeton hic magnam habeat offensionem. Ego πόλιν pro πτόλιν reposui dimetro cretico.

v. 110. Extremo versu aliquid deest. Poëtam dixisse opinor: παντελὲς [ὦ κράτος]. Vide geminos versus in Suppl. 510 et Eumen. 29. adde locum, quo etiam proxima πάντως ἄρηξον illustrantur, Eurip. Orest. v. 1291 sq. ed. Kirchh.

v. 114. διαδέτοι (ita pr. m., διάδετοι m. tertia) γενύων ἱππείων M., errore orto e superioribus: ἀρηΐων ὅπλων. Emendationem scito valde esse dubiam. Ego conjeceram: διάδετοι γὰρ ἐν γένυσιν ἱππίοις favente antistrophico. Quo si uti nolueris, ab aliis sume conjecturas ab Dindorfio διάδετοι δέ τοι et ab Hermanno γέννος ἱππίας. At tum ego malim: διατόροι δέ τοι (‚os penetrantia frena‘ i. e. ori penitus inserta).

v. 115. Verbum κινύρονται schol. Med. explicat: οἷον, προφωνοῦσιν —. Hoc scholio motus L. Dindorfius ad nostrum versum retulit Hesychii glossam: μινύρονται: προφωνοῦσι, προλέγουσι. Itaque pro κινύρονται criticus Alexandrinus scripserat μινύρονται. Alteri tamen favet Il ρ', 5 κινυρός, neque Agam. v. 16 adversatur. Sic idem Aristophanes in Eqq. 11 habet κινύρεσθαι, at μινύρεσθαι in Eccles. v. 880.

v. 116. libri cum Thoma: ἑπτὰ δ' ἀγήνορες — absurde. Rescripsi jam olim: ἑπτὰ δ' ἀνάκτορες — ductus etiam antistrophico. Vide Choëph. v. 352. Quanquam centena ejusdem generis habet Aeschylus ab epicis accepta. Βασιλεύτορες dixerat in Thebaide Antimachus ap. Etym. M. p. 189, 6. Vide Wolfium ap. Schellenberg. Antimach. p. 55 et inprimis p. 84.

v. 117. δορυσσόοις σ. vulgo, δορυσόοις optimi libri Thomae p. 133, 7, sed δορυσσόοισ (ultima litera in ras.) σαγαῖς M. ita tamen ut pristina scriptura fuerit δορυσσόοι σαγαῖ (Dindorf. l. l. p. X). Hinc scripsi δορυσσῷ σαγᾷ. Ibidem πύλαισ ἑβδόμαισ M. cum Thoma l. l. Neque ἑβδόμαις ferri potest, neque ipse numerus, qui cum praegresso ἑπτά cohaeret, removeri. Ergo scripsi ἑβδόμῳ (scil. πάλῳ). Vide infra v. 439 et confer illud ἕβδομος αὐτός ap. Thucyd. I, 46; I, 61; I, 116; II, 13; II, 79; III, 3; III, 19; Arist. Vesp. v. 301; Lucian. Verr. Hist. I, 15. Heimsoethi conjecturas ἑβδόμαις delentis scribentisque: ἑ. δ' ἀγάνορες μέδοντες στρατοῦ | δ. σ. πρέποντος πύλαις | προσίστ. probari non posse existimo.

.βου.
v. 124. φόνων M, sed φόβων recte apographa pleraque. Pluralem φόβοι quinquies habet Euripides, habent Plato Phaedone p. 66, c., Lucianus Charone c. 18, alii.

v. 125. σύ τ' ἄρησ φεῦ φεῦ | ἐπώνυμον κάδμου (sic, sed omnia apographa hoc ordine: κάδμου ἐπώνυμον) πόλιν φύλαξον — M. Hic et justum metrum et suam Aeschylo manum restitui. Scripsi enim: Σάν τ', Ἄρης, πόλιν Κάδμου ἐπώνυμον, | φεῦ φεῦ, φύλαξον—. Et σὰν quidem positum fuisse e superiore loco (v. 101) clare elucet. Tum πόλιν et φεῦ φεῦ transposui, hoc est ejulantis voces, quae hic non magis deleri possunt quam in gemino loco de ipso Marte Horati Od. I, 2, 35 (‚sive — ludo‘), suo loco collocavi. In lectione M structura verborum monstrata est, id quod in choris scenicis eorumque codd. saepe accidit.

η
v. 127. καὶ κύπρις ἅ τε γ. π. M. Ego dubitanter scripsi: Κύπρις θ', ἃ καὶ γ. π. Malim (partim cum Seidlero et Dindorfio): Κύπρις θ' ἅτ' εἶ γ. π.

v. 129. λιταῖσ σε | θεοκλύτοισ M contra metrum. Correxi: λιταῖς σὲ δὲ θεοκλύτοις, id quod post illa σέθεν γ. certa anaphorae lex et usus constans requirunt. Vide vel Suppl. v. 355. Proximo versu apographa ἀπύουσαι et ut videtur M, cui solus Prienius dat ‚ἀπύουσα ex ἀπίουσα‘. Sed ἀΰτοῦσαι Seidler l. l. p. 196 bene restituit. Quanquam ἀπύουσαι defendi posse Dindorfio p. XXIV adsentior.

v. 132—134. post στρατῷι δαΐωι M continuo: στόνων ἀΰτᾶσ. σύ τ' ὦ | λατογένεια κοῦρα τόξον ἐντυκάζου (ἐν in litura et τ e corr. ita Prienius et fere Mommsenius; paullo aliter Dindorfius p. X). Hic praeterquam quod nihili est ἐντυκάζου, neque metri, quod strophae respondere debet neque sententiae, quae plane nulla est ratio constat. Primum Seidler p. 196 etsi hunc locum bene vidit in toto carmine corruptissimum esse: tamen quum finem strophae v. 120 sqq. male pro mesodo habuisset, multum proficere non potuit. Recte vero unus Lachmannus De chor. syst. p. 83 in hisce antistrophi quasdam particulas superesse intellexit. Quanquam p. 271 ipse doluit se aurium ludibrio deceptum metra parum recte indicasse. Attamen p. 83 bene judicat post δαΐῳ duo versus deesse. Nempe haec, quae nunc in cod. M. misere cohaerent, certo mutilata sunt. Ac primo ea desunt, quae verbis πύλαις ἑβδόμῳ προσίστανται v. 117 responderant. Fac poëtam post δαΐῳ ita fere perrexisse: [πόλει δ' αἴτιοι | προσορμῶνται] στόνων ἀΰτᾶς, quibuscum confer Pers. v. 880 et cum verbis στόνων ἀΰτᾶς, quae jam supra dixi servanda esse, Soph. Oed. R. v. 187 inprimisque Eur. Med. v. 204. Post στόνων ἀΰτᾶς bene pergit M σύ τ', ὦ, prorsus ut in strophae loco eodem v. 120 σύ τ', ὦ — legitur. Sed desunt quae strophicis 120 Διογενὲς — γενοῦ responderant. Quod post σύ τ' ὦ habet M λατογένεια κοῦρα, id est potius ut supra correxi: Λατογενὲς κόρα, hoc versui 122 apte respondet. Post κοῦρα pergit M τόξον ἐντυκάζου. Sed τόξον εὐτυκάζου bene correxit L. Dindorfius ex Hesychio: εὐτύκαζον. εὔτυκτον ἔχε, ἕτοιμον (immo εὐτυκάζου cum L. Dindorfio et εὔτυκον cum Cobeto in Orat. p. 152). Ceterum in fine hujus antistrophi a verbis σύ τ' ὦ sola invocata erat Diana.

Ibidem. Post ἐντυκάζου M sic: ἄρτεμι φίλα. ἒ ἒ ἒ ἔ et haec omnia mox mire repetit ante v. δοριτίνακτος. Et Seidler quidem p. 197 haec loco delet priore, comprobante Lachmanno p. 84. At ego altero potius loco haec expungo, in quo interjectiones certo delendae sunt. Metrum tamen utrobique poscit, ut φιλτάτα pro φίλα scribatur. Ac ne priore quidem loco post ἐντυκάζου ferri possunt, sed ante λατογένεια transponenda sunt, ut supra posui: Ἄρτεμι φιλτάτα, Λατογενὲς κόρα —.

v. 139. M ante δοριτίνακτος, ut dixi repetit ἄρτεμι φίλα. ἒ ἒ ἒ ἔ. Quodsi deletis interjectionibus Ἄρτεμι φιλτάτα scribatur, respondebunt haec versui 147 quamvis nunc mutilo. Praestat tamen ἄρτεμι φίλα

---

v. 105. ὧδ' addidit Dindorfius.

v. 110. suppleo: παντελὲς [ὦ κράτος,] —.

hic delere, ita ut ante *δοριτίνακτος* haec desint: ⏓ ⏑ ⏑ — ⏑ —: veluti [*περὶ δὲ πᾶς Διὸς*] *δοριτίνακτος αἰθ.* Cf. Aesch. Prom. 88 et Euripideum *Διὸς αἰθήρ.* Adde quod abominantis est illud *Ἄρτεμι φίλα*, non item *Ἄρτεμι φιλτάτα*, sicut hic v. 137 *ὦ πότνι' Ἥρα* et v. 145 *ὦ φίλ' Ἄπολλον.* Eodem modo alii loquuntur, Eupolis ap. Polluc. X, 63 *ὦ φίλε Ζεῦ*, Alexis ap. Athen. VI p. 242 d *Ἡράκλεις φίλε*, Ar. Plut. v. 854 *θεοὶ φίλοι* (i. e. ,di, obsecro vestram fidem' Plaut. Amphitr. v. 1130). Eur. Phoen. v. 191 *ὦ πότνι' Ἄρτεμι*, Aesch. Prom. v. 896, ubi bene restitutum est: *ὦ πότνιαι Μοῖραι*, Plato c. ap. Herodian. *Π. Μον. Λέξ.* p. 20, 4 ed. pr. *ὦ Μοῖραι φίλαι*, Ar. Thesm. v. 699 *ὦ πότνιαι Μοῖραι*, Alciphro I, 38 *ὦ φίλαι Μοῖραι*, Longus Pastor. IV, 21 *φίλαι Μοῖραι*, Lucian. D. Mar. I, 4 *Ἀφροδίτη φίλη*, Timone c. 41 *φίλοι Κορύβαντες*, Piscat. 47 *Ἀμφιτρίτη φίλη*, Pseudolog. 30 *Ἀδράστεια φίλη*, Rhet. Praec. 24 *ὦ φίλη Ἀδράστεια.* Sic in terrore, in re foeda et abominanda dii malorum depulsores invocari solebant, id quod aliis exemplis ostendit Lobeckius in Aglaoph. p. 641 et p. 1231. Atque hae formulae saepius praemittuntur, interdum tamen etiam postpositae sunt, ut in hac ipsa Aeschyli stropha.

v. 140. *δοριτίνακτος δὲ αἰθήρ* M. Aut delendum est *δέ* aut (ut nonnullis placuit) post *αἰθήρ* ponendum, de qua re anceps judicium est, quum versus proximus superior male desit.

v. 141. *ἄμμι* M, sed *ἄμμιν* pleraque apographa.

v. 142. *ποῖ δ' ἔτι τέλος* M, sed recte Seidler et Hermannus: *ποῖ δὲ τέλος ἔτ'*, quod melius congruit antistrophico.

v. 146. In Hesychii glossa: *Προμυχθίζει χαλκοδεσμῶν ὁπλῶν* bene correxerunt *χαλκοδέτων ὅπλων.* Fuerat enim dochmiacus dimeter: ⏓ ⏑ *προμυχθίζει χαλκοδέτων ὅπλων* isque Aeschyli, quod Dindorfio concedo. Dicerem et hunc versum et alium dimetrum dochmiacum, qui Aeschylo diserte datur in Anecd. Bekk. p. 353, 9 e ,Memnone' Aeschyli sumtos videri, nisi Aeschylus tam saepe rem tetigisset militarem ,*κρανοποιῶν*' (Ar. Ran. v. 1016). Sed ab nostro Aeschyli loco ista glossa longe est remota. Aliter tamen visum est Dindorfio et in ed. tert. Praef. p. XXXIII et in ed. quinta p. 14, ubi hic post *σακέων* unum versum excidisse opinatur, in quo lectum fuerit verbum *προμυχθίζει.* Scilicet Aeschylus aliena glossa Hesychii temere interpolandus est, ne nihil antistrophicus versus discrepare videatur, sed ut per vim justa responsio tolli de medio possit.

v. 147. *καὶ διόθεν | πολεμόκραντον* M. Post *Διόθεν* deesse sive *μόλοι* sive *πέλοι* optime Hermannus vidit. Sed pro *καὶ διόθεν* corrigendum videtur: *ὡς Διόθεν* —. Nam *καὶ* et *ὡς* in codd. confundi solere vel tirones norunt itemque *ὡς* optativo junctum vim habere optandi.

v. 148. *ἐν μάχαισί | τε μάκαιρ'* M. Hermannus rejecta conjectura priore *ἐν μάχαις. | σύ τε* —, quam Seidlero p. 197 probarat, postea *ἐν μάχᾳ. | σύ τε* — feliciter emendavit ne Dindorfio quidem reprobante. Jllud quoque Hermannus scholiastae nugis omissis egregie vidit, purum et vacuum scelere belli exitum optari propter odia fratrum.

v. 149. *μάκαιρ' ἄνασσ' ὄγκα πρὸ πόλεωσ* M mendose. Hermanni conjectura est *μάκαιρ' ἄνασσ' Ὄγκα, ὑπὲρ πόλεως*, quae quum Seidlero V. D. p. 27 haud displicuisset, ab Dindorfio (Praef. p. XXIX ed. 3) jure explosa est. Ego haec lenissime transposui: *μάκαιρ' Ὄγκα, προπτόλεως ἄνασσ'* —. Nam ,suburbii regina' Minerva dici apte poterat ob Thebarum portas *Ὀγκαΐδας*, de quibus vide vel Porsonum ad Phoeniss. v. 1150. Commode scholiasta *Πυλαΐτιδος* Lycophronis (v. 356) attulit.

v. 160. Hermannus olim strophicum v. 154 corruptum esse voluerat, quod Seidlero p. 197 placuisse miror, miror Dindorfio (p. 14 ed. 5) et Lachmanno (p. 85). At trochaico versui nullus locus est, quum cretici sint continuandi totaque haec stropha sit cretico — dochmiaca. Recte igitur Hermannus postremo (ad Aesch. II p. 283) hunc versum, non strophicum judicavit corruptum esse. Latet autem in v. *ἀρήξατε* creticus pes vel etiam dactylus. Ego admodum dubitanter scripsi *εἴρξατε.* Hermanni *ἥξετε* (I p. 132 et II p. 283) calami error videtur pro *ἥκετε*, quum opus sit imperativo. Et *ἥκετε* sive potius *ἔλθετε* meae conjecturae nunc antepono. Tale enim verbum exspectamus, quale in simillimis locis (velut in Soph. Oed. R. v. 166 et Electr. v. 115) reperitur.

---

v. 147. codex: *καὶ διόθεν.* sed *μόλοι* addidit Hermannus. pro *καὶ* ego *ὡς* substitui.

v. 160. libri *ἀρήξατε.* scripsi *εἴρξατε.* Hermannus maluisse videtur: *ἥκετε*, emendatione laudabili.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim Evangelium Joannis interpretabitur quinquies p. h. hora XI; 2) privatim Isagogen in Novum Testamentum docebit quinquies p. h. hora XII; 3) publice historiam passionis et resurrectionis Domini secundum evangelium Joannis comparatis caeteris evangeliis explicabit die Saturni h. III et h. IV.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Jesajae librum interpretabitur, quinis p. h. scholis hora VIII; 2) privatim Homileticen docebit die Lun., Merc., Ven. hora IV; 3) privatissime sed gratis Selecta capita Mischnica explicanda proponet, duce Geigero (Lehr- und Lesebuch zur Sprache der Mischna, Breslau 1846) bis p. h. horis defin.; 4) publice Jesajae capp. XIII sqq. explicabit die Mart. et Jov. hora IV; 5) publice in Seminario homiletico catechetico homileticas sodalium exercitationes moderabitur die Saturni h. IX—XI.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Dec., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinquies h. IX, 2) privatim historiam dogmatum quinquies h. X tradet et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

D. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) theologiam dogmaticam septies p. h. docebit quinis scholis hora III et binis scholis hor. defin.; 2) vitam Domini nostri Jesu Christi quinquies h. X enarrabit.

In ordine juridico.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., h. t. Academiae Rector, 1) jus Germanicum privatum quinis p. h. scholis h. XII, 2) jus Mecklenburgicum privatum ter p. h. h. IV et 3) jus feudale ter p. h. h. IV docebit.

D. Augustus Thon, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. IX, 2) pandectarum partem II (obligationes et jura personarum) senis p. h. scholis h. X, 3) institutiones juris romani quinis p. h. scholis hh. cc. docebit.

D. Siegfriedus Brie, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum quinis p. h. scholis docebit hora XI; 2) encyclopaediam juris universi tradet ter p. hebd. hh. cc.; 3) societatem habebit in qua lex fundamentalis Imperii Germanici tractabitur semel p. h.

D. Carolus Birkmeyer, P. P. Extraord. des., theoriam processus civilis ratione Mecklenburgici juris habita senis per h. scholis hh. cc. docebit.

In ordine medico.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem quaternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret hh. definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.

D. Hermannus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) publice generationis et evolutionis historiam diebus Mercurii et Saturni hora III—IV, 3) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) quotidie h. IX—X docebit; 4) privatim Hygieinam diebus Martis et Veneris h. V—VI.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—II, 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

D. Franciscus Koenig, P. P. O., 1) akiurgiam tribus diebus h. X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis et Saturni h. XI moderabitur.

D. Fridericus Schatz, P. P. O., h. t. Dec., 1) de mulierum morbis horis ternis p. h. disseret; 2) medicinam forensem docebit binis horis p. h.; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur h. VIII.

D. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) osteologiam et syndesmologiam d. d. Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X, 2) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. h. XII—I docebit; 3) anatomiam topographicam c. h. ter p. h. tradet; 4) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. X—XII, 5) exercitationes microscopicas ter p. h. moderabitur.

D. Aemilius Ponfick, P. P. O., privatim 1) anatomiam pathologicam specialem die Mercurii et Veneris hora III—IV, die Lunae, Martis, Jovis et Saturni hora IV—V docebit; 2) cursum demonstrativum anatomiae et histologiae pathologicae nec non necropsias die Lunae, Martis, Jovis et Saturni h. II et dimidia — IV moderabitur; 3) publice de morbis infectiosis disseret hora definienda; 4) publice exercitationes in instituto anatomico-pathologico moderabitur.

D. Carolus Gaehtgens, P. P. E., 1) pharmacologiam et formulas medicamentorum scribendas docebit diebus Lunae, Martis, Jovis et Saturni h. IV; 2) urinae chemiam physiologicam et pathologicam die Mercurii hora IV tradet; 3) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio sexies horis definiendis moderabitur.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) morbos mulierum tractabit ternis p. h. horis; 2) methodum explorationis gynaecologicae exponet singulis p. h. horis publice.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI Euripidis Hecubam interpretabitur; 2) binis diebus h. XI Ciceronis Oratorem et Brutum lectione explicabit cursoria; 3) binis diebus h. II de arte Graecorum metrica disseret. Denique Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo selecti loci Thucydidis et Lucreti tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit 1) familias plantarum naturales demonstrationibus vegetabilium medicinalium illustrandas, ternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI; 3) geographiam plantarum binis diebus h. X.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) Anthologiae graecae Epigrammata selecta ter p. h. interpretabitur; 2) Ciceronis ad Atticum epistolas ter p. hebd. explicabit. Privatissime quater per hebd. de Geographis graecis minoribus eorumque scriptis et fragmentis disputabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit 1) publice astronomiam popularem bis p. h.; 2) calculum integralem ter p. h.; 3) geologiam quinquies.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit 1) jus administrativum ac politiam sexies p. hebd. h. IX; 2) Statistica quater p. hebd. h. VIII.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam nationis Germanicae a Caroli V electione docebit quinis diebus, h. XII—I; 2) privatim historiam a tractatu Viennensi ter p. h.; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet binis diebus.

D. Henricus de Stein, P. P. O., 1) Psychologiam ter p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. V—VI, 2) historiam philosophiae antiquae quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. IV—V, 3) paedagogicen ter p. h. diebus Jovis, Veneris, Saturni h. V—VI docebit.

D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) linguam theodiscam medii aevi nec non recentioris temporis docebit quater per hebd. h. X—XI; 2) carmina selecta interpretabitur ex libro Caroli Bartschii „Chrestomathie de l'ancien français" (Leipzig 1872) praemissa introductione grammatica bis per hebd. h. IX—X; 3) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo „Frauendienst" poema Ulrici ab Liechtenstein tractabitur.

D. Arminius Comes Lippe, P. P. O., 1) doctrinam de agro recte colendo tradet in universum binis horis privatim; 2) de generanda et conservanda animalium subole disseret binis horis privatim; 3) de tellure per canales subterraneas siccanda tum de pratis irrigandis et bene colendis binis horis privatim; 4) conversatorium reget de rebus ad agriculturam spectantibus quaternis horis privatim.

D. Oscar Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebdomadem docebit; 2) privatim chemiam exponet studiosis oeconomiae bis per hebdom.; 3) privatim exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. h. moderabitur; 4) publice de praeparatis chemicis officinarum bis p. h. disseret.

D. Hermannus Grenacher, P.P.O., privatim 1) zoologiam docebit sexies p. hebd.; 2) historiam naturalem animalium parasiticorum hominis binis p. h. horis tratabit; 3) privatissime exercitationes zoologicas et zootomicas quotidie moderabitur.

D. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., 1) privatim physices experimentis illustrandam partem alteram docebit quinquies p. h.; 2) publice physices theoreticae selecta capita tradet bis p. h.; 3) privatim physicen universalem exponet studiosis oeconomiae bis p. h.; 4) exercitationes physicas practicae ternis diebus instituet.

D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. Extraord., 1) privatim vaticinia prophetarum Haggai, Zachariae et Malachiae ter p. h. explicabit; 2) privatim grammaticam linguae sanscriticae non sine explicatione Anthologiae sanscriticae ed. Gildemeister bis p. h. docebit; 3) privatim grammaticam linguae aut chaldaicae aut syriacae una cum interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet; 4) publice syntaxin linguae hebraicae bis p. h. docebit.

D. Octavius Clason, P. P. Extraord., 1) privatim Imperii Romani inde ab Augusti aetate historiam tradet quater hora III; 2) privatim Litterarum Graecarum historiam (partem priorem, quae poesin complectitur) narrabit quater hora IV; 3) publice exercitationes criticas (comparabuntur inter se Plutarchi Galba, Otho et Taciti histor. libr. I, II) moderari perget binis horis.

D. Carolus Weinholtz, privatim 1) ideismum practice pertractabit; 2) colloquia philosophica offert.

D. Julius Robert, privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia litterarum franco-gallicarum disseret quater p. h.; 3) grammaticam francogallicam docebit quater p. h.

D. Ferdinandus de Roda, in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater p. h.

D. Theodorus Huebener, 1) gratis chemiae historiam singulis horis tradet; 2) privatim chemiam analyticam docebit binis horis p. h.; 3) privatissima offert commilitonibus de chemia agriculturae horis definiendis.

D. Felix Lindner, 1) privatim grammaticam historicam linguae francogallicae docebit bis p. h.; 2) gratis Shakespearii tragoediam cui inscriptum est „Macbeth" interpretabitur bis p. h.; 3) gratis exercitationes instituet cum sodalibus de lingua atque scriptis Anglorum medii aevi duce libro „Altenglisches Uebungsbuch von J. Zupitza. Wien 1874" semel p. h.

Bibliotheca Academica extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis ac praeterea quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I. **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hugo Boehlau, J. U. D.

Praesidet ordini Theologorum **Augustus Dieckhoff,** Th. D.
Jurisconsultorum **Augustus Thon,** J. U. D.
Medicorum **Fridericus Schatz,** M. D.
Philosophorum **Reinholdus Bechstein,** Ph. D.

INDEX
LECTIONUM
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI
SEMESTRI AESTIVO A. CIↃIↃCCCLXXV
AB DIE XV M. APRILIS
PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

ADVERSARIORUM
PARTEM DECIMAM TERTIAM
F. V. FRITZSCHIUS
PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

1875

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim symbolicen et polemicen docebit sive doctrinam ecclesiasticam exponet et defendet septenis p. h. scholis, quinquies h. XI et die Saturni h. III et h. IV; 2) privatim epistolas catholicas explicabit quinquies p. h. h. XII; 3) publice conversatorium exegeticum moderabitur binis horis definiendis.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Genesin interpretabitur, quinis p. h. scholis hora VIII—IX; 2) privatim Joelis Amosi Obadjae et Michae vaticinia explicabit, quinquies p. h. hora IV—V; 3) publice selectos S. Ephraemi Syri hymnos explicandos proponet, bis p. h. hor. def.; 4) exercitationes homileticas in Seminario moderabitur, die Sat. h. IX—XI.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies p. h. h. IX, 2) privatim historiam doctrinae protestantium quinquies p. h. h. X, 3) publice historiam dogmatum aetatis mediae die Mercurii h. VI et h. VII tradet, et 4) publice in Seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

D. Ludovicus Schulze, P. P. O., privatim theologiam moralem docebit septenis p. h. scholis, quinquies h. III et binis horis definiendis.

In ordine juridico.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., h. t. Academiae Rector, privatim 1) historiam juris Germanici tradet quinis p. h. scholis h. XII; 2) jus mercatorium et cambiale docebit sexies p. h. h. X.

D. Augustus Thon, P. P. O., h. t. Decanus, 1) institutiones juris romani tradet quinquies p. h. hh. cc.; 2) historiam juris romani docebit quinquies p. h. hora IX; 3) practicum quod vocant civile instituet die Jovis hora IV.

D. Siegfriedus Brie, P. P. O., 1) jus publicum Germanicum tradet quinis per hebd. scholis h. XI; 2) processum criminalem docebit juris Mecklenburgici rationem habens quinquies p. hebd. h. IX.

D. Carolus Birkmeyer, P. P. E., 1) jus criminale Germanicum tradet sexies p. h. hora VIII; 2) jus hereditarium docebit quinis p. h. scholis hora IV.

In ordine medico.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem quaternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret hh. definiendis; 3) in clinico medico exercitationes practicas diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.

D. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) quotidie h. IX—X docebit; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem trinis horis.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—II moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis reget.

D. Franciscus Koenig, P. P. O., 1) exercitationes practicas in akiurgio horis adhuc definiendis moderabitur; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis, Saturni h. XI.

D. Fridericus Schatz, P. P. O., h. t. Decanus, 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora VII; 2) operationes quae in arte obstetricia adhibentur, ope corporum arteficialium exercendas moderabitur bis p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur hora VIII; 4) tokologiam experimentis docebit horis binis p. h. publice.

D. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., 1) privatim anatomiae systematicae c. h. partem secundam (angiologiam et neurologiam) sexies p. h. XII—I docebit; 2) privatim histiologiam generalem una cum exercitationibus pract. quater horis definiendis moderabitur.

D. Clemens Aemilius Ponfick, P. P. O., 1) privatim pathologiam generalem quinis diebus hora III—IV docebit; 2) publice processum inflammationis experimentis illustrabit die Martis et Veneris hora IV—V; 3) privatim specimina anatomiae et histologiae pathologicae demonstrabit et una cum commilitonibus necropsias exercebit ternis diebus horis definiendis; 4) publice exercitationes in instituto pathologico moderabitur.

D. Carolus Gaehtgens, P. P. O., 1) formulas medicamentorum scribere docebit die Lunae h. IV privat.; 2) Toxicologiam et chemiam forensem tradet quaternis diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. IV privatim; 3) de urinae analysi cursum habebit binis diebus Martis et Veneris h. XII publice; 4) exercitationes practicas in laboratorio moderabitur quater, horis definiendis privatim.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) privatim operationes gynaecologicas docebit tribus p. h. horis; 2) publice de pelvis augustae formis et de effectu ad quem adducunt in partu disseret horis p. h. binis.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI Aristophanis Nubes interpretabitur; 2) binis diebus h. XI Taciti Germaniam et partem Agricolae explicabit. Denique Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Isocratis Panegyricus et Trinummus Plauti legentur.

Adversaria.

§ 14.

De Tib. Hemsterhusio narratio.

Universitatem Lugdunensem, cujus eo ipso die quo haec scribebam saecularia tertia agebantur, summi viri quum in aliis literarum partibus jam olim ornarunt, tum in veterum linguarum studiis meri heroes, J. Lipsius, J. Scaliger, D. Heinsius, L. C. Valckenarius, D. Ruhnkenius aliique. Ac de universis quidem hisce viris nunc dicere vix licet, quum horum studiorum campus tam longe lateque pateat et quum alii in aliis generibus vel maxime excelluerint. Quamvis igitur animus aveat publice testificari quid quantumque literae his viris omnibus acceptum referant: de plerisque tamen vel invito mihi nunc video tacendum esse. Attamen unum, qui Lugdunensi Academiae ipse quoque decus attulit, unicum inquam virum Tib. Hemsterhusium selegimus, de quo pauca hic diceremus. Nam si nihil aliud constaret praeter scholas, quas ille tot annorum decursu Lugduni habuit et discipulos, qui eum venerari magistrum solebant: de literis nostris vel sic praeclare meritus esset. Plurimos enim auditores habuit, qui postea variis se disciplinis totos dederent invenitque, qui non vana gloriatione ita dicerent, ex Hemsterhusi schola tanquam ex equo Trojano meros exstitisse heroas. Quid dicam de veterum linguarum tractatione aut de tot criticis, quos ab illo scimus formatos esse? Vel in illorum numero virorum, quos supra nominavi, inest nobile par criticorum, Valckenarius atque Ruhnkenius. Quis igitur nostrum talibus viris non debet plurimum? Quis autem quum se ipsorum beneficio devinctum sentiat, non idem grato animo Hemsterhusi meminerit talium virorum magistri? Et Ruhnkenius quidem origine Germanus acquiescere prius non potuit, quam Hemsterhusium audire coepisset. Itaque pauper juvenis longissimum iter pedibus emensus, quum primum Lugdunum venisset, Hemsterhusium bene et latine allo-

cutus rogavit obsecravitque, ut se quoque in discipulorum numerum recipi pateretur. Omitto alias Hemsterhusi virtutes, taceo singularem constantiam, qua mortem filii egregii tulit, modestiam quoque raram illam in viro tanti fastigi praetereo. Quamquam eas saltem laudes praeterire non debeo, quae a magistri exemplo ductae etiam ad discipulos redundarunt. Facere enim non possumus, quin Hemsterhusium, Valckenarium, Ruhnkenium non solum vere admiremur sed etiam toto pectore amemus libenterque illos duces sequamur, qui nobis etiam ad virtutes homine christiano dignas viam praeiverunt. De libris vero ab Hemsterhusio editis non quantum causa desiderat, sed quod paucis liceat complecti, in medium afferamus. Summa igitur Hemsterhusi fuit mentis perspicacitas summa etiam doctrinae copia, corpus ad extremam usque senectutem ferreum, animus aequabilis et imperturbatus, ut labores omnes et contentiones facile perferret. Sed quum omnia omnibus numeris absoluta, si posset, edere cuperet sibique ipse aegre satisfaceret: magna hujus viri in scribendo fuit tarditas, quam auxit genere sermonis latini puro illo quidem et casto, veruntamen non facili nec profluente neque expedito. Hinc mirari desinamus, quid sit, quod talis tantusque vir in tam longa vita non plura etiam summi ingeni monumenta reliquerit. Sed omnino magni illi Batavi quaecunque scriptis suis ad posterorum memoriam consecrarent, ponere omnia accurate solebant, nihil temere abjicere. Habebat autem id Hemsterhusius, habebant optimi quique ejus alumni, non ut unum modo scriptorem prae caeteris tractarent, sed ut plerosque ordine legerent et diligenter perlegerent, quo plus e tanta copia capi posset utilitatis. Enimvero Hemsterhusius jam juvenis multiplici quadam doctrina ad criticam artem profitendam sibi viam muniverat. Ac primum orientalibus literis tantam operam dederat ut non solum hebraice chaldaiceque sciret, verum etiam Arabicos scriptores, Syriacos, Armeniacos, Aethiopicos denique legere non dubitaret. Qui quum vir factus vidisset non unum omnia posse quumque sibi videretur eruditione luxuriatus et tot linguarum libris paene heluatus esse: nimium orientis studium ita deposuit, ut tamen postea quoque ex his studiis miros fructus perciperet. Sed idem juvenis in philosophia multum studii collocarat, longe vero plus in ea, quam optime callebat, mathesi. Ita non jam mirum est, artem criticam ab hoc viro ita factitatam esse, ut omnia fere mathematicae cuidam demonstrationi similia efficeret. Principio locum vetusti scriptoris corruptum esse tam clare ostendit, ut nullus dubitandi locus relictus sit, deinde sedem vitii tanto acumine indagat, ut rem oculis subjectam videamus et teneamus paene manu, postremo evidenter demonstrat una tantum ratione non pluribus hoc ipsum vitium tolli posse et certo removeri. Verum sive grammatica ille nos docet sive mythica sive historica, eam rem quae tum agenda est solam agere solet, in eam plane intentus

est et tota mente defixus. Virum agnoscas animo quum excelso tum etiam tranquillo et bene composito. Haec autem animi indoles dici vix potest, quantopere philosophiae et matheseos studio adjuta fuerit. Ita enim Hemsterhusio contigit, ut animi libertatem servaret, neque quidquam mente scriberet impedita nec temere ingenti illa doctrinae mole obrui posset. Par similisve laus Ruhnkenio semper impertienda est, non semper, ut mihi quidem videtur, Valckenario. Hic enim fuit ille quidem unus omnium longe doctissimus et in graecis literis vel ipso doctior Hemsterhusio, attamen doctrinae oneri interdum succubuit, hoc est leviores quoque conjecturas fudit et passim ea scripsit, quae ab summo viro malles indicta. In universum tamen Valckenarius quoque de literis nostris immortaliter meritus est. Sed ad Hemsterhusium redeo. Negabat autem, ut supra dictum est, homines doctos ex ingenti quodam juvenilis eruditionis campo postea in exiguum plane gyrum temere compellendos esse. Idem vero, qui omnium veterum populorum literas olim complexus esset, postremo castigata doctrinae suae luxurie intra graecarum et latinarum literarum fines non dubitavit subsistere. Neque magni nostra refert scire, quonam auctore studia sua in arctum collegerit et utrum sponte sua an ab aliis monitus consilium pristinum mutaverit. Quodsi in ejus animo R. Bentlejus tantam vim habuit, ut vulgo creditur, laudem ambo meruerunt et Bentlejus, qui tam strenue monuerit et qui tam promte obsecutus sit, ipse Hemsterhusius. Quidni autem juvenem vir moneret, qui ipse natu major esset annos amplius viginti? Quare nullo pacto talis monitor in adversariis Hemsterhusi numerandus est. Bonum tamen factum, quod Bentleji epistolae ad Hemsterhusium datae aetatem tulerunt, ut de tanta re omnibus judicare liceat. Nam in his epistolis juvenis, qui tum J. Pollucem ediderat, egregie laudatus est. Et quidem, inquit, ibidem merito reprehensus est. Audio: attamen reprehensio ad solam pertinet artem metricam. Cujus quidem artis partes intimas in toto orbe terrarum unus tum vir recte tenebat, ille ipse R. Bentlejus, praeterea nemo: caeteri fere hexametrum heroicum et, si forte, trimetrum iambicum sciebant dimetiri, pauci quidam etiam anapaestum et metra Horatiana. Nostro autem tempore periculum est, ne nosmet ipsi ad similem barbariem revoluti artem metricam rursum dediscamus et omnia obliviscamur. Nam de arte metrica nunc ejusmodi libri conscribi solent, qui veram artem doceant neminem, tironem vero multo quam dudum fuerat reddant stultiorem. Nimirum ars Graecorum musica, cujus interior ratio aeternum ignorabitur, cum metrica arte quam adhuc recte tenemus nunc misere confunditur, tam misere, inquam, ut paucis musicae elementis, ad quae noscenda adspirare licet multi non sint contenti, sed ignota pro notis arripiant ac ne his quidem ad augendam metricam utantur, sed ad hanc artem evertendam et penitus eradicandam. Quis

enim ignorat his libris nunc omnia plena esse? Neque prius tam immensa tamque horribilis confusio exstingui poterit, quam denuo fieri coeperit illud ipsum quod olim ab omnibus scimus factum esse. Dico autem libros de arte metrica rursum edi seorsim oportere, alios tironum causa, in quibus libris praeterea nihil quidquam insit, alios doctiores, quibus appendicis loco si non musicae at rhythmicae veteris elementa contineantur, unde ad metricam doctrinam fructus possit redundare. Praeterea de poetis graecis non solis agendum est Latio omisso, sed cum Graecis ars metrica Romanorum conjungenda, ut olim tantum non omnes solebant. Ac bene G. Christius in l. Metrik der Griechen und Römer (Leipzig, 1874) pristinum morem revocavit. Nunc ad Hemsterhusium revertor. In Polluce quem totum edidit poëtarum graecorum fragmenta plurima leguntur in his foede olim corrupta, quae juvenis editor codicum ope emendare studuit. Nocuit tamen saepenumero mala metrorum notitia, ut quod intenderat raro adsequi et efficere posset. Hic tum Bentlejus quum metro ubique restituto permultos in Polluce versus certo persanasset, ad editorem has emendationes ratione diligenter reddita transmisit. Quibus lectis Hemsterhusius stomachari et sibimet ipse totus displicere: sed quid tum faceret? Tantum certe in metrorum quoque scientia profecerat, ut neque se verum vidisse sentiret neque ab vero aberrasse Bentlejum. Quamobrem primum ad metra melius noscenda omni ferebatur cogitatione. At longum erat, id quod ante omnia fieri debebat, Pindarum, poetas scenicos et lyricorum reliquias corrigere, qui tum omnes mendis obruti jacebant. Quem vero de ipsa metrorum omnium doctrina graecum auctorem consuleret, nullum alium reperire poterat nisi ducem sane incertum Hephaestionem. Nam metrorum veterum restitutores, R. Porsonus, A. Boeckhius, C. Lachmannus alii, in quibus eminet G. Hermannus, aliquanto post exstiterunt. Ceterum Hemsterhusius etiam hoc (ut alia omnia) sapienter egit, ut sic quoque in metris quantam maximam posset collocaret industriam et unum saltem discipulum metrorum peritiorem formaret Valckenarium. Ipse vero postea neque fugit Graecorum poetas, quod fieri nullo modo poterat, neque eos tam cupide tractavit, ut se choris tragoediae temere immisceret. Plutum tamen Aristophanis edidit hoc est eam, quae ex undecim comoediis sola choris aliisque caret melicis. Praeterea in epicis recte legendis, Homero inprimis et praeterea alexandrinis ut Callimacho eximie versatus est. Summum tamen studium Hemsterhusius sibi postea ponendum esse censuit non in scriptoribus vinctae sed orationis solutae. In his immensum quendam campum sibi apertum esse videbat maxime quidem ad currendum, tum etiam (ut summi illi Batavi facere solebant) ad exspatiandum. De his omnibus fere tam praeclare meritus est, ut non solum mea oratio sed alius cujusvis qui Hemsterhusium bene noverit exsultare possit et triumphare. Nam ut ab J. Geelio

D. Joannes Roeper, P. P. O., 1) privatim docebit elementa anatomes plantarum die Saturni, h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam quinis diebus h. XI—XII; 3) publice cum auditoribus itinera botanica instituet die Saturni.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter per hebd. Callimachi hymnos et epigrammata, 2) ter per hebd. Juvenalis satiras interpretabitur. Privatissime quater per hebd. de scriptoribus mythologicis graecis disseret.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit privatim 1) geometriam analyticam quater p. h.; 2) mineralogiam quater p. h.; 3) publice trigonometriam bis p. h. horis definiendis.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., quinquies p. h. docebit, 1) oeconomiam publicam h. VIII; 2) administrationem rei financiariae et militaris h. XI.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., privatim historiam saeculi XVII et XVIII narrabit quinis diebus h. XII, privatim historiam reipublicae Romanae ab anno 133 ante Chr. n. usque ad annum 31 post chr. n. ternis diebus; publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet binis diebus.

D. Henricus de Stein, P. P. O., 1) logicen et metaphysicen quater p. h. h. V—VI, 2) historiam philosophiae, inde ab ecclesiae patribus usque ad novissima tempora deductam quater p. h. h. IV—V, 3) de scriptis Platonis et de historia Platonismi bis p. h. h. IV—VI.

D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim linguam veterem Germaniae inferioris docebit simulque poema Heliand interpretabitur ter per hebd. h. X—XI; 2) privatim tertiam partem grammaticae linguarum romanarum tradet, quae pertinet ad verborum formationem bis per hebd. h. IX—X; 3) publice de poematis theodiscis recentioris temporis disseret, quae Tristanum Isoldamque celebrant, semel per hebd. h. X—XI; 4) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, quo Hartmanni ab Aue poema „Gregorius" tractabitur.

D. Arminius Comes Lippe, P. P. O., 1) rei rusticae brevem conspectum dabit horis binis; 2) de universa plantarum educatione exponet item horis binis; 3) de fundo emendando disseret horis singulis; 4) conversatorium reget horis quaternis.

D. Oscar Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam quinquies per hebdomadem docebit; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebd. moderabitur.

D. Hermannus Grenacher, P. P. O., 1) Zoologiam et anatomiam comparatam animalium vertebratorum quinquies p. h. tractabit; 2) exercitationes zoologicas et zootomicas moderabitur, quotidie (privatissime sed gratis).

D. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem primam docebit quinquies p. h.; 2) exercitationes physices practicae solito more instituet; privatissime sed gratis 3) colloquia physica moderabitur.

D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. E., 1) privatim vaticinia prophetarum Hoseae, Jonae, Habacuci ter p. h. explicabit; 2) privatim explicationem libri sanscrit., qui Nalas et Damajanti inscriptus est, bis p. h. tradet; 3) privatim prophetarum Targumim (ed. de Lagarde) bis p. h. interpretabitur; 4) privatim grammaticam linguae aut arabicae aut syriacae una cum interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet; 5) gratis societatem habebit grammaticam in qua interpretationi prophetarum Nahumi et Zephaniae bis p. h. praeerit.

D. Octavius Clason, P. P. E., ex Italia redux quas habiturus est scholas publice proponet.

D. Carolus Weinholtz, colloquia philosophica, in specie ad linguae germanicae essentiam ideisticam pertinentia offert.

D. Julius Robert, privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia literarum franco-gallicarum disseret quater p. h.; 3) grammaticam franco-gallicam docebit quater p. h.

D. Ferdinandus de Roda, in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater p. h.

D. Theodorus Huebener, docebit 1) privatim chemiam analyticam (partem alteram) bis p. h.; 2) privatim physiologiam plantarum binis hor. p. h.; 3) privatissime sed gratis chemiam forensem semel p. h.

D. Felix Lindner, 1) gratis bis p. h. historiam literarum Anglorum medii aevi docebit; 2) gratis poema illud franco-gallicum cui inscriptum est „Le Roman de la Rose" bis p. h. interpretabitur.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis patebit. **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri qui alias artes liberales publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hugo Boehlau, J. U. D.

Praesidet ordini Theologorum **Augustus Dieckhoff,** Th. D.
Jurisconsultorum **Augustus Thon,** J. U. D.
Medicorum **Fridericus Schatz,** M. D.
Philosophorum **Reinholdus Bechstein,** Ph. D.

in Praefat. ad Anecdota Hemsterhusiana p. XVI et XX didicimus, certos ille vir habuit adversariorum libros historiae gentium, literarum et philosophiae, antiquitati, geographiae, mythologiae aliisque doctrinae partibus destinatos, ex quibus tres integri servati sunt, aliorum autem exstant fragmenta. Itaque Pollucis libris X editis postquam metrorum scientiam meliorem sibi comparavit, ita scriptores legit graecos et latinos, ut omnes in numerato haberet et exquisita quaedam generis potissimum grammatici summa diligentia notaret. Hinc factum est, ut non solum de eo auctore quem tum maxime ederet sed de caeteris quoque judicare sciret et sermonis graeci leges egregie nos doceret. Sicut enim ipse scriptor editori non poterat non notissimus esse, ita de caeteris quae scitu necessaria essent, ex adversariis tanquam e communi quodam thesauro licebat depromere. Sed unum modo scriptorem graecum hic attingam, qui Hemsterhusio longe plurimum debet, Lucianum Samosatensem. Primum igitur Luciani colloquia duodecim selecta in eis Timonem graece et latine adnotationibus illustrata a. 1732 Amstelaedami edidit. Deinde totius Luciani edendi consilium cepit, quod postea sive ab ipso destitutum sive ab aliis discussum est. Attamen primorum XII librorum recensionem usque ad finem Charonis perfecit addito commentario luculento, quae omnia in edit. Reitzianae tomo primo a. 1743 edito conjuncta leguntur. In Luciano igitur, quem pertenui quadam codicum supellectili instructus bis edere coepit, quantum vel ingenii acumine vel eruditionis copia efficere posset, videtur expertus esse. Equidem vix alium ullius critici librum mihi legisse et relegisse videor, ex quo ad mea studia tantos fructus perceperim. Scio optimum quemque criticum non minus honorifice de Hemsterhusi Luciano sentire. Pauci tamen hunc scriptorem sive ipsi ediderunt, id quod ego dudum facere institui, sive ea diligentia pertractarunt, quam ego prae me ferre nullus dubito. Evolvat aliquis meae editionis Vol. III Partem I, in qua qui insunt libri quinque, ab Hemsterhusio olim omnes in lucem editi erant. Sic demum videre poterit, quoties hujus critici conjecturae codicum auctoritate firmatae sint et stabilitae et quam raro aut ab aliis aut a me ipso refutatae. Quo magis dolendum est, quod Lucianum edere non ulterius perrexit vel potius quod hunc scriptorem non integrum divulgavit. Quanquam octo circiter annos consumsisse dicitur illis libris XII edendis hoc est quinta fere parte eorum operum, quae vulgo Luciani esse dicuntur. Unus tamen vir exstitit, cui Hemsterhusius usque eo displiceret, ut saepe carperet ejus Lucianea et acrius incesseret. Fridericum Ludovicum Abreschium dico, perdoctum sane hominem sed non satis acutum. Primum Hemsterhusio suas non nunquam opponit conjecturas, id quod nolo vituperare. Nam de his rebus saepe variae sunt et discrepantes criticorum sententiae. Plerumque tamen Abreschius vulgatae se patronum professus quos locos vitio

laborare Hemsterhusius ostenderat, eos ipsos non sine verbosa disputatione sanos esse clamat et pisce saniores. Suas enim copias jubet concurrere et acie sic instructa, ut suo quaeque loco respondeant, dimittit eas ac potius in miserum immittit. Hae copiae sunt omnes, quae ubique partim apte partim absurde excogitatae sunt grammaticorum et rhetorum figurae. Ne quis enim de vulgatae fide dubitare queat, inest in ea modo hyperbaton, modo anacoluthon, modo enallage, modo etiam antiphrasis. Ita quum tot nomina totque figurae aures nostras circumsonent, nihil loci relictum est sanae rationi. Neque vero est, quod valde quis hanc rem miretur neque quod in Abreschium invehatur acerbius. Nusquam ille famam adversarii arrodit, sed rem spectat et ab malevolentia abest plurimum. Ergo opinionis labitur errore, labitur tamen salvo Hemsterhusio. Quae legenti mihi saepe ille versus in mentem venit: ‚ut mihi saepe Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus!‘ saepius vero illud Vergili: ‚Infelix puer atque impar congressus Achilli.‘

PHILOLOGOS GERMANIAE

EXEUNTE MENSE SEPTEMBRI

A. MDCCCLXXV

ROSTOCHII CONGREGATOS

BENEVOLENTISSIME CONSALUTAT

ACADEMIA ROSTOCHIENSIS

INTERPRETE

F. V. FRITZSCHIO.

ADDITA EST DISSERTATIO

DE NUMERIS ORATIONIS SOLUTAE.

ROSTOCHII

LITERIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

De numeris orationis solutae.

Quod*) ad numeros orationis solutae pertinet, horum primus auctor Thrasymachus fuit Calchedonius, uti Tullius in Oratore c. 13 et c. 52 diserte testatus est, quocum Aristoteles in Rhetor. III, 8 consentire videtur. Ita enim Tullius errorem suum bene correxit, qui antea non semel (De Orat. III, 44 et in Brut. 8) quasi principem inveniendi male nominasset Isocratem. Itaque primus ante Isocratem Thrasymachus intellexit, solutam quoque orationem numeris quibusdam oportere adstringi. De hoc igitur numerorum genere nunc breviter dicam, multis de industria relictis, quae fortasse mox alii uberius exsequentur. Nam et jucunda et eadem sane gravis res est eoque gravior, quod non solum ad graecam linguam refertur verum etiam ad latinam. Proficiscar autem nunc a Graecis, a quibus haec res tota primum profecta est, id est a Thrasymacho. Cum Aristotele in Sophist. Elench. XXXIV, 5: *Τισίας μὲν μετὰ τοὺς πρώτους, Θρασύμαχος δὲ μετὰ Τισίαν, Θεόδωρος δὲ μετὰ τοῦτον κ. τ. ἑ.* de hujus viri aetate inter omnes convenit, non item de anno natali, qui definiri non potest. Quum enim Lysias natus esse vulgo dicatur Ol. LXXX, 2 (459), Thrasymachus paullo ante Lysiam in lucem editus Theophrasto ap. Dionys. De Lysia c. 6, paullo post autem ipsi ibidem Dionysio videbatur neutro dubitante quin ambo fuerint aequales. Ergo, ut bene Cicero in Oratore c. 52, Isocratem Thrasymachus profecto integra aetate praecurrit. Nam in laudabili et docto Suidae s. *Θρασύμαχος* loco, qui nunc unus discrepat, in his verbis: — *εἰσηγήσατο· μαθητὴς Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος* manifesta lacuna nondum videtur animadversa esse. Supple: *εἰσηγήσατο· μαθητὴς [Γοργίου, διδάσκαλος δὲ] Πλάτωνος τ. φ. κ. Ἰ. τ. ῥ.* Nam et Plato et Isocrates vix ac ne vix quidem numerum oratorium ab alio discere nisi a Thrasymacho poterant, qui hunc ipsum numerum modo primus invenerat. Obtrectatio autem discipulorum neque nova est et in Platone acri sophistarum inimico vel ideo excusatior, quod non tam rhetorem magistrum oderat quam eundem sophistam. Nam quae de vitiis Thrasymachi Arrianus, Themistius, Philostratus declamarunt, non ex Aristotele, qui partim tantum consentit, sed ex uno omnia fluxerunt Platone, ut J. Geelius in Hist. Soph. p. 203 intellexit. Solus igitur Plato tanta petu-

*) Iis quae de numeris nunc demum edo. de initiis prosae orationis nonnulla praemiseram, quae in prooemio lectt. hibern. a. LXXV—LXXVI evulgata sunt.

lantia tamque asperis moribus Thrasymachum fuisse dixit, ut pro quodam sycophanta haberi non immerito posset. Hoc igitur in medio relinquere licet: neque enim mores viri nunc nobis rimandi sunt*). Quid, quod Philostratus in Vitis Soph. p. 497 (§ 14 p. 210 ed. K.) Platonem ipsum male interpretatus sophistam fuisse Thrasymachum et in epidictico genere versatum esse temere negavit. Contrario errore Dionysius Hal. De Isaeo c. 20 (p. 628 R.) de arte modo scripsisse Thrasymachum contendit et totum fuisse in epidicticis, nullam autem reliquisse orationem deliberativam et ne forensem quidem eloquentiam exercuisse. At Dionysium, qui hac in re sibi ipse iterum iterumque adversatur, Geelius l. l. p. 204 bene refutavit. Haec perpendenti mihi et tenuissima Thrasymachi fragmenta spectanti in mentem venit vereri, ne pleraque opera Thrasymachi, cui Isocrates obstitisse videtur, admodum mature interciderint. Partem operum legerat adhuc Hadriani tempore Julius Vestinus, qui e Thucydide, Isaeo, Isocrate et e Thrasymacho aliisque rhetoribus eclogas composuerat auctore Suida s. *Οὐηστῖνος* (II p. 1207 ed. B.). At in IX voll. Rhetorum, qui ab Walzio editi sunt, ne nomen quidem Thrasymachi exstat. Quo magis H. Sauppio in Fragm. Orat Att. p. 164 adsentior, qui Quintilianum III, 3, 1 Aristotelis verbis male intellectis errasse de Thrasymacho censuit, quem scriptorem Quintilianus ipse omnino non legisse videtur. Reliquiae autem librorum Thrasymachi ab Geelio l. l. p. 206 sqq. et doctius ab Sauppio l. l. p. 162—164 pertractatae sunt. Ingenio quidem hic scriptor fuit admirabili summaque doctrinae copia et rhetoricen praeclaris auxit inventis. De qua arte unus multo melius videtur meritus esse quam rhetores caeteri praeter Coracem et Tisian primos artis repertores. Nam Gorgias quae optime invenerat, ea ipse adeo depravavit, ut aliis mox irrisui essent, Thrasymachus autem evicit, ut oratores graeci serioresque sophistae ipsius inventis per annos uterentur fere octingentos Sed quonam dicendi genere hic rhetor et sophista usus fuerit, deinceps videndum est. Quum igitur et ipse et Gorgias primum arte quadam verba vinciret, Thrasymachus in scribendo et concisus erat et rotundus, neque ut Isocrates mox facere instituit, sententias verbis solebat dilatare. Hoc in Oratore c. 13 ab Tullio traditum est constanti Isocratis laudatore. At Dionysius Hal. (De Isocrate c. 12) hoc ipso nomine Isocratem bene reprehendit, quod sententia dictioni ejusque numero soleat servire. Eidem alio loco (De Lysia c. 6) jure visa est haec ipsa dicendi virtus plane admirabilis: *ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις.* Qua facultate Lysiam inprimis excelluisse dicit neque in eo fallitur. Sed de primo auctore suam quandam opinionem proponit: *ἧς (ἀρετῆς) Θεόφραστος μέν φησιν ἄρξαι Θρασύμαχον, ἐγὼ δ᾽ ἡγοῦμαι Λυσίαν — οὐ μέντοι διαβεβαιοῦμαί γε, ὁπότερος ἦρξε τῆς ἀρετῆς ταύτης —.* Ceterum Lysias non diu rhetor fuit, Thrasymachus autem rhetoricam perpetuo, ut videtur, professus est. Jure igitur Cicero in Oratore c. 13 et solos rhetoras nominat Lysia omisso et concisae rotundaeque dictionis laudem ut inventori uni tribuit Thrasymacho. Qui si forte etiam aliis orationes scripsit vel ipse causas actitavit, apte ei conveniet virtus in judiciis admodum necessaria. Illud non miror, quod Dionysius (De Lysia c. 6) praeter Thrasymachum hujus laudis participes esse voluit et Lysiam et Demosthenem, qui duum-

---

*) De ejus morte Juvenalis Sat. VII, 203 haec habet: ‚paenituit multos vanae sterilisque cathedrae, | sicut Thrasymachi probat exitus‘, ubi scholiasta vetus: ‚rhetoris apud Athenas, qui suspendio periit‘. Clades Atheniensium sub finem belli Peloponnesii et paullo post multis interitum adtulit, quorum in numero fuisse suspicor Thrasymachum. Certe Thrasymachus Lysandri aetate et Nicerati adhuc superstes erat teste Aristotele in Rhetor. III, 11.

viri ob diversum dicendi genus plerumque sibi invicem opponuntur. Nam ut multa unius propria sunt Lysiae et unius Demosthenis, ita non pauca magnorum oratorum scimus communia esse. Alium vero de dictione Thrasymachea locum Dionysii Hal. (De Vi Demosth. c. 3) adparet multo esse graviorem. Primum ille (ibid. c. 1) genus dicendi describit a communi sermone alienum et artificio plenum rhetorico, cujus generis quasi normam quandam et regulam proponit Thucydidem. Huic deinceps (c. 2) simplex dicendi genus opponit et communi locutioni simile, quod ab Lysia judicat perfectum esse. Postremo (c. 3) medium genus et ex his duobus compositum docet hoc habuisse, ut nunc percelleret mentem nunc demulceret, ut et vehementes motus excitare posset et lenes affectus animo insinuare. De cujus primo inventore ita loquitur: *ἣν ὁ μὲν πρῶτος ἁρμοσάμενος καὶ καταστήσας εἰς τὸν νῦν ὑπάρχοντα κόσμον, εἴτε Θρασύμαχος ὁ Καλχηδόνιος ἦν, ὡς οἴεται Θεόφραστος, εἴτε ἄλλος τις, οὐκ ἔχω λέγειν* —, non sine absona dubitatione. Nam Dionysius ne poterat quidem hanc rem scire, Theophrastum autem tanto ante eadem latere vix poterat. Illud tamen optime Dionysius addit, medium genus ab Isocrate et Platone susceptum et praeclare excultum, ab Demosthene autem plane absolutum esse et perfectum, denique ad ipsius usque Dionysii tempora traditum esse et semper propagatum. Ita repertorem alii postea ut Plato ut Demosthenes haud dubie superarunt: nihil autem uno tempore et inventum est et perfectum. Ceterum Thrasymachus longe optimum dicendi genus non solum adhibuit, sed ipse omnium primus invenit caeterisque, qui se ducem sequerentur, viam monstravit. Sed Dionysius, ut consuevit, hic quoque aliquem speciminis causa locum verbotenus affert sumtum illum quidem e Thrasymachi concionibus. Quem etsi saepe mendosum et subinde mutilum esse dolemus, tamen Reiskii et (in Fragm. Orat. att. p. 163) Sauppii acumine ita saltem vel correctus est vel suppletus, ut bene legi possit et certo intellegi. Quumque idem paullo longior sit, totus ejusmodi est, ut orationis Thrasymacheae si non expressam imaginem at simulacrum adumbratum adhuc videamus Ac de numeris quidem, qui non tam ab universa sententia quam a verbis singulis pendent, hujus fragmenti ope judicari non potest. Hoc tamen adseverare licet, nusquam hic oratorem *γοργιάζειν*, i. e. Gorgiae figuras putide imitari. Illud quoque, quod Dionysius ex hoc loco saepius collegit, dicere ausim, orationem ‚*τῆς ὄντως μεσότητος*‘ laude dignam videri, hoc est tam apte temperatam esse ut ex utroque genere utilia decerperet. Sed quae huic fragmento Dionysius praemisit, diligentius placet excutere. Primum igitur in verbis: *ἡ μὲν οὖν Θρασυμάχου λέξις ἡ λοιπὴ* — nullum vitium puto inesse. Verto autem sic: ‚Thrasymachi elocutio, quae quidem adhuc exstet‘: quo significatur non ita multas illo tempore Thrasymachi orationes superfuisse. Deinceps et laus et reprehensio loco continetur vitioso: *κέκραται γὰρ εἶ* (ita Sylburgius pro *εἰ* et mox *βουλήσει* pro *βουλέσει*) *πως καὶ αὐτὸ τὸ χρήσιμον εἴληφεν ἑκατέρας δυνάμεως· ὡς δ' οὐκ ἴσῃ βουλήσει κέχρηται, παράδειγμα ἐξ ἑνὸς [παραθήσω] τῶν δημηγορικῶν λόγων τόδε.* In fine ego non *θήσω* ut alii supplevi sed *παραθήσω,* quod vocis *παράδειγμα* similitudine videtur haustum esse. Caetera vero Sauppius (l. l. p. 162) sanavit emendatione palmari: *κ. γ. ε. π. καὶ αὐτὸ τὸ χρήσιμον εἴληφεν ἑκατέρας· δυνάμει δ' ὡς οὐκ ἴσῃ τῇ βουλήσει κέχρηται, παράδειγμα* —. Nam *δύναμις* est ‚vis eloquentiae‘, ut in locis Schaeferi ad ipsum Dionys. D. C. V. p. 410. Negat igitur tantum potuisse Thrasymachum, quantum ipse voluerit, quippe cui vis orationis deesset. Grave judicium, quis negat? de eo praesertim, quem neque Lysiae simplicitas neque vigor quidam orationis defecerit, quem denique videamus Gorgia longe

superiorem fuisse. Vix tamen ab Dionysio dissentiet, qui ipsum locum Thrasymachi adtente perlegerit. Queritur ille bellum tum maxime saevire, rempublicam indignatur perturbatam esse, postremo tantas res tractat tamque atroces, ut eum mirere non multo magis animo incaluisse. Ubi est celebrata illa Demosthenis δεινότης, ubi sunt Periclis fulmina? Ut nunc est, non multo altius Thrasymachus adsurgit, quam ubique solet Isocrates, in quem transferas C. Caesaris de P. Terentio versum hunc: ‚lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis —'. Sane certatim docent Plato in Phaedro p. 267, c et Aristoteles in Rhet. III, 1 egregie Thrasymachum docuisse, quomodo vel misericordia vel ira in animis hominum commovenda sit. At hoc rhetoris est meri, non magni oratoris.

Sequitur ut quaeramus, laudandusne sit horum numerorum inventor necne, et si laudandus, utrum orationi decus attulerit jucundum tantummodo, an plane necessarium. Confirmo autem hanc non tenuem inventiunculam fuisse sed ingentem quandam inventionem, qua tamen non nego etiam carere Graecos potuisse ut non prorsus necessaria. Ac de magnitudine quidem hujus rei testis est historia et tot memoria saeculorum, quibus inventum Thrasymachi integrum permansit. Carent tamen hac laude et aequo animo carent aliae gentes, quarum scriptores ad veterum Graecorum laudem proxime accedunt. Quin etiam Germania nostra hoc numerorum genere propemodum caret, quibus tamen aliquot oratores sacros, veluti Tzschirnerum, feliciter usos esse videmus*). Quid, quod ex ipsa Graecia Thrasymacho opponere licet quum in historia Herodotum, qui hisce numeris nisi quando fortuito et casu omnino abstinuit tum ex oratoribus virum laude nostra majorem, Lysiam. Hic enim ut Gorgiae figuras, quibus sane utitur, haudquaquam frequentat, ita numeros ipsos tam raros inseruit tamque latentes, ut nisi qui eorum doctrinae peritissimus fuerit, pateant nemini. Et quum Thrasymachus inventor aurium maxime voluptatem sectatus sit, nihil neque dulcius Herodoto cogitari potest neque Lysia venustius. Manet igitur Thrasymachi inventum in suo genere fuisse maximum, necessarium non fuisse. Porro dubitanti, quales hi numeri et utrum sint poëtici an ex alio genere quodam, Cicero in Oratore c. 56 respondet poëticos esse: neque enim numerum extra poëticos alium ullum exstare. Enimvero tenendum est, numeros plerosque omnes, id quod de Thrasymacho infra demonstrabo, in orationem e lyrica potissimum poësi primum translatos esse. Nec dubito, quin et novitas rei et (uti tum videbatur) magna perversitas multorum animos offenderit. Graecos tamen hujus offensionis auctores adhuc desidero: de latinis enim Ciceronem in Oratore c. 54 loqui arbitror. Sed Thrasymachi defensores etiam cupide disputasse videntur neque falsis ineptisque argumentis abstinuisse, si tamen quidam jam tum dixerunt, lyricorum carmina partim solutae orationi esse simillima. Ita enim est apud Dionysium Hal. De Comp. Verb. c. 26 p. 430 ed. Sch. itemque ap. Ciceronem in Oratore c. 55, Ciceronis sui vestigia (ut puto) legente Quintiliano IX, 4, 53 in verbis corruptis, quae Halmius meus (P. II p. 180) in aliam prorsus sententiam detorquet. At mirum est, quod quum Herodotus et caeteri vinctam orationem solvissent, Thrasymachus vixdum solvi coeptam rursum ausus est vincire. Ecce autem alia eaque gravior offensio: neque enim si poëtae orator finitimus est, idcirco

*) Non habeo, quem in sublimi genere Tzschirnero nostro anteponam. Sed in molli ac prope delicato orationis genere Salomonis Gesneri idyllia excellunt. Nam etsi prosa oratione scripta sunt, tamen non solum imaginibus abundant poëticis, verum etiam membris (κώλοις) et numeris (ῥυθμοῖς) constant, quae ad metrorum similitudinem proxime accedunt.

vel Pindari dithyrambo vestiendus est vel Anacreontis poësi amatoria. Sed ne sic quidem inventor laude fraudandus est. Viderat enim prosae orationis leges etiamtum ignotas e poesis legibus jam notis repetendas esse, praesertim quum etiam in oratione (ut bene Cicero in Oratore c. 55) numerum quendam esse sensus ipse indicet. Nimirum docebat non rudem inscitamque puerorum turbam, sed adolescentes ad novam doctrinam apte praeparatos. Hi enim quo melius jam lyricos rhythmos tum ex ipsis lyricis tum e melicis tragoediae cognitos habebant, hoc facilius eos poterant duce praesertim tali magistro ad orationem traducere. Et in omni hac re mox patebit sapienter egisse Thrasymachum neque quidquam magis cavisse, quam ne orationem cum poësi turpiter confunderet. Sed antequam numeros ipsos tractemus, pauca quaedam attingenda sunt, quae quum ad alias rhetoricae partes proprie referantur, tamen etiam cum numeris vinculo quodam cohaerent laxiore. Incipiam autem a Suida s. *Θρασύμαχος*: *Καλχηδόνιος σοφιστὴς τῆς ἐν Βιθυνίᾳ Καλχηδόνος, ὃς πρῶτος περίοδον καὶ κῶλον* [adde hic: *καὶ κόμμα*] *κατέδειξε καὶ τὸν νῦν τῆς ῥητορικῆς τρόπον εἰσηγήσατο* —. Quod justam constantemque rhetoricae formam primus instituisse dicitur, id ad numeros (de quibus apud Suidan tacetur) pertinere nequit, sed et ad has ipsas enuntiati conformationes et ad dicendi genus videtur revocandum esse. Nam hic rhetor quo magis orationem emendaret, enuntiationes in ambitus justos, in membra et incisa primus divisit. Tum haud dubie docuerat, quemadmodum tribus hisce partibus utendum esset. Qui ut de membris incisisque doctrinam paene absolverit, at primarium locum de periodis ipsis perficere totum non potuit. Immo hic Isocrati demum palma data est in genere saltem epidictico, ubi Ciceroni in Oratore c. 61 placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more, hoc est illo ambitu, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio. Similia habet Dionysius De Isocrate c. 2, qui alio loco (De admir. vi Demosth. c. 4 fin.) orbis Isocratei non solum virtutes sed etiam vitia bene exsequitur. Verum enimvero haec nomina: *περίοδος, κῶλον, κόμμα* eorumque significationes Thrasymachus e lyrica poësi mutuatus est. In qua quid sit *κῶλον* quidve *κόμμα* sicut nemo ignorat, ita *περίοδος* quid sibi velit, viri docti (Christium in l. Metrik p. 103 haud excipio) nondum satis scire videntur. Res ita se habet. *Περίοδος* et *σύστημα* significatione omnino nihil differunt. Ceterum *περίοδος* atticum vocabulum est, *σύστημα* hellenisticum, quod primus fortassis metricorum Hephaestio usurpat, etsi non abstinet altero. Quum enim rhetores, qui mature principatum quendam obtinebant, *περίοδος* nomen ‚de ambitu solutae orationis' sibi soli vindicassent: rhythmica periodus, ut res tamen intelligi posset, alio nomine dici coepta est, *σύστημα*. Quod verissime ab nobis dictum esse quum caeteri loci argumento sint, in quibus v. *περίοδος* vim habet rhythmicam, tum plane liquet ex ea dictione, quae de rhythmis duplici modo componendis solemnis est: *κατὰ στίχον ἢ κατὰ περίοδον*. Nam de re prorsus eadem seriores ut Hephaestio ita potius loqui solent: *κατὰ στίχον ἢ κατὰ σύστημα*. Dico autem hic vulgarem periodum sive majorem, non alteram (minorem illam), pro qua tamen ipsa quoque alibi nomen ponitur *σύστημα*. Aliter visum est ‚homini rei metricae male perito' (ut Hermannus in El. D. M. p. 577) Dionysio Hal., qui *στροφήν* potius idem quod *περίοδον* significasse credidit De Admir. Vi Demosth. c. 50: *εἴτε κατὰ στίχον εἴτε κατὰ περίοδον, ἣν καλοῦσιν οἱ μουσικοὶ στροφήν*, et mox iterum: *ἐπὶ τῶν αὐτῶν στίχων ἢ περιόδων, ἃς ἀντιστρόφους ὀνομάζουσι*. At quum strophae et ipsae *κατὰ στίχον* saepe componantur, sequitur hanc quae Dionysio in mentem venit: *κατὰ στίχον ἢ κατὰ στροφήν* oppositionem esse absurdam. Adde quod stropha systematica non unum sed plura systemata conti-

nentur. Quum igitur Thrasymachei circuitus breviores fuerint quam Isocratei: efficitur strophas tam longas fuisse, ut hoc nomine omnino uti non liceret. Contra systematum vel longiorum brevitas praeclare convenit periodo Thrasymachi, sive anapaestorum dimetrorum, sive aliorum apud Dindorfium in ‚Metris scenicis' p. 14, p. 88, p. 163, p. 258, ut dochmiacorum et dactylicorum. Nempe qui *σύστημα* et *στροφή* inter se differant, Hermannus in El. D. M. p. 666 bene demonstravit, etsi ab eodem quum ubique tum etiam illo loco *περίοδοι* male omissae sunt. Sed postquam rhythmorum notitia jam paene abolita ad pedes mere metricos res rediit, tum vero (ut bene Cicero in Oratore c. 66) dicebatur plena comprehensio (h. e. Isocratea demum) ex eo constare, quod quatuor instar sit hexametrorum. Atqui plurimae strophae aut aeque longae sunt aut etiam longiores. Ceterum fieri potuit, ut prima forma periodi ab lyricis peteretur: recte enim Aristoteles in Rhetor. III, 9 periodum similem esse judicat lyricorum antistrophis. Porro musici graeci saepe adhibebant ‚tempora inania' compluribus modis, ut e nominibus *λεῖμμα, πρόσθεσις, σιωπή, χρόνοι σιωπῆς, χρόνοι κενοί* adparet, quae a Boeckhio De Metris Pindari p. 74—77, Hermanno in Epit. D. M. p. 18 et p. 255 ed. sec., Christio in l. Metrik p. 36 aliisque explicata sunt. Hac quoque re, quae cum commate, colo et periodo necessario cohaeret, Thrasymachus usus esse videtur ad sententias earumque partes recte interpungendas. Quare non unum librari interductum sed plures notas certorum temporum introduxit. Nam ut olim ab lyricis poëtis, ita etiam a primis jam (ut videtur) rhetoribus aliud silentium unius temporis, aliud duorum, quaternorum aliud esse censebatur. Vide exempli causa ea, quae Nicanor aliique grammatici non jam ab ipsis poëtis sed ab rhetoribus demum acceperant, scholium Veneti prioris ad Jl. β', 132 de subdistinctione: — *θετέον τὴν ἄνω δευτέραν στιγμὴν, ἥτις ἕνα χρόνον δύναται σιωπῆς*, ad Jl. β', 52: *ἐπὶ τὸ ‚κήρυσσον' ἄνω πρώτη στιγμὴ, ἥτις δύο δύναται χρόνους σιωπῆς*, ad Jl. β', 23: *τελεία στιγμὴ κατὰ τὸ τέλος —. τέσσαρας δ' αὕτη χρόνους σιωπῆς δύναται.* Accedo ad Gorgiae delicias, ad paria paribus adjuncta, extrema pari sono terminata et item contrariis relata contraria: quae quodammodo pro aliqua parte numerorum ipsorum haberi possunt. Nam multis saepe locis Tullius recte judicat haec sua sponte, etiamsi id non agatur, cadere plerumque numerose. Tum in Oratore c. 52 bene scribit Gorgiam haec primum invenisse: loquitur enim et clamat historia. Sed ibidem c. 12 melioris soni causa nomina transposuit, quod in re adeo nota facere licitum erat. ‚Haec tractasse, inquit, Thrasymachum Calchedonium primum et Leontinum ferunt Gorgiam —'. Et haec quidem Gorgias omnia fere e poëtis, nec tamen e solis lyricis, verum etiam ex aliis (epicis puta et tragicis) repetierat. Sed loco postremo (c. 12) Thrasymachus quoque haec omnia tractasse dicitur. Quodsi ipsius Thrasymachi ex hoc genere locus nullus exstaret, contentos esse nos oporteret Tullii (ibid. c. 12) de Thrasymacho, Gorgia, Theodoro verbis his: ‚quorum satis arguta multa, sed ut modo primumque nascentia, minuta et versiculorum similia quaedam nimiumque depicta'. Ac profecto in loco longiore ap. Dionysium De admir. vi Demosth. c. 3, ut supra dictum est, nusquam Thrasymachum videmus *γοργιάζειν*. Ex quo sequitur non semper eum his festivitatibus usum esse, quibus alii, ut ipse Gorgias ut Agatho poëta paratragoedus nusquam poterant abstinere. Quis enim animi causa non legit Agathonis in Convivio Platonico inde a p. 194, E orationem, quae tota omnibus his ineptiis adeo referta est, ut in ea Gorgiam ipsissimum vivere dicas et spirare? Hic enim Agathonem juvat quum ubique doctas posuisse figuras, quae ad unam omnes numerosae sint, tum antithetis non vulgaribus

sed eis solis uti, quae a Persio I, 85 ‚rasa' dicuntur. Cujus generis pleraque sunt etiam Isocratis, non omnia tamen, sicut hoc in Panegyr. p. 8, 4: *ὥσθ' οἷόν τ' εἶναι — τά τε παλαιὰ καινῶς διελθεῖν καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν* hirsutum antitheton est minimeque ‚rasum'. Vide vel Longinum De Sublim. 38 p. 60 ed. Jahn. Atque etiam in Aristophanis versu ap. Bekkerum (Anecd. p. 410, 15): *καὶ κατ' Ἀγάθων' ἀντίθετον ἐξευρημένον* O. Jahnius *ἐξυρημένον* optime correxit. Alia multa Agathonis antitheta bene rasa ego ad Arist. Thesmoph. p. 591 collegi. Sed Thrasymachus alumnos non solum praeceptis instruere verum etiam exemplis adjuvare debebat. Itaque numerorum inventor ne has quidem figuras plane poterat negligere, quas plerumque sciret cadere numerose. Et in Thrasymachi oratione ap. Platonem De Republ. I p. 343, B quum reliqua alius generis sint, unus tamen inest locus, in quo mire *γοργιάζει* p. 344, A haec verba dico: *πάντων δὲ ῥᾷστα μαθήσει, ἐὰν ἐπὶ τὴν τελεωτάτην ἀδικίαν ἔλθῃς, ἣ τὸν μὲν ἀδικήσαντα εὐδαιμονέστατον ποιεῖ, τοὺς δὲ ἀδικηθέντας καὶ ἀδικῆσαι οὐκ ἂν ἐθέλοντας ἀθλιωτάτους. ἔστι δὲ τοῦτο τυραννίς, ἣ οὐ κατὰ σμικρὸν τἀλλότρια καὶ λάθρᾳ καὶ βίᾳ ἀφαιρεῖται καὶ ἱερὰ καὶ ὅσια καὶ ἴδια καὶ δημόσια, ἀλλὰ ξυλλήβδην.* Quamobrem sic censeo et hac in oratione Thrasymachi in adhibendis figuris moderationem et in Convivio Agathonis luxuriam a Platone pari felicitate expressam esse. Ipsis vero numeris ab se primum inventis, quibuscum Gorgiae inventio non confundenda est, idem est usus intemperantius, si tamen Cicero in Oratore c. 52 recte judicat ‚Thrasymachi omnia nimis etiam exstare scripta numerose'. Ac primo ut sciamus, utrum ille inventor in oratione meris rhythmis an metris quibusdam usus sit, videndum est, quam vim habeat ‚rhythmus poëticus': nam de ‚metri' notione nulla controversia est. Rejectis igitur aliis opinionibus, quae in Bacchio p. 23 multae exstant, illam potius quae ibidem et alibi allata est Aristoxeni finitionem: *ῥυθμός ἐστι τάξις χρόνων* plurimi recte comprobarunt. Quum igitur multo latius pateat ‚rhythmus' nec solum (ut metra) in verbis et in poësi sed etiam in arte musica in corporis motu aliisque insit: ideo ‚metra' partes ‚rhythmorum' Aristoteles in Poët. IV, 7, in Rhetor. III, 8, Aristides Quintil. D. M. p. 49 et alii complures esse voluerunt. Quodsi rhythmi meri primum adhibiti sunt, sic quoque verendum erat, ne rhythmus in metrum oratio in poësin verba in versum pessime abirent. Itaque ei rhythmi quibus justum metrum contineretur longe fugiendi, nec nisi eae partes rhythmorum seligendae erant, quibus aut nullum metrum aut non plenum neque integrum effici posset. Adeo natura rei tulit, ut quum metra omnia tum rhythmos metro pares aut nimium similes inventor effugeret et certa tantum rhythmorum genera sectari posset. Quo facto et quae quaesita erat aurium voluptatem invenerat nec temere in ullius reprehensionem incurrebat. Quare rem sic putabat invertendam esse, ut jam in oratione rhythmi exiguae quaedam partes fierent metrorum. Ac profecto hanc ab illo viam initam esse Cicero in Oratore c. 12 docet, ubi Thrasymachum narrat ‚minuta et versiculorum similia quaedam' habuisse et mox clarius c. 13, ubi eum ait concisum fuisse ‚numeris minutis'. Tales tamque minutos numeros per se fundunt, ut his utamur, quaevis penthemimere, veluti praeter dochmiaca etiam iambica et dactylica. Ita quaecunque in numerorum expositione Dionysius Hal., Tullius et Quintilianus de metricis pedibus (quos ipsi solos probant) saepenumero afferunt, ea ad tempora pertinent seriora: contra sicubi eidem sine metro numeros eorumque tempora et intervalla explicant, antiquos auctores secuti ea tradunt, quae in Thrasymachi aetatem belle conveniant. Veluti dochmius huc referendus erit, quem Tullius in Oratore c. 64, dum semel ponatur, quovis loco aptum

esse censet, Quintilianus autem IX, 4, 97 in clausulis ut stabilem et severum. Eodem spectat illud Aristotelis in Rhetor. III, 8 init.: *ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσται. ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς· τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν μέχρι του ᾖ.* Deinceps Aristoteles (a quo totus pendet Quintilianus IX, 4, 87) paeona, quod versum aut metrum nusquam faciat, probat maxime eumque a Thrasymacho dicit inventum esse. Quum autem hunc rhythmum sciamus in lyrica maxime poësi fuisse frequentem: Aristoteles quodammodo testatur inventorem id egisse, ut ab lyricis sumta genera numerorum in orationem traduceret. Itaque Thrasymacho vix usquam accidisse videtur, ut in versum poëticum quasi in caecam foveam incideret. Et Tullius quidem (l. l. c. 52) in rhythmis neminem scientius versatum esse dicit Isocrate suo, cujus numeros inventore fuisse ‚molliores' (ibid. c. 13). Sciebat tamen (uti postea c. 56 ipse narrat) Hieronymum Rhodium ex Isocrati libris triginta versus elegisse: et aliquanto plures colligi ex Isocrate facili opera poterant. Recte enim Dionysius H. (De Isocrate c. 2): *περιόδῳ τε καὶ κύκλῳ περιλαμβάνειν τὰ νοήματα πειρᾶται ῥυθμοειδεῖ πάνυ καὶ οὐ πολὺ ἀπέχοντι τοῦ ποιητικοῦ μέτρου.* Hinc semper existimavi ab Aristotele in Rhetor. III, 8, ubi usum numeri oratorii arctis finibus circumscribit, multo minus Thrasymachum quam eum esse petitum, cui ubique infensus est, Isocratem. Postquam enim dixit rhythmos heroicum, iambicum, trochaicum pedestri orationi parum convenire, de iisdem ita perrexit: *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ διότι μετρικοί* tumque alia addidit in eandem sententiam. Cadit autem hoc crimen in Isocratem orbis praelongi venatorem, cui invito versus iambici aliique toties exciderunt: in Thrasymachum vero vix cadere videtur. Hic enim quum cola ponebat crebra et rariores ambitus, tum e lyricis non metra sed numeros adsumebat, ut hos:

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –

et ⏑ –́ ⏑ – ⏓

et –́ ⏑. – ⏑ –.

Adeo oratorii numeri inventor cum Sophrone mimorum poëta comparari potest, qui et ipse prosam orationem colis inclusit rhythmicis, ut bene G. Hermannus ad Aristot. De Poët. p. 93 et O. Jahnius Praef. ad Persium p. LX. Quae quum ita sint, Isocrati correctori, cujus ego numeris parum delector, Platonem et Demosthenem, qui in hac re sequi Thrasymachum solebant, longe censeo anteponendos esse. Nam ex horum oratione quamlibet numerosa si quis XXX versus eruere conetur, frustra sat scio laborabit. Optime enim Demosthenem cavisse, ne numeri ejus ad metra temere aberrarent, Dionysius Hal. quum alibi tum De admir. vi Demosth. c. 50 observavit. Sed nondum ab Aristotele in Rhetor. III, 8 discedere possum. Quo in loco haec verba: *λείπεται δὲ παιάν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι, οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν* non carent vitio. Nam scholium ultimis *οὐκ — τίς ἦν* primo additum, moxque post *μέν* male insertum ita ut codd. quidam exhibent: *ἐχρῶντο μὲν ὡς ἐν ἀπορρήτῳ ἀπὸ —,* hoc igitur scholium (id quod saepe accidit) post *μέν* falso vocem expulit genuinam. Aristoteles enim quemadmodum sententia aperte poscit, ita potius scripserat: *λ. δ. π., ᾧ ἐχρῶντο μὲν πάντες ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι —.* Ac ne quis dubitet, Cicero in Aristotelis codice quo tum utebatur hic *ᾧ ἐχρῶντο μὲν πάντες* adhuc legerat, ut animadvertisse mihi videor ex Oratore c. 57 § 193: ‚Ita paeana probat (Aristoteles) eoque ait uti omnes, sed —.' Sic in Aesch. Agam. v. 110 glossema *δίκας,* ut est in codd. omnibus, duo verba ipsius Aeschyli expulit: *καὶ χερί* (servata illa ab Arist. in Ran. v. 1289): et ita sexcenties. De numero autem paeonico sic habendum est. Ad

hoc genus praeter paeones et creticos etiam palimbacchium – –́ ⏑ (in prosa sola usitatum, ut bene Rufinus in Rhet. Minor. p. 580 ed. H.), bacchium ⏑ –́ – et dochmium ⏑ –́ –́ ⏑ – veteres referebant. Haec tamen dissensio, quae inter Thrasymachi sectatores et Aristotelem fuit, ad unum pedem spectat creticum. Hunc Aristoteles a paeone utroque pluribus de causis omnino vult segregatum. Principio enim, ut ego olim ad Arist. Thesmoph. p. 628 recte observavi, bini ictus pedi cretico, paeonibus autem veris singuli ubique imponuntur:

–́ ⏑ –́ | –́ ⏑ –́ ‖ –́ ⏑ –́ | –́ ⏑ –

et contra

–́ ⏑ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑

vel

⏑ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑ –́ | ⏑ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑ –.

Tum optime Aristoteles l. l. metri genus esse paeonem negat nec quidquam aliud esse defendit nisi certum quendam numerum. Contra cretici non pro mero numero sed metri loco habendi sunt. Nam pes creticus, etsi in dipodiam trochaicam catalecticam postea abiit, primitus tamen ab hac ipsa dipodia omnino nihil differebat, sed trochaicus dimeter quam vim habet:

–́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑

prorsus eandem nascens habuerat dimeter creticus .

–́ ⏑ –́, –́ ⏑ –́,

cum brevis syllabae post creticum silentio. Quod nuper nos docuit Heliodorus ap. schol. ad Hephaest. p. 77 Gaisf. ed. sec: *Ἡλιόδωρος φησὶ κοσμίαν εἶναι τῶν παιωνικῶν τὴν κατὰ πόδα τομήν, ὅπως ἡ ἀνάπαυσις διδοῦσα χρόνον ἐξασήμους τὰς βάσεις ποιῇ καὶ ἰσομερεῖς ὡς τὰς ἄλλας· οἷον ‚Οὐδὲ τῷ Κνακάλῳ οὐδὲ τῷ Νυρσύλα‘* (Alcmanis versus est, ut bene Bergkius in Lyr. Gr. P. III p. 840 ed. tert.). Quo factum est, ut cretici initio caesuram haberent post pedes singulos, quemadmodum (sicut optime Seidler De VV. Dochm. p. XX et p. 137) bacchii singuli plerumque una cum verbo terminantur. Quum igitur Aristoteles illo ipso loco trochaeum ut nimis volubilem similemque cordaci in oratione exploserit, non poterat quin ab cretico i. e. a pede item trochaico procul abhorreret. Videtur autem ille quoque, uti Cicero in Oratore c. 64, Quintilianus IX, 4 § 79 et alii creticum etiam ideo quod postea tres tantum syllabas habebat, justi metri, et paeonem quod plures habebat, numeri loco non metrici pedis duxisse. Denique Aristoteli ea favent, quae ego ad Arist. Ran. v. 849 de hyporchematis exposui. Haec enim testibus Athenaeo V p. 181, b et Sosibio ap. schol. Pindar. ad Pyth. II, 127 invenerant Cretenses, et uti idem apud scholiastam, Thaletas Cretensis versibus utens creticis. Illo primum tempore cretici in justos numeros mutati non sine saltatione etiam canebantur. Itaque antiquiora *ὑπορχήματα* fuerunt quam *παιᾶνες* et priores etiam cretici pedes quam veri paeones, qui immutata numeri natura ex illis demum enati sunt. Confer Hom. Hymn. Apoll. v. 518. Sed saltatio ista et ipsa carmina cujusmodi fuerint, vel ex eo patet, quod *ῥυθμοὶ ὑπορχηματικοί* in oratione reprehendi solebant (Dionys. H. De admir. vi Dem. c. 43) et multo certius ex Athenaeo XIV p. 630, e: *ἡ δ' ὑπορχηματικὴ τῇ κωμικῇ οἰκειοῦται, ἥτις καλεῖται κόρδαξ.* Ut enim trochaici tetrametri primum nascentis et adhuc ludibundae tragoediae (Aristot. De A. Poët. IV, 17) ab eodem in Rhet. III, 8 *κορδακικώτεροι* jure dicuntur: ita etiam hyporchemata cum cordacis simili saltatione erant conjuncta. Ergo ut duo carminum genera, *ὑπορχήματα* et *παιᾶνες* toto

coelo distare videntur, ita creticos numeros a paeonibus credas longe secernendos esse. Quae omnia tametsi multum valent, tamen sunt etiam, quibus non Aristotelis sententia sed Thrasymachi defendi possit. Quum enim in Rhetor. III, 8 haec legantur: *οὐκ εἶχον δὲ λέγειν, τίς ἦν* (sc. *ὁ παιάν*), Thrasymachum in oratione liquet non tantum paeonicos pedes sed etiam vere creticos agnovisse. Hi autem temporis decursu sensim plus dignitatis consecuti sunt. Nam in tragoedia quoque et apud ipsum Aeschylum carmina e creticis composita non semel leguntur. In quibus pro cretico vulgari –́ ⏑ –́ etiam solutiones reperiuntur, nusquam tamen paeones –́ ⏑ ⏑ ⏑ vel ⏑⏑ ⏑ –́ sed tantum cretici soluti –́ ⏑ ⏑́ ⏑ vel ⏑́ ⏑ ⏑ –́. Omnino autem in oratione numeri et pedes metrici non ut Aristoteles hic agit quadam aurificis statera sed uti Thrasymachus, populari trutina ponderandi sunt. Neque enim orator si creticos pedes libenter adscivit, ideo putandus est saltasse cordacem. Quod autem ad usum paeonis utriusque attinet, Thrasymachus et caeteri primo paeone ab initio sententiae uti solebant probante ipso Aristotele. Cujus rei quum multa adferri exempla possint, rhetores (ut Dionysius De Comp. V. p. 242 et iterum p. 396 ed. Sch., ut Quintilianus IX, 4 § 63) certatim utuntur Demosthenico Pro Ctesiphonte init: *τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις*. At in fine sententiae quartum paeonem ⏑ ⏑ ⏑ –́ philosophus conlocari jubet neque id negat ab se primo excogitatum esse. Et qui hacce clausula usus sit, oratorem atticum reperire nullum potui. Sed in lyricorum paeanibus eam necesse est haud infrequentem fuisse. Atque ipse, ne nihil dicas Aristotelem secutum esse, unum hujus generis versum lyricum protulit. Tum in tragoediae melicis non est ille quidem invisitatus, perraro tamen legitur ut in Eumenidibus. Probe autem teneamus Aristotelem de ipso paeone quarto ⏑ ⏑ ⏑ –́ loqui apertissime. Abs quo justi cretici solutio haec ⏑́ ⏑ ⏑ –́ longe abhorret, quam in fine trimetri et tragici et comici ejusque tum graeci tum latini usitatam esse constat. Ac de hoc graecorum poëtarum usu Seidler (De VV. Dochm. p. 380 sqq.) praeclare disseruit. Eadem latini senarii ratio est, ut quaevis Plauti comoedia docet itemque Terenti, ut in Andr. Prol. v. 6, ibid. v. 25, et I, 1, 17; I, 1, 30; I, 1 v. 90, v. 96, v. 113, II, 6, 6, Eunuch. II, 3, 49, Hecyr. Prol. II, 26 caet. Qui poëtarum usus tam constans est, ut inde sequatur Aristophanem Byz. ejusque pedisequos grammaticos latinos de accentu errasse, quem ultra tertiam a fine syllabam rejici vetuerant. At Graeci non aliter nisi sic pronuntiabant: *ἄναμενει, βάσιλεων, ἄπολεσας, δίολεσω, κάταβαλειν, κάταγελαν, πάρακαλεις, πέριβολαι* et sic porro. Nec vero Romani, de quibus jam Hermannus in El. D. M. p. 64 recte judicavit, alio nisi hoc uno modo: múlieres, témeritas, rédiero, tétigeris, céciderit caet. Haec hactenus de Rhetor. III, 8 loco gravissimo, qui multos ipsumque in El. D. M. p. 193 sq. Hermannum in errores induxit, alios autem ut Christium in l. Metrik p. 81, p. 114, p. 423 sqq. mirifice vexavit. Ceterum Hermannus metricae artis restitutor semper paeonicos versus a creticis optime discrevit: recentes autem rhythmici hic quoque id agunt, ut utrisque rursum confusis omnia misceantur. Sed quum Thrasymachus paeonicum numerum ab se inventum mox plurimis et ipsi partim Aristoteli probasset: rhetorum animos hoc paeone adeo implevit, ut eum quasi necessarium in oratione et paene sacrosanctum adorare viderentur. Ita (Demetrius) homo caeteroqui prudens neque indoctus de paeonis tamen usu multa scripsit inficete (De Elocut. c. 38—41 fin.). Contra Aristoteles etsi nullum in oratione nisi paeonicum numerum probavit: tamen ne in hujus quidem numeri laudem effusus est, quem orienti tantum et cadenti sententiae aptum esse judicat (Rhetor. III, 8). Falsum est igitur, quod Cicero

in Oratore c. 64 scribit: ‚est quidem, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem Theophrastum Theodectem Ephorum (paean) unus aptissumus orationi vel orienti vel mediae; putant illi etiam cadenti —‘ nec solum de Aristotele falsum additamentum est ‚vel mediae‘, sed etiam de Theophrasto et Theodecte. Et hoc quidem ex ipso Cicerone l. l. c. 57 § 194 intellexisse videor: ‚atque haec, inquit, quae sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto Theodecteque de paeane dicuntur‘. Reliquum est, ut aut Tullius memoriae errore illud ‚vel mediae‘ falso addiderit, aut ex uno id sumserit Ephoro, qui sane (ut paullo ante c. 57 § 191 dictum est) ‚paeana secutus est aut dactylum‘. Denique fuerunt, qui paeonicum numerum omnino reprobarent eumque prae iambico et aliis contemnerent indignante Tullio c. 57 § 192: ‚qui paeana, inquit, praetereunt, non vident mollissumum a sese numerum eundemque amplissumum praeteriri‘. Deinde in clausulis et graeci oratores magno studio elaborare solebant et latini multo etiam majore. Et hae quidem tanquam domo ex omnibus fere poëtis repeti solebant. Vix enim ullum est metri antiqui genus, in quo non plurimum valeat catalexis. Hic tamen (quod ad rhetoras attinet) Thrasymachi mentio nulla usquam injecta est. Itaque quae de clausulis orationum dici possunt, omnia in aliud tempus malo differre. Ceterum de clausulis haud pauca quum aliunde tum ex Platone collegi, cujus ego numeros in certis potissimum dialogis (velut in Convivio et in Menexeno) omnino admiror. Est in Convivio p. 180, D locus egregius, in quo Taurus apud Gellium XVII, 20 orationem brevibus et rotundis numeris devinctam praedicat, quem locum A. Gellius ibidem scite modulateque composuit ore latino. Deinde aptos numeros non solum in Demosthene et caeteris oratoribus, sed etiam in ipsorum poëtarum locis indagare studui. Sic mihi quidem numerosa esse videntur pleraque, quae in comoediis graecis quasi soluta plane oratio metro carent, inprimis Arist. Avv. 1040 (quae Brunckius et ipse Bentlejus pro versibus male habuerunt) et ejusdem verba personae ibid. v. 1050, tum sacerdotis preces et in Avv. 865—887 et in Thesmoph. v. 295—311. Quanquam nonnulla in his locis manifesto vel defecta sunt vel corrupta. Ut enim nunc est, rhythmis fortasse carent verba novae personae in. Avv. 1046: *καλοῦμαι — μῆνα.* Porro quod ad tempora pertinet, Cicero in Oratore c. 51 tradit in Graecis quidem jam annos prope quadringentos esse, cum numerus oratorius probetur; Romanos autem nuper demum agnovisse. Quot ille ab inventore ad suam aetatem dinumerat, totidem annos fac addas a Cicerone usque ad Libanium. Habebis annos octingentos, ut supra diximus, quibus numeri a Thrasymacho reperti apud Graecos floruerint. Neque intra tam longum spatium numerorum cura unquam intermissa est, etsi alium alias et eum saepe minus prosperum habuit successum. Prae caeteris explosi sunt, partim tamen etiam laudati rhetores Asiani. Hi ditrochaeo terminare clausulas solebant, in quo si modum tenuissent, non essent deridendi. At isti numerorum causa verba inculcabant prorsus inania. Recte Theon in Progymnasm. (I p. 169 ed. Walz.) fugiendam esse docet *τὴν ἔμμετρον καὶ ἔνρυθμον λέξιν, ὡς τὰ πολλὰ τῶν Ἡγησίου* —. Ita Hegesias oppositus erat Thrasymacho, cui similis videri poterat infringendis concidendisque numeris et toto genere versiculorum simillimo (Cic. in Oratore c. 69). Sed intolerabiles fuisse numeros Hegesiae Dionysius De Comp. Verb. p. 250 ed. Sch. exemplo ostendit luculento. Tum pronuntiatio quoque Asiaticorum cum pravo eorum numero cohaeret. Canere enim et inclinata voce ululantique canere solebant, quam perversitatem Tullius in Oratore c. 8, Quintilianus XI, 3, 57 et omnium lepidissime Lucianus in Rhet. Praec. c. 19 exagitarunt. Quanquam natura, ut recte Cicero alicubi,

inest in oratione res per se non reprehendenda, cantus quidam obscurior. Hinc Philostratus in Vit. Soph. p. 589 in Adriano sophista laudavit *τοὺς πεζῇ τε καὶ ξὺν ᾠδῇ ῥυθμούς.* At Hegesias non minus sententiis peccabat quam verbis, ut eum Cicero in Oratore c. 67 summo jure appellaverit ineptum. Quod ad eos rhetoras sive sophistas attinet, qui sub imperatoribus viguerunt, ex tanto eorum numero dolemus hodie tam paucos superesse. Ceterum ab iis quoque qui interciderunt, numerorum rationem videre adhuc possumus minime neglectam fuisse. Ita Philostratus in Vitis Sophistarum p. 589 Adriani rhythmos fuisse tradit admirabiles, itemque p. 573 tum Alexandri tum Herodis Attici numeros eximie praedicat, Apollonii autem p. 601 sq. plerosque reprehendit tanquam *ἐμμέτρους τε καὶ ἀκολάστους,* paucos laudare ausus utpote *ῥυθμοὺς σωφρονεστέρους.* Et numeri eorum quoque, qui aetatem tulerunt, simili modo inter se videntur differre. Velut Maximi Tyrii rhythmos mediocres tantum esse judico, praeclaros vero Dionis Chrysostomi. Neque ita multo post sub Marco Antonino nobile par sophistarum floruit, Aelius Aristides, de quo alius nobis erit dicendi locus et Lucianus Samosatensis. Et hujus quidem numeros Photius in Bibliotheca cod. 128 magnis laudibus extulit, qui atticismo Luciani egregie commendato ita pergit: *συνθήκῃ τε αὐτῷ οὕτως ἥρμοσται, ὥστε δοκεῖν τὸν ἀναγινώσκοντα μὴ λόγους λέγειν, ἀλλὰ μέλος τι τερπνὸν χωρὶς ἐμφανοῦς ᾠδῆς τοῖς ὠσὶν ἐναποστάζειν τῶν ἀκροατῶν.* Cur autem de hoc argumento in universum nunc scriberemus, haec nobis causa fuit vel praecipua, quod vehementer optandum est, ut numeri orationis solutae melius quam adhuc contigit et multo certius indagentur. Nam ut omnes ordine editores oculis perlustrentur, de plurimorum numeris oratorum apud eos altum silentium est. De ipso vero Isocrate, cui tandem bono est nihil fere aliud nisi hoc scire hiatuum osorem ingentem fuisse et numeri cujuslibet amatorem mirificum? Ante omnia autem de numeris oratorum seorsim nec sine magna cura disserendum est, ut de Demosthenis numeris alius libellus, alius de Platonicis, de Isocrateis rursum alius, de singulis denique singuli quam primum componantur. Quis enim neget doctas et subtiles hujusmodi scriptiones magno usui futuras esse? Has ipsas vero in edendo Luciano, ubi ad rem dubiam ventum esset, saepe desideravi, qui scirem scriptores atticos mutuo sibi invicem esse auxilio. Quin etiam in critica arte numeri magnum faciunt momentum, praesertim si de collocatione verborum dubitatur. Etenim ut lex logica et usus scriptoris plurimum valent, ita numerorum quoque quum in aliis tum in Luciano ratio semper ducenda est. Nunc quoniam de graecis scriptoribus satis dictum videtur, de latinis quoque nonnihil addendum est. Incipiam autem ab re gravissima, quae et latinos omnes, qui quidem numerose scripserint et graecorum auctorum partem aliquam complectitur. Quod supra dixi numerorum inventum DCCC circiter annis permansisse, brevitati serviendum erat: res enim ita se habet. Rhythmorum notitia ipsorum, quos Thrasymachus videtur solos adhibuisse, duobus aut tribus post inventorem saeculis obscurata cito evanuit: quorum in locum metrici pedes succedere coeperunt. Sed quoniam numeri et metra in unum plerumque locum conveniunt: illi quoque oratores, qui metra tantum non item numeros tenebant, recte censeri possunt alio quodam modo in rem suam Thrasymachi inventum convertisse. In hunc censum jam graeci aliquot rhetores veniunt ut Dionysius Halicarnasseus, qui ubicunque Demosthenis et aliorum numeros solvere conatur, ipse constanter in metra dissolvit idque data opera ab se fieri profitetur De Compos. Verb. p. 218 Sch.: *πᾶν ὄνομα καὶ ῥῆμα — ἐν ῥυθμῷ τινι λέγεται· τὸ δ' αὐτὸ καλῶ πόδα καὶ ῥυθμόν.* Latini vero scriptores, ut Cicero, ut Quin-

tilianus quamvis crebro sicut Graeci *ῥυθμούς* ita ipsi ‚numeros' commemorent et eo nomine se soleant jactare: nihil tamen aliud dicunt nisi pedes metricos *). Quorum mensura quum longe certior sit quam numerorum: necesse est sic quoque orationem manere numerosam. Nam (ut bene Cicero l. l. c. 53) aures naturalem quandam in se continent vocum omnium mensionem. Quod ad fontes graecos pertinet, Ciceroni in ‚Oratore', ut Quintilianus IX, 4, 79 testatus est, ‚eminentissimi Graecorum', et ut O. Jahnius (Proleg. p. 22 ed. tert.) conjecit, cum Aristotele Theophrastus duces fuerunt praecipui. Tum Quintilianus, qui Ciceronis duces certo noverat, etsi accedit in plerisque Ciceroni, tamen non tantum subinde dissentit, sed etiam de ipsis numeris multa addit ab Tullio omissa. Hinc elucet alios Quintiliano fuisse auctores: ut (si tamen Theophrastum Cicero inprimis expressit) ipse potius vel Theodectem vel Ephorum vel Naucratem sit secutus. Tantum tamen abest, ut illi verbum de verbo reddiderint, ut suo uterque judicio utatur multaque ipse adjiciat et maxime Tullius, qui c. 67: ‚plura, inquit, de numerosa oratione diximus quam quisquam ante nos'. Nunc primum de vitiis Ciceronis ejusque pedisequi exponere placet, deinde de utriusque virtutibus. Unum modo errorem, sed eum maximum O. Jahnius in Proleg. p. 23 Ciceroni imputat, quod natura rhythmi, unde proficiscendum fuerit, parum sit inlustrata. Nec sane quae c. 53 sqq. ea de re leguntur, possunt satisfacere culpa etiam librariorum. Etenim c. 56 quum caeteros tum Jahnium gravis menda in his effugit: ‚quodsi et angusta quaedam atque concisa et alia est dilatata et fusa oratio, necesse est id non literarum accidere natura, sed intervallorum longorum et brevium varietate: quibus implicata atque permixta oratio quoniam tum stabilis est tum volubilis, n e c e s s e e s t e j u s m o d i n a t u r a m n u m e r i s c o n t i n e r i'. Tu fac suppleas corrigasque in hunc modum: n e c e s s e e s t e j u s m o d i [v a r i e t a t e m] n a t u r a n u m e r i c o n t i n e r i. Adhuc enim illo loco Tullius versatur in explicanda numeri natura. At sic quoque ego me haud diffiteor, quidnam sit ‚natura numeri' non ex hoc potius Ciceronis loco quam ab G. Hermanno metricorum principe primum recte didicisse. Equidem alia vitia adferam, in quae scriptores ab Graecia nimium suspensi facile poterant incidere. Primum enim et Cicero et Quintilianus ubique sic agunt, quasi ea praecepta, quae solis Graecis Graeci dederant, omnia fere data fuerint etiam Romanis. At quum in numeris et in metris brevitas syllabarum et longitudo momentum faciant, ab altera lingua alteram plurimum videmus distare, graecam brevibus abundare syllabis, longis autem latinam. Ut exemplo utar, unum numerum in Graecia florentem, Latio tamen ob tot syllabas breves tam raro concessum, paeonicum dico multo melius mihi videntur omissuri fuisse. Nunc illi toties commemorant atque adeo laudant hunc ipsum numerum, ut credidisse videantur Aristotelem quasi vatem paeones Romanis quoque commendatos voluisse. Deinde id quod apud Aristotelem in Rhetor. III, 8 luce clarius est, antiqui rhetores in oratione solos fere curabant numeros, contra Tullius et Fabius metricos tantum pedes metiebantur. Ita Theophrastus sive alius, cujus verba Cicero in Oratore c. 57 fecit latina, Ephorum jure castigat, quod syllabis metiendos pedes quasi metricos parum constanter existimarit, non utpote numeros temporibus et intervallis distinguendos esse. Ergo quod Cicero ibidem censet ‚omnes in oratione esse quasi permixtos et confusos pedes'

*) Graeci vocem *ἀριθμός* et de veris rhythmis ponunt ut Aristoteles in Rhetor. III, 9: *ἀριθμὸν ἔχει ἡ ἐν περιόδοις λέξις*, et de metris, ut idem ibidem paullo post: *ἀριθμὸν ἔχει τὰ μέτρα, ᾧ μετρεῖται.* At latina vox ‚numerus' ad metricos tantum pedes refertur tum poëtarum (ut quum Plauti ‚numeros innumeros' dici videmus) tum etiam oratorum.

hoc dicit (quod per se verum est), vix ullam orationem esse, in qua non omne genus pedum metricorum reperiatur. At ille hanc ipsam rem iis, quibus profecto idem visum erat, Aristoteli, Theophrasto Theodectique nimium male opponit. Hi singulos fere in oratione numeros probaverant, Aristoteles paeonicum, quidam iambicum et alii alium, Ephorus autem binos, cum paeane dactylicum. Quos Cicero si tamen refutare voluit, non potuit quin hoc diceret, numeros omnes una in oratione permiscendos esse et confundendos: quo nihil est absurdius. Quis enim non omnibus sibilis oratorem explodat, qui sublimes numeros Pindari cum levibus dramatis satyrici et hilares Aristophanis cum severis Aeschyli copulare coeperit? Quae quum ita sint, Quintiliani inscitia IX, 4, 87 non ferenda est, qui Thrasymachum, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem et Ephorum miratur in hac opinione fuisse, ut in oratione alios pedes metricos eligerent aliosque damnarent. Quos enim pedes isti temere damnarunt, hi ‚irrumpent, inquit, etiam ad invitos, nec semper illis heroo aut paeane suo uti licebit'. Ceterum hi latinorum scriptorum errores e communi fonte auctorum manarunt graecorum, qui ita potius legi voluerant, ut judicium cognitioni ne praecurreret. Sed ut ad libri aurei, cui nomen est ‚Orator' magnas virtutes transeam, neque ullus illorum errorum ad linguam refertur latinam, neque (ut recte Quintilianus IX, 4, 1) ullum opus Ciceroni magis elaboratum est hoc ipso ‚Oratoris' loco de compositione. Scripsit autem haec tam subtiliter tamque adcurate quum lectorum gratia rei ipsius magnitudine adductus, tum etiam sui defendendi causa ab Calvo, Bruto ipso et aliis lacessitus. Hi enim Tullium solutum et enervem, item fractum atque elumbem esse loquebantur, semet ipsos vero atticos et uni Lysiae similes dici haberique cupiebant. Iidem vero adversarii, ut est apud Tullium l. l. c. 54, numeris in oratione utendum esse omnino negabant. Nempe isti non Tullio bellum indixerant, sed periodum Tullianam, insigne decus eloquentiae latinae evertere conabantur. De qua re ne quis dubitet, numerus oratorius cum periodo tam arcte cohaeret, ut ab altero alterum divelli nisi cum utriusque pernicie non possit. Nam ambo et uno tempore ab Graecis primum inventa, et sicut Aristoteles in Rhetor. III, 9 demonstravit, naturali inter se vinculo juncta planeque concreta, et ab eodem Isocrate una ambo perfecta sunt. Hic autem, ut bene Tullius l. l. c. 61, ea circumscriptione utitur, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad in singulis sententiis absolutis insistat. Post Ciceronem vero labente paullatim eloquentia latina primo numeri vis depravari coepta est, deinde ars periodi magis magisque corrupta, postremo periodo una cum numero sublata ambo funditus interierunt. Tum vero omnes ad nascentis orationis rude initium revoluti erant. Quorum alii eique saniores (Aristotelis in Rhetor. III, 9 fortasse memores) ad Herodoteum dicendi genus refugiebant, quo Graeci quoque primum omnes usi fuerant: alii ut apud Graecos Asiani atticae linguae corruptores, sic isti incisim membratimque loquebantur. Quo facto hi meliore se loco quam illos sperabant futuros esse, quorum sermo saepe tam incertus vagabatur, ut ne finem quidem invenire posset. Hinc neque interspiratione in mediis sententiis abstinebant, neque in ipso fine debiles voculas, ut ‚ei, eam, eum, eas, eos' ponere dubitabant, id quod in Plinio majore, in Justino et interdum Suetonio animadvertere licet. Longe aliter vero Aristoteli in Rhetor. III, 8 et Ciceroni in Oratore c. 68 visum erat, quibus plane adsentior. Numerum enim in periodi compositione adhibere necesse est, non solum quod multo majorem habent apta vim quam soluta, verum etiam ne infinite feratur ut flumen oratio, quae non aut spiritu aut interpunctione sed sententia et numero coacta insistere debet.

Epimetrum.

His scriptis forte incidi in C. F. Hermanni ‚disputationem de Thrasymacho sophista' (Gottingae, a 1848), quam unam carus ille amicus ad me mittere oblitus est, quum caeteras vel Marburgi vel Gottingae ab se editas semper misisset. Ita quum lectorum commodo tum ipsius viri memoriae hoc deberi arbitror, ut de Hermanni mei conjecturis velut corollarii loco aliquid adjiciam. Ostendit igitur (p. 3 et 4) de inventore nostro neminem iniquius judicasse Platone in primo maxime libro de republica, in quo Thrasymachus cum doctrina solis sophistis digna juris contemtionem, morum asperitatem, petulantiam, contumaciam, denique impudentiam conjunxisse dicitur hisce in locis: p. 336, B (bis), p. 337, A, p. 337, D, p. 338, A, p. 343, A, p. 344, D, p. 350, D, p. 350, E, p. 352, B, p. 354, A; confer V p. 450, B. Tum (p. 13 sqq.) quaerit, quomodo fieri potuerit, ut unus fere Plato virum sempiterna laude florentem tam indigno modo describeret eique infamiae notam quasi improbo sophistae inustam vellet. Respondet autem de moribus Thrasymachi nihil fere praeterea constare ideoque fieri saltem potuisse, ut ‚ob insignem quandam morum foeditatem' infamia flagraret. Illud vero non male addit, omnes sophistas in Platonis odium ob pravam morum doctrinam et verae philosophiae inscitiam incurrisse, neque alium tummaxime sophistam Athenis praesto fuisse, cui talis morum perversitas nisi inepte tribui potuerit. Deinceps Thrasymachum in illis apud Platonem placitis communi saeculi morbo dicit laborasse, quod Graeci tum juris ignari non suum cuique tribuere sed suo quisque lucro prospicere soliti sint. Jam Thrasymachum Platonicum conjicit adhuc juvenem necdum rhetorem sed merum fuisse sophistam eumque virum factum potuisse resipiscere. Deinde et hic p. 14 Hermannus et antea in l. ‚Gesch. d. platon. Philos. T. I p. 537 sqq.' subtili judicio censet primum de republica librum longo ante reliquos tempore separatim conscriptum et seorsim primo editum esse favente A. Gellio N. A. XIV, 3, qui ‚duo fere libros de republica primos in vulgus exiisse' liquido testatus est. Ex quo id certe sequitur, spissum Platonis de republica opus primo non totum simul evulgatum esse. Quae tametsi bene disputata sunt eoque melius, quod Platonem Thrasymachi adversarium a praeconcepta opinione partiumque studio liberum fuisse negavit: primariam tamen rem ab Hermanno plane videmus neglectam esse, personam dico Socratis. Hoc enim patet, non Hermanno nos potius quam Gellio adsentiri, quod cum primo etiam secundus liber vel ob Glauconis orationem una edendus erat. Socrati vero nihil plus Athenis nocuit, quam quod pariter atque sophistae magnam dia-

lecticis operam impendit eoque ab vulgo veritatis ignaro ipse quoque in numero habitus est sophistarum. Verum Platonicus Socrates cum Aristophaneo in Nubibus componi debebat, qui illi contrarius et similis est Thrasymacho, suppar denique Protagorae. Nam apud Aristophanem id agit Socrates rhetor, ut infirmior causa fiat potior (v. 114 sqq. et v. 882), injustitiam usque eo laudat, ut in secundis Nubibus *Ἄδικος Λόγος* in scenam progressus populo se vendat (v. 890 sqq.), juvenes corrumpit (v. 185) ideoque gravi poena adficitur domo incensa (v. 1498 sqq.) tanquam impius sophista, similiter atque antea Protagorae libri Athenis in foro publice combusti erant (Diog. Laert. IX, 52). Neque alia de causa secundas Nubes poeta paene jam perfectas non docuit, nisi quod haec crimina ne cadere quidem in Socratem tandem vidisset. Omnino in Nubibus Socrates pessime confusus est cum Protagora, de quo vide praeter alios Aristotelem Rhetor. II, 24 fin., Eudoxum ap. Stephan. Byz. p. 6 ed. Mein, Gellium V, 3. Comicus enim quum Nubes scriberet retractaretque, vulgi Atheniensium errore captus tenebatur, qui animis adeo infixus haerebat, ut unius Protagorae professio: *τὸ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* vel in capitis causa Socrati male objiceretur. Quare comoedia illa historiae fidem ita demum haberet, si quis pro Socrate plerumque nomen sufficeret Protagorae. Enimvero Platoni, ut hunc vulgi errorem deleret, ad veri Socratis personam in dialogis tuendam via munienda erat et aliquis sophista in scenam obtorto collo protrahendus ut Socrati infestus. Hinc in primis de republica libris Socratem docet non sophistam fuisse sed eorum adversarium neque impie evertisse justitiam sed acriter defendisse. Ibidem vero Socrati Thrasymachum sophistam opponit, quem partes agere jubet contrarias. Quare nisi Plato atrocius in Thrasymachum inveheretur, facile credo futurum fuisse, ut pro Thrasymachi nomine ubique eum, qui tum forte Athenis aberat, Protagoram ponere ubique posset. Etenim Plato (ut Glauconem initio libri secundi omittam) primo in libro cum Socrate Protagoram altercantem eodem jure facere poterat, quo nunc Thrasymachus altercatur. Quae omnia si quis vere ab nobis dicta esse concedet, is et foedas quasdam maculas e vita eluerit Thrasymachi, et Platonem Socratis alumnum turpi impietatis crimine absolverit. Nam ut tota antiquitas de hoc magistri nomine taceat, tamen etiam Thrasymachum magistrum Platoni fuisse, eximii illi Platonis rhythmi loquuntur et clamant. Nunc ad Hermannum revertor. Est apud Galenum in praefat. lexici Hippocr. p. 404 sqq. ed. Fr. locus Daetalensium Aristophanis, ubi senex pater alterum filium nova vocabula usurpantem deridet. Qui postquam *ὑποτεκμαίρομαι* et *καλοκἀγαθία* novavit, tum senex: *οἶμαι, ὦ Θρασύμαχε, | τίς τούτων τῶν ξυνηγόρων τηρεύεται;* Pro *οἶμαι* recte Cornarius *οἴμοι* (*οἴμ᾽*), itemque *τοῦτο* Brunckius pro *τούτων*. Denique *τηρεύεται* edd. quaedam Galeni, *τερεύεται* ed. Ald., *τερύεται* Basileensis et p. 406 Franziana, quo auctore ‚vulgo' erat *σερύεται*. Dobreo, Lehrsio (de Aristarch. p. 43), Cobeto (de arte interpr. p. 153) et Hermanno p. 5 *τερατεύεται* in mentem venit, quo rejecto ego (de Daetal. p. 54) ‚si *τερύεται* idonea auctoritate stabilitum sit, nihil verius judicavi Brunckii emendatione *γηρύεται*', quae jam Elmslejo, Seidlero Dindorfioque probata erat. Ita scribendum est: *οἴμ᾽, ὦ Θρασύμαχε, | τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων γηρύεται;* Hic igitur quum unus Suevernius (‚über Ar. Wolken' p. 28) Calchedonium sophistam tecte adsignificari voluisset: Hermannus p. 5 comicum *οἴμ᾽ ὡς* tragice interpretatus solum hic sophistam dici contendit eumque compellari quamvis absentem. At infelicem de sophista opinionem ego l. l. p. 53 satis refutaram: certa enim interlocutoribus nomina data esse, nec si filius *Θρασύμαχος* vocetur, propter sophistam sed ob ipsius ingenium adolescentis hoc fieri, cui soli poeta

id nominis imposuerit. Et (mirum dictu) idem ibidem Suevernius haec verba recte explicarat ratus filium male moratum, quod ferocius patri quasi in pugna insultasset, tanquam hominem ad vim paratum isto nomine adpellari. Conferre alius filii nomen licet quod in Vespis est: *Βδελυκλέων*. Hic tamen omnes aliquo modo erravimus, Suevernius unum locum non uno sed duplici modo accipere ausus, ego l. l. p. 54 alterum senis filium, qui erat probus ita dici opinatus, Bergkius (Aristoph. fragm. p. 1036) *καλοκάγαθεῖν* conjectans, quod ne graecum quidem est sed prorsus barbarum. Hoc tamen Bergkius me duce recte observavit Calchedonium sophistam ad Aristophanis versus nullo modo pertinere. Nimirum Thrasymachi nomine, quod non est admodum frequens, tamen praeter sophistam nostrum alii quoque adpellati sunt, primum hic ipse in Daetalensibus interlocutor, qui adolescens erat improbus ac plane *θρασύμαχος*, deinde multo post philosophus quidam Corintho oriundus ap. Diogenem Laërt. II, 113 et haud dubie plures. Sed alius versus in quo idem nomen legitur est Theopompi comici in fabula ‚*Στρατιώτιδες*‘ ap. Priscianum Inst. Gr. XVIII p. 206 ed. Kr: *Θεόπομπος Στρατιώτῃ γυνὴ Θρασυμάχου ὑμῶν γυνὴ καλῶς ἐπιστατήσει*. Ita vulgo, ceterum codex Monac. plane confirmat optimam emendationem Porsoni (Praef. Hecub. p. XLV): *Θεόπομπος Στρατιώτισιν*· ‚*Ἡ Θρασυμάχου δ' ὑμῶν γυνὴ καλῶς ἐπιστατήσει*.‘ Haec vero Hermannus p. 5 ad Calchedonium nostrum referenda esse negat, quod Calchedonem hujus comoediae scena vix possit transferri. Sciebat tamen sophistam nostrum et Theopompi aequalem fuisse et diu vixisse Athenis. Neque hoc nesciebat, comici versum, in quo de muliere sermo est, e ‚militantibus mulieribus‘ depromtum esse, re vel per se ridicula, quae nobis haudquaquam negligenda est. Contra et Bergkius (De reliq. com. antiq. p. 82) et Meinekius (Fragm. com. V. II. P. II. p. 813) vel nutu vel verbo indicant nullum alium Thrasymachum hic sibi dictum esse videri nisi Calchedonium: quibus ego duumviris plane adsentior. Nam vis hujusce versus comica ita tantum constabit, si quid salis insit vel etiam acuminis. Jam Calchedonius sophista nomen et omen habebat, de quo Herodicus ap. Aristotelem in Rhetor. II, 23: ‚*Ἡρόδικος* (*Πρόδικος* L. Spengel) *Θρασύμαχον* (*ἐκάλει*) ‚*ἀεὶ θρασύμαχος εἶ*‘ poteratque idem in comoedia certe ob solum nominis lusum vel *θρασὺς στρατηλάτης* (Eurip. Phoeniss. v. 600) adpellari. Haec virtus comice ad uxorem transfertur tali marito dignam, quae et fortis bellatrix futura sit et bona imperatrix. Neque ideo hanc mulierem necesse est viraginem quandam fuisse: cave enim ad vivum joca reseces comica. Quanquam si uxor vel Bithyna fuit (ut ipse) aut certe barbara, vel statura ingenti: jocus aptior et omnino erit melior. Quae si recte disputavi, Thrasymachus Calchedonius uxorem habuit. Sed ad Ephippi comici versus transeo ap. Athen. XI p. 509, C: *ἔπειτ' ἀναστὰς* (ita bene Jacobsius pro *ἐπεὶ καταστὰς*) *εὔστοχος νεανίας* | *τῶν ἐξ Ἀκαδημίας τις ὑπὸ Πλάτωνα καὶ* | *Βρύσωνα* (ita recte Grotius pro *βρύσων ὁ*), *θρασυμαχειοληψικερμάτων* | *πληγεὶς ἀνάγκῃ* —. Hic Meineki (in Fragm. Com. III p. 332) conjecturam: *Βρυσωνοθρασυμαχειοληψικερμάτων* Hermanno p. 8 probatam qui Ephippum intellexerit certo explodet. Nam et *καί* v. 2, quod tum explicari nequit, et hoc ipsum *Βρυσωνο* — aeque inepta sunt, quia haec res nihil adtinet ad Brysonem. At nunc in verbis *ὑπὸ Πλάτωνα καὶ* | *Βρύσωνα* recte habent et *καί* in fine trimetri locatum et *Βρύσωνα* accusativus. Tu verte: ‚Academicus qui erat a Platone et — quis credat? — a Brysone.‘ Ephippus minime (ut Meinekius opinabatur) hoc dicit, Brysonem scholas in Academia habuisse, sed Theopompo Chio ap. Athen. XI p. 508, C adsentiens Platonem tam multos Brysoni dialogos suffuratum esse, ut qui Platonis discipulus sit, idem sit Brysonis.

Iste igitur Academicus ictus videtur et quasi percussus necessitate lucri, quod eodem modo facturus sit, quo olim Thrasymachus. Haec autem ad Calchedonium nostrum unice spectant, qui etiam in Plat. De rep. I p. 337, E, mercedem exigit. Exigebant autem sophistae ad unum omnes, nullus fortasse acrius et acerbius Protagora. At Ephippus ne loquitur quidem de mercede, cui verba *πληγεὶς ἀνάγκῃ* repugnant. Immo sic corrigo: *θρασυμαχειολειψικερμάτων*, h. e. ,ictus necessitate numulorum, qui eum ut Thrasymachum deficiebant'. Nam ut Thrasymachum postremo inopem viderunt Athenae (teste Juvenali VII, 205): ita hunc Academicum, qui in Ephippi ,Naufrago' loquebatur puto fortunarum suarum naufragium fecisse De finali illo *καί* vide mea ad Arist. Thesm. v. 384 et Nauckium ad Sophocl. Oedip. R. v. 267. Tum Hermannus p. 6 Lysiae natales attigit, quem non, ut Pseudoplutarchus (Vit. X orat. p. 835, c) cum Dionysio (De Lysia c. 1) diserte ait Ol. LXXX, 2 (459 a. Ch.) sed pluribus demum annis post natum esse multi viderunt. Vatero autem bene refutato, qui circa Ol. LXXXVI in lucem voluit editum, ipse annum Lysiae natalem posuit Ol. LXXXIV, 1 conjectura admodum incerta. Deinceps de Thrasymachi natalibus p. 6 sq. paullo majore studio quam ego supra p. 5 disseruit. Ac Dionysius quidem, qui (De Lysia c. 6) Thrasymachum Lysia paullo juniorem fecit, haud dubie vulgari fama deceptus Lysiae natales posuerat Ol. LXXX, 2, id est Thrasymachum non ita multo post Ol. LXXX, 2 natum esse conjecerat. At Lysiam potius Thrasymacho juniorem fuisse e Platone De Republ. Lib. I (ut bene Hermannus) elucet, ubi quum Lysiae ob puerilem paene aetatem muta persona sit, Thrasymachus utpote juvenis et jam viro propior magnas agit partes. Jam ut supra dixi Cicerone in Orat. c. 13 et c. 52 auctore Isocratem, qui certe Ol. LXXXVI, 1 (436 a. Ch.) natus est, Thrasymachus tota aetate praecessit. Non video tamen, qui factum sit, ut Hermannus p. 7 Dionysium (De Lysia c. 6) duplicis erroris reum et bene refelleret et eidem non dubitaret obsequi. Fingit enim Hermannus uno duce Dionysio paullo post Ol. LXXX, 2 circa Ol. LXXX, 4 natum esse Thrasymachum. In Platone vero De Republ. I totus habitus conloquii talis est, non ut vir cum juvene sed ut aequalis pugnet cum aequali. Ita quum Socratem Ol. LXXVII, 4 (469 a. Chr.) natum esse constet: nullus dubito, quin eodem fere anno Thrasymachus aut non longe secus in lucem sit editus. Quam rem unus L. Spengelius (Art. script. p. 95) egregie perspexit Thrasymachum ratus Antiphonti aequalem aut non multo inferiorem fuisse. Antiphontem haud dubie ut Ruhnkenius Ol. LXXV, 2 natum esse voluerat. Tum H. p. 6 sq. de reipublicae Platonicae temporibus disputavit, qui locus admodum lubricus est. Multa quae in his libris relata legimus, brevi ante quam ederentur facta esse Bergkius (Reliq. Com. Ant. p. 82—87) recte docuit. Nos vero hic eum annum unice quaerimus quo conloquium illud de optima civitatis specie in libro I habitum esse fingatur. Omisso igitur Cephali tempore mortis ut nimis incerto haec res a natalibus quum Lysiae tum Thrasymachi tota fere suspensa est. Nam et illum adhuc adolescentulum Plato nobis proposuit et hunc jam juvenem virum et eum sophistam. Ergo quod alii hunc sermonem ad Ol. XC, alii ad Ol. XCII referre conati sunt, utrumvis temporum rationi omnino adversatur. Quodnisi unus locus (I p. 329 C) obstaret, Bergkio (l. l. p. 81) aliisque hoc conloquium facile crederem ad Ol. LXXXIII, 4 revocandum esse. Nunc reliquum est, ut Hermanno adsentiar, qui hujusce sermonis tempus a Platone circiter Ol. LXXXVII, 3 fictum esse conjecit. Tunc enim Lysias utpote (sicut ego opinor) Ol. LXXXIII, 1 natus annorum fuit septemdecim, Thrasymachus autem paullo post Socratem circa Ol. LXXIX, 1 editus annorum triginta

et quod excurrit. Illud quoque Hermannus scite observavit, Thrasymachum ne potuisse quidem rhetoricae docendae prius facere initium, quam Ol. LXXXVIII Gorgias Tisiasque Athenas venissent (quo tempore noster annorum fuisse videtur prope XL). At quivis videt, ut bene Hermannus p. 7, hoc tempore, quo in Platone de justitia cum Socrate rixantem videmus, minime eum ut rhetorem introductum esse sed tantummodo ut sophistam, qui sophistarum artes jam alios doceret ut Clitophontem et in Platone De Rep. et in novitio dialogo cognomini p. 406, A. Contra rhetorem Thrasymachum in Phaedro p. 267, C Plato magna quadam laude prosequitur. Quumque e Platone tantum, a quo Maximus Tyrius, Ael. Aristides et Themistius pendent, illiusque in Lib. I De Rep. testimonio constet Thrasymachum sophistam fuisse: Hermannus p. 8 conjicit eum plane ut Gorgiam sophistae nomine offensum potius rhetorem se dici et haberi voluisse. Haec habui, quae ex Hermanni disputatione putarem adferenda et partim comprobanda esse. Quodsi Hermannus aliis hoc in loco non plane satisfecerit: cogitent velim illius dissertationem a. 1848 scriptam esse, id est anno vel maxime turbulento.

Addendum ad p. 14.

Lucianus ipsius Menippi exemplo versus Homeri, Euripidis et comicorum partim integros saepe inserit partim etiam solutos, qui vel e verbis poëticis facile agnosci possunt. Et in hac quidem re scriptorem satiricum ingeniose ludentem nemo reprehendet. Quod autem l. l. numeros Lucianeos praedicanti Photio adsensus sum, in universum recte judicavi. Attamen fugerat me vitiosos numeros id est *ῥυθμοὺς ἐμμέτρους* uno in dialogo saepius inveniri, cui nomen est: *Κατάπλους ἢ Τύραννος*. Hoc enim bene observavit Theodorus filius, qui nunc Lucianum conjuncta mecum opera editurus est. De singulis tamen illius dialogi locis, qui huc pertinent, disputare longum est.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXV—LXXVI

INDE AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE INITIIS PROSAE ORATIONIS APUD GRAECOS

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEFATUS EST.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

De initiis prosae orationis apud Graecos.

Quum vetus Graecia magnos magno numero poëtas ab Homero inde epicos maxime et lyricos jam dudum protulisset: prosa oratio, quae quidem ultra communem vitae morem sermonemque vulgi assurgeret, tarde admodum inventa est. Nam Plinio auctore in Nat. Hist. VII, 56 § 57 Pherecydes Syrius hanc orationem condere instituit et historiam Cadmus Milesius, quibus duumviris Strabo I p. 18 ordine contrario utens addit Hecataeum, Suidas autem s. Ἑκαταῖος hunc et Pherecyden solos nominat Cadmo omisso. Et Pherecydes quidem paullo ante caeteros Ol. 59 circiter (sive a. 544 a. Chr.) floruit. Logographorum autem dictio qualis fuerit, in tanta fragmentorum paucitate ex eo inprimis cognosci potest, qui Hecataeo multum debuit, ex Herodoto. Nam qui ante Pherecyden prosam affectare primum ausi erant, epicorum servi imitatores fuisse videntur, ita ut ipsi paene nihil aliud quam metrum dissolverent, caetera autem quamvis poetica retinerent. Quorum vestigia logographi persecuti operam dederunt, ut nimia cyclicorum poëtarum imitatione exuta ipsorum oratio sui quodammodo juris fieri inciperet. At Herodoti oratio, in qua Homerum facile recognoscas, tamen admirabili quodam modo jam exculta est et perpolita. Quanquam enim hodie tot scriptoribus ionicis plane omissis certo judicare vix licet: videtur tamen Herodotus post

Hecataeum huic generi fastigium imposuisse, ut sermo ionicus quantum postea deflecteret ab Herodoto, tantum non posset de sua ipsius dignitate non deperdere. Certe si qui multo post id egerunt, ut poëticum ornatum omnem detraherent, alia autem orationis lumina ipsi curarent nulla addere: ii postremo ad vulgare loquendi genus descendere et ad humilitatem omnem coacti sunt. Hujus enim farinae historici ab Luciano plures notati sunt, quorum alius tanta impudentia fuit, ut Herodotum verbotenus exscriberet (De Conscr. Hist. c. 18), alius qua erat inscitia ne dialectum quidem tenuit sed ab ionica subito defecit (ibid. c. 16). Duo alii, quorum libelli *Περὶ τῆς ἀστρολογίης* et *Περὶ τῆς Συρίης θεοῦ* Lucianeis male inserti sunt, germanos se Herodotos ita demum fore sperarant, si formis usi ionicis anili superstitione omnes mortales vicissent. Quanto melius veteres logographi et Herodotus: qui profecto non (ut isti illorum simii) bonarum literarum ignari et rudes fuerunt sed probe intelligentes, neque merae poëtarum epicorum imitationi se totos dederunt, sed etiam philosophorum ionicorum scholis vel maxime adjuti sunt: sciebant enim bene scribere nihil esse aliud nisi bene cogitare. Maxime vero Herodotum in leni illo sermonis flumine alia virtus ab Homero accepta commendat, mirabilis quaedam simplicitas, quae tantam vim habet, ut omnia esse videantur solis luce clariora. At sicuti poesios graecae praeter epicam alia genera jam tum multa exstiterant: ita efficiendum erat, ut prosa quoque oratio ne semper eadem permaneret, sed a capite ac fonte in varios rivulos recte deduci et in genera diversa commode distribui posset. Atque aeolica quidem dialecto vel dorica effectam reddi tantam rem nullo modo potuisse jure mihi videor contendere. Jas autem pedestris (de poëtis hic non loquor) est illa quidem lenissima maximeque venusta, attamen suavitatis plus habet quam virium neque in tanta gravitate versatur, quantam saepe oratorum fulmina efflagitant. Immo simili quodam et in similitudine diverso idiomate opus erat, quod ionico vicinum esset et confine, quo melius et bonis omnibus quibus Herodotus excellit, uti liceret et quae illi desunt omnia supplere. Una igitur dialectus restabat attica, quam quis esse dicat matre pulchra filiam pulchriorem. Nam Athenis quum

omnes Homerum legere solebant partim etiam recitare, tum multi philosophos jam antiquitus, veluti Pericles Anaxagoran audiebant. Omninoque Athenienses tam erant natura dociles et acuti, tam cupidi literarum, ut quae Gorgias et alii eos docuissent, Athenis ipsis nata esse viderentur non peregre accepta. Nunc tempus mihi tangendum est dicendumque, quae aetas prima prosae atticae jam adultae ornatum adtulerit. Pisistratidis igitur exactis Ol. 67, 3 (sive a. 510) orationes ad populum haberi coeptae sunt, de quibus nihil traditur. Jlle enim vir quem dicendo jam valuisse constat, Themistocles aliquanto post floruit. Mox ab Ol. 77, 4 (a. 469) Pericles reipublicae praefuit, summus orator, ab Anaxagora ut supra dixi edoctus, non a rhetoribus, qui tum aut parum idonei Athenis erant aut omnino nulli. Neque vero ante initium belli Peloponnesii rhetoras memoria dignos Athenae viderant. Nam ut in Tullii Bruto c. 12 Aristoteles (loco amisso) docet, primum in Sicilia sublatis tyrannis sub Corace et Tisia magistris rhetorice effloruit, sed hinc Athenas cito transfusa est. Hic autem et Protagoram locos communes tractasse et Gorgiam moxque Antiphontem laudes et vituperationes discipulis tradidisse, et Theodorum conlaudatum esse ut in arte subtilem. Deinceps ad Isocratem transit, qui aetate fuit inferior. At Cicero ex Aristotelis loco majorem tantum partem sumsisse videtur aliis rebus temere omissis. Neque enim ullo pacto credibile est Thrasymachum, ne alios sophistas addam, ab ipso Aristotele negligi potuisse. Itaque disparem prosae atticae si non ortum, at proximum ab origine progressum longe alium videmus, atque in plerisque artibus evenit, sicut in tragoedia. De qua Aristoteles in libello *Περὶ Ποιητικῆς* tum demum praecepta edidit, quum ipsa tragoedia jam in senium vergebat ac prope ad interitum spectabat. Contra rhetoricae sophistarum artes usum eloquentiae atticae non eodem vestigio illae quidem secutae, citius tamen opinione subsecutae sunt. Neque diffiteor ab sophistis naturalem illum dicendi impetum ardoremque saepe retardatum esse et multa artificia ab his magistris addita, quae melius omissuri fuissent. Ante hos Themistocles natura duce in concionibus ea dixerat, quae populo saluti essent, Pericles vero diu flo-

ruerat, doctus ab Anaxagora non fabulari et garrire, sed cogitare et argumentari. At primum ne sophistae quidem a philosophia abhorrebant, e quibus Gorgias Empedoclis fuisse discipulus traditur. Deinde rhetores illi usum cum arte dicendi solebant conjungere nec solum praecepta dare verum etiam orationes ipsi scribere et scriptas exempli loco proponere. Recte enim judicabant orationis expoliendae auctores ipsos quoque magnos esse oratores debere. Enimvero natura ita comparatum est, non ut omnia unus vir possit, sed ut multorum labore sensim literarum fines proferantur. Et hic quidem quum ad orationem excolendam epici multum valeant, saepe dubium est, quousque logographi et Herodotus duce Homero jam ipsi in tanta re progressi fuerint, quidve adhuc neglectum solis reliquerint sophistis. Quid, quod ne in eis quidem quae certo sophistis debentur, ubique liquet, quidnam singuli effecerint et quas partes egisse videantur. Nam illi omnes in linguae et rhetoricae studiis multum operae consumebant, ut Prodicus ut Hippias, neque ullus soli philosophiae studebat ne Protagoras quidem, qui in dialecticis mire erat exercitatus. Attamen hi omnes Coracis partim etiam Tisiae libris rhetoricis ita usi erant, ut vera adfirmarent, falsa corrigerent, omissa ipsi supplerent. Ac primum figurae et orationis lumina (*σχήματα*) nominanda sunt ideo quod *ἀντίθετα, ἰσόκωλα, ὁμοιοτέλευτα* plerumque cadunt numerose. Quas festivitates etsi praeter Thrasymachum Gorgias, Theodorus, Euenus, Polus, Licymnius et caeteri omnes consectabantur: vulgo tamen quasi princeps inveniendi unus adpellari solet Gorgias, qui sane hisce in rebus modum longe excessit.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim epistolas Pauli minores interpretabitur quinquies p. h. h. XI; 2) privatim Evangelium Matthaei explicabit quinquies p. h. h. XII; 3) publice conversatorium exegeticum moderabitur die Saturni h. III et h. IV.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., I. privatim: 1) Introductionem historicam et criticam in canonicos V. T. libros tradet quinquies p. h. hora III; 2) Psalmos interpretabitur quinis p. h. scholis hora IV; II. privatissime sed gratis: Grammaticam chaldaicam duce Winero docebit, eaque V. Test. capita quae chaldaice scripta sunt explicanda proponet binis p. h. horis definiendis; III. publice: In Seminario homileticas sodalium exercitationes moderabitur die Saturni hora IX—XI.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies p. h. h. IX, 2) privatim historiam dogmatum quinquies p. h. h. X tradet, et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

D. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim vitam Domini nostri Jesu Christi secundum quatuor evangelia enarrabit quinquies p. h. hora VIII; 2) theologiam fundamentalem sive apologeticam docebit quinquies p. h. hora III.

In ordine juridico.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) jus Germanicum privatum quinis p. h. scholis h. XII, 2) jus Mecklenburgicum privatum ter p. h. h. IV, et 3) jus feudale ter p. h. IV docebit.

D. Augustus Thon, P. P. O., 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. IX, 2) pandectarum partem II (obligationes) quinis p. h. scholis h. X docebit.

D. Siegfriedus Brie, P. P. O., h. t. Decanus, 1) jus ecclesiasticum quinis p. h. scholis docebit hora V; 2) juris et ecclesiastici et civilis de matrimonio praecepta tradet bis p. h. hora III; 3) encyclopaediam juris universi docebit ter p. hebd. h. h. c. c.

D. Gustavus Kretschmar, P. P. O. des., 1) institutiones juris Romani tradet quinquies p. h. hh. cc.; 2) jus familiae et hereditarium docebit quotidie h. XII; 3) exercitationes exegeticas moderabitur singulis horis.

D. Carolus Birkmeyer, P. P. E., 1) theoriam processus civilis ratione Mecklenburgici juris habita senis p. h. scholis h. XI, 2) processus summarios nec non procedendi in concursu creditorum modum ter p. h. h. III docebit; 3) publice theoriam processus civilis secundum jus Romanum tractabit semel p. h. horis definiendis.

In ordine medico.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem quaternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. h. X et XI moderabitur.

D. Hermannus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) publice generationis et evolutionis historiam diebus Mercurii et Saturni h. III—IV, 3) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) quotidie h. IX—X, 4) privatim Hygieinam diebus Martis et Veneris h. V—VI, 5) physiologiam animalium generalem diebus Mercurii et Saturni h. V—VI docebit.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., h. t. Rector, 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—II; 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

D. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur hora VIII; 2) mulierum morbos ternis horis p. h., 3) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.

D. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) osteologiam et syndesmologiam d. d. Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X, 2) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. h. XII—I docebit; 3) anatomiam topographicam c. h. ter p. h. tradet; 4) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. X—XII, 5) exercitationes microscopicas ter p. h. moderabitur.

D. Aemilius Ponfick, P. P. O., privatim 1) pathologiam generalem quotidie docebit hora IV—V; 2) cursum demonstrativum anatomiae et histologiae pathologicae ternis per hebdom. diebus hora II—IV moderabitur die Martis, Jovis et Saturni; publice 3) exercitationes in instituto pathologico moderabitur.

D. Carolus Gaehtgens, P. P. O., privatim 1) pharmacologiam tradet quaternis diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. IV; 2) exercitationes practicas in laboratorio moderabitur quater, horis definiendis; 3) de urinae analysi cursum habebit binis diebus Martis et Veneris h. XII publice.

D. Fridericus Trendelenburg, P. P. O. des., 1) akiurgiam tribus diebus h. X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Mart., Jovis et Saturni h. XI moderabitur.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) theoriam artis obstetriciae ternis p. h. horis, 2) cursum operationum quae in arte obstetricia adhibentur, docebit.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI Sophoclis Electram interpretabitur et 2) binis diebus h. XI Horati Sermones explicabit. Denique 3) horis consuetis Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Lycurgi oratio in Leocratem atque Ciceronis Verrinarum h. IV (de signis) tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit 1) familias plantarum naturales, demonstrationibus illustrandas, ternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI; 3) anatomen vegetabilium, binis diebus h. X.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter per hebd. Hymnos Homericos interpretabitur; 2) ter per hebd. Suetonii vitas Caesarum explicabit. Privatissime quater per hebd. de Cyclo epico et poetarum cyclicorum operibus disputabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit publice: astronomiam popularem, bis p. h.; privatim 1) calculum differentialem, quater p. h.; 2) geologiam, quater p. h. horis definiendis.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., docebit 1) jus administrativum, VI p. h. horis, hora IX; 2) Statisticen, IV p. h. horis, hora X.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam medii aevi usque ad exitum generis Staufici enarrabit quinis diebus; 2) privatim historiam Graecorum a bello Peloponnesio usque ad Alexandri Magni tempora deducet ternis diebus; 3) publice Seminarii historici exercitationes moderari perget binis diebus.

D. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam philosophiae antiquae quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora IV—V, 2) religionis philosophiam ter per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii hora V—VI; 3) historiam paedagogices qualis recentioribus temporibus exculta est, ter p. h. die Jovis h. V—VI, et die Veneris IV—VI docebit.

D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim syntaxin linguae theodiscae docebit ter p. hebd. h. X—XI; 2) privatim historiam literarum Provincialium tradet bis per hebd. h. IX—X; 3) privatissime sed gratis conversationes cum sodalibus instituet de lingua revidenda in libris divinis a Martino Luthero translatis semel per hebd. hora adhuc definienda; 4) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo comparando legentur duae versiones Nibelungorum, quae „Nibelungennot“ atque „Nibelungenlied“ nominantur.

D. Arminius Comes de Lippe, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) doctrinam de agro recte colendo tradet in universum binis horis; 2) de generanda et conservanda animalium subole disseret binis horis; 3) de tellure per canales subterraneas siccanda tum de pratis irrigandis et bene colendis binis horis; 4) conversatorium reget de rebus ad agriculturam spectantibus quaternis horis.

D. Oscar Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebdomadem docebit; 2) technologiae chemicae partes selectas exponet studiosis oeconomiae bis per hebdomadem; 3) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebdomadem moderabitur; 4) publice de praeparatis chemicis officinarum bis p. hebd. disseret.

D. Hermannus Grenacher, P. P. O., impetrato itineris causa commeatu lectiones nullas habebit.

D. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinquies per h.; 2) physices theoreticae selecta capita tradet bis p. h.; 3) exercitationes physices practicae solito more instituet; 4) privatissime sed gratis colloquia physica moderabitur.

D. Richardus Förster, P. P. O. des., 1) privatim mythologiam Graecorum Romanorumque scholis tradet quaternis; 2) ternis horis Taciti Annales interpretabitur privatim; 3) publice semel per hebd. philologicis exercitationibus de Homerico hymno Cereris praeerit.

D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. E., 1) privatim grammaticam linguae hebraicae ter p. h. docebit; 2) privatim grammaticam linguae sanscriticae praecipua linguarum et graecae et latinae ratione habita ter p. h. tradet; 3) privatim selectas Corani suras bis p. h. explicabit; 4) gratis societatem habebit exegeticam in qua interpretationi libri Deuteronomii praeerit.

D. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) de nutritione plantarum bis per hebd. disseret; 2) introductionem in chemiam agrariam bis per hebdomadem tradet; 3) practicum agrario-chemico-physiologicum quater per hebdomadem reget.

D. Carolus Weinholtz, colloquia philosophica praecipue ad vitae humanae praxin pertinentia offert.

D. Julius Robert, privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia literarum franco-gallicarum disseret quater p. h.; 3) grammaticam franco-gallicam docebit quater p. h.

D. Ferdinandus de Roda, in cantu liturgico Seminarii catechetici et homiletici sodales binis p. h. scholis, tirones item binis p. h. scholis exercebit.

D. Theodorus Huebener, docebit 1) privatim chemiam analyticam (partem qualitativam) bis p. h.; 2) privatim historiam chemiae binis horis p. h.; 3) privatissime sed gratis chemiam plantarum bis p. h.

D. Felix Lindner, 1) gratis poema illud Anglo-Saxonicum cui inscriptum est Beowulf bis p. h. interpretabitur; 2) gratis bis p. h. historiam literarum Franco-Gallorum medii aevi docebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis patebit, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas velut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ut gymnasticam publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Guilielmus de Zehender, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Fridericus Philippi,** Th. D.
Jurisconsultorum **Siegfriedus Brie,** J. U. D.
Medicorum **Fridericus Merkel,** M. D.
Philosophorum **Arminius Comes de Lippe,** Ph. D.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXVI

AB DIE XVIII M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

LECTIONES SOPHOCLEAS

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Opportune cecidit, ut tres trium tragicorum fabulae, quae in eodem argumento versantur, Aeschyli Choephoroe atque Sophoclis et Euripidis Electra omnes aetatem tulerint. Hinc non mirum est, quod multi libello edito in his etiam aliquot juvenes tragoedias quas dixi earumque et virtutes et vitia inter se diligenter compararunt. Et hi quidem etsi in sola fere poesi acquiescere solent neque vel obscuros locos illustrare audent vel mendosos corrigere: ideo tamen laudandi sunt, quod Sophocli poetae ut par est non dubitarunt palmam deferre. Sed ex his poetis saepe alius alio modo eandem rem tradidit, interdum vero rem ipsam prorsus mutavit, ut quae omnibus communia dicas, opinione sint pauciora et raro invicem mutuam sibi lucem affundant. Jllos locos non communes sed proprios singulorum, hos geminos esse videmus et idem significare. Quodsi plurima omnibus communia essent, multi jam, ut opinor, tres hasce tragoedias uno quasi corpore conjunctas edituri fuissent: quod neque antea factum est neque omnino quare fiat, causam esse arbitror idoneam. Ceterum juvenes quos supra dixi nimis Sophocli favisse inveniuntur neque illud cogitasse, et Aeschyli Choephoros et Electram Euripidis incredibili modo corruptas, interdum etiam mutilatas esse. Quae si multo melius habitae ad nos pervenissent, haud dubie ambae (aut certe Aeschylea) magis ab omnibus laudarentur. Sophocli vero laetior quaedam fortuna affulsit, ita tamen ut hujus quoque Electram doleas spe et exspectatione gravius depravatam esse. Itaque conjecturae ingenti numero allatae sunt, quae nisi ab O. Jahnio collectae essent, partim laterent. Et nunc quidem mihi neque Aeschyli neque Euripidis fabulam ulcere et squalore obsitam in animo est attingere, sed una Sophoclis Electra ero contentus. Hac enim tragoedia vel maxime delector, hanc nuper etiam in scholis interpretatus sum. Quo magis nos quae modo legimus, eadem jam nunc relegere juvabit: verissimum est enim illud quod vulgo dicitur, ‚repetitionem esse matrem studiorum'. Quanquam hic paucos tantummodo versus perstringere licet, e quibus unam alteramve eluere maculam conabor. Et in prologo quidem diverbiisque primis quae ego olim videram, interim pleraque ab aliis occupata sunt. Veluti de v. 77 ed. Herm. haec scripseram: ‚nisi egregie fallor, post *ἰώ μοί μοι* delendum est istud *δύστηνος*, quod natum videtur e v. 80. ita enim tragici interlocutorem, antequam prodeat, post scenam ejulare faciunt. vide quae collegi ad Ar. Nub. v. 1260.' At nunc Dindorfius (in ed. V[ta]) quod libri addunt *δύστηνος* delevit, ut jam haec emendatio illius, qui ab se quoque inventam prior edidit, Dindorfii jure dicenda sit. Sed v. 87 verbis *γῆς ἰσόμοιρ' ἀήρ* aer terrae par dici videtur *ὁ πρόσγειος καὶ περίγειος* poetice, quod humilis sit et propinquus terrae neque ullam ob causam aliam. Opponitur enim

aether quum alias tum hoc loco, ubi praecedit lux solis (*ὦ φάος ἁγνόν*). Comparo Ovid. Metam. I, 52 sq. et ibid. v. 67 sq. Ceterum scholiastes ad h. l. *ὦ φάος ἁγνόν*: — *καὶ ταῦτα δέ*, inquit, *Φερεκράτης παρῴδηκεν*. Et Hermannus quidem potius verba *γῆς ἰσόμοιρ' ἀήρ* Pherecratem risisse putat, ut dicta obscure. At hoc subtilius est, quam pro simplicitate comoediae. Nec vero ab comicis ea ridentur, quae dicta sunt verissime. Tamen Hermannum Meinekius in Fragm. Com. Gr. V. II P. I p. 357 secutus est. Jmmo Pherecrates riserat, opinor, totum hunc locum *ὦ φάος — ᾔσθου* aut certe totius sententiam. Nam qui in tragoedia lugent, eos aerem ipsum adloqui delectat. Vide exempla apud Elmslejum ad Medeam v. 56, in quibus est etiam parodia Philemonis ex Euripide. Praeterea Philemon, cujus *Ἔμπορον* Plautus in Mercatore latinum fecit, in prologo Plauti v. 3—8 eos vituperat, qui ‚aut Soli aut Lunae miserias narrent suas'. Tum e primis scholiastae verbis: *καὶ ταῦτα δέ* — Meinekius l. l. conclusit, ‚etiam alios Electrae Sophocleae versus parodia risisse Pherecratem'. Qui profecto aliter judicasset, si memor fuisset scholii ad Soph. Electr. v. 289: *καὶ ταῦτα Ἀριστοφάνης παρῴδηκεν ἐν Γηρυτάδῃ*. Nam ex utroque scholio elucet grammaticum variis Electrae nostrae versibus adscripsisse: *καὶ ταῦτα ὁ δεῖνα παρῴδηκεν*. Itaque e verbis scholiastae: *καὶ ταῦτα δέ* — hoc unum sequitur, jam supra (v. 1—85) aliam quandam parodiam narratam fuisse. Primo enim hujusmodi loco adscribi debebat: *ταῦτα* (non *καὶ ταῦτα*) *ὁ δεῖνα παρῴδηκεν*. Neque priores loci nobis diu quaerendi sunt. Nam, ut bene interpretes, versus 2: *Ἀγαμέμνονος παῖ, νῦν ἐκεῖν' ἔξεστί σοι* non semel lascive irrisus erat. Et paullo post versum 7 sq. poëta incertus ap. Athen. XIII p. 595 f. in dramate risit satyrico. Quo melius autem singula emendari queant, inprimis tenendum est, versibus 86—119 non proodum sine ulla responsione contineri, sed (ut Hermannus optime) v. 86—102 pro systemate et v. 103—119 pro antisystemate habendos esse. Huic rationi unicus locus v. 100: *κοὐδεὶς τούτων οἶκτος ἀπ' ἄλλης | ἢ 'μοῦ φέρεται* adversatur. In quo quum Hamaker responsionem deletis postremis *ἢ 'μοῦ φέρεται* restitui voluisset: mox A. Nauckius haec potius verba *ἀπ' ἄλλης ἢ 'μοῦ* glossemati simillima delevit correxitque omnino recte: *κοὐδεὶς τούτων οἶκτος φέρεται*. Nam sic quoque Chrysothemis soror tacite petita est, in cujus impietatem Electra inferius (v. 333 sqq.) invehitur. Deinde v. 105 in librorum scriptura: *ἔστ' ἂν λεύσσω παμφεγγεῖς ἄστρων | ῥιπάς, λεύσσω δὲ τόδ' ἦμαρ* metrum plane turbatum est. Adparet aut *λεύσσω* priore loco, ut ab Hermanno aliisque factum est aut ut ab Dobraeo (in Advers. II p. 49) et paucis aliis v. *ἄστρων* delendum esse et utrumque quo commendetur habere, ut optio difficilis sit. Equidem Dobraeo adsentior. Obscuris verbis *π. ῥιπάς* adpositum est glossema *ἄστρων* ob v. 91, in quo nox apte memorata erat. Hinc scholiasta ad v. 105 prorsus eadem repetit, quae supra de v. 91 scripserat. Adeo Dobraei medela non minus esse lenis videtur quam Hermanni. Quod vero Electra hic dicit: ‚quoad vivam', id Graeci jam inde ab Homereo illo: *ζώειν καὶ ὁρᾶν φάος ἠελίοιο* indicare solent noctis mentione omissa. Immo ad diem ac solem cogitatione ducimur vel ob illud epitheton *παμφεγγεῖς*, quocum confero Eurip. Med. v. 1251: *παμφαὴς ἀκτὶς ἀελίου*. Quamobrem *παμφεγγεῖς ῥιπαί* omnino sunt ‚radii solis', qui hic cum die eodem modo quo in Ajace v. 856 sq. copulantur. Tum Hermannus et cum eo alii anaphoram male sustulerunt qua attici in talibus semper usi esse reperiuntur. Et ut per se non minus

graece illud dici potuerit quod Hermanno placuit, hic tamen anaphora omnium librorum vel ob anaphoram superiorem v. 88 sq. necessario servanda erat. Nam haec ipsa inter se respondent supra: *ὦ φάος ἁγνόν, | καὶ γῆς ἰσόμοιρ' ἀήρ, ὥς μοι | πολλὰς μὲν θρήνων ᾠδάς, | πολλὰς δ' ἀντήρεις ᾔσθου* et loco nostro: *ἀλλ' οὐ μὲν δὴ | λήξω θρήνων στυγερῶν τε γόων, | ἔστ' ἂν λεύσσω παμφεγγεῖς | ῥιπὰς, λεύσσω δὲ τόδ' ἦμαρ.* V. 114. Praeter Erinyas etiam Proserpina et aliae inferorum deae invocatae erant, ut adulterium punirent. Et ipsae Erinyes si illam caedem ulciscebantur, adulterio quoque, quae tum causa fuerat caedis, plagam infligebant. Ergo salva est hujus loci sententia, neque illa *τοὺς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους* auctore Porsono temere delenda sunt. Litem dirimit locus inferior v. 483, in quo Furia „*μιαιφόνων γάμων ἁμιλλήματα*" dicitur ultura esse. Conjecturae tamen apud O. Jahnium (p. 43 ed. sec.) multae multorum exstant, quarum si unam alteramve exceperis, aliam alia esse dicas nequiorem. Quid ergo est? Metri studium et justae responsionis hic quoque errores peperit. Nam quum critici nondum vidissent supra v. 100 unum hemistichium esse delendum: male opinati sunt hic potius (v. 114) hemistichium deesse. Adde quod sane levicula quaedam menda hunc locum occupavit, cujus lectio vetusta haec est: *αἳ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε | τοὺς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους.* Quod vitium certo ab Dobraeo l. l. ita sanatum est, ut *ὁρᾶθ', | αἳ τοὺς* loco verborum *ὁρᾶτε | τούς* scriberet: nam *E* et *AI* in codd. confundi quis nescit? Simillima sunt illa infra v. 180 sq. *ἅτις — ἃς*, v. 200 sq.: *αἳ τὸν — ἀπώλεσαν* et v. 966 sq.: *ὢ — ὢ —*. Elisio autem *ὁρᾶθ'*, quam Sophocles vel in fine senarii interdum habet, magis ferenda est in anapaestis dimetris propter versuum connexionem (*συνάφειαν*) neque hac elisione aut Porso aut Hermannus offensi sunt, quum scirent plus sibi indulsisse Aristophanem in Vesp. v. 752. Denique quum hi anapaesti ob caesuram duobus fere distribui modis possint, sententia non ubique singulis dimetris finita est, sed nonnunquam junctis duorum hemistichiis cohaeret. Ita hic verba *τοὺς εὐνὰς | ὑποκλεπτομένους* dirimuntur in Hermanni divisione, in nostra autem haec quidem cohaerent, sed non item mox *πατρὸς | φόνον* et *τὸν ἐμὸν | πέμψατ' —*. V. 120. Prima chori verba canere incipientis haec sunt secundum Triclinii conjecturam: *Ὦ παῖ παῖ —*. At hoc est in soccum transferre cothurnum et parodiam ultro provocare. Nam in comoedia haec ipsa *Ὦ παῖ παῖ* et *Παῖ παῖ* saepe inveniuntur etiam de servo servaque, pro quibus v. 1084 frustra afferas. At libri exhibent: *ἰὼ παῖ παῖ* praeter Suidam (s. v. *Δύστηνος*), qui perspicue legit: *ἰὼ παῖ* (*παῖ* semel). Equidem probo id ipsum: *Ἰὼ παῖ δυστανοτάτας —*. *Ἰώ*, qui h. l. spondeus est, non minus convenit choro et consolanti et una prope lugenti. V. 137. Vetus lectio haec est: *πατέρ' ἀνστάσεις οὔτε γόοις οὔτε λιταῖσιν* (sic, non *λιταῖς*), quae quum ad strophae versum non respondeant, patet corrupta esse. Ac primum Electra, quae sane v. 110—117 etiam precata erat, tamen a v. 86 ad v. 242 ubique flebilis est et patris caedem luctu prosequitur ingenti. Ergo quum primaria notio una cum spondeo majore illo quidem hic in fine locanda sit, res ipsa ordinem flagitat contrarium: *οὔτε λιταῖσιν οὔτε γόοις.* Hanc rem qui non animadverterunt, eorum opiniones non modo refutatione sed ne mentione quidem satis esse dignae videntur. Una igitur conjectura restat vere laudabilis C. Reisigii (in comm. cr. ad Oed. Col. v. 1564): *πατέρ' ἀνστάσεις οὔτε λιταῖσιν οὐ θρήνοις.* Quanquam incredibile et, *θρήνοις* vocem paene vulgarem per glossam *γόοις* explicari potuisse. Hinc

ego jam dudum ita correxi: *ἀλλ' οὔ τοι τόν γ' ἐξ Ἀΐδα | παγκοίνου λίμνας πατέρ' ἀν— | στάσεις οὔτε λιταῖσιν οὔτ' οἴκτοις.* Nam haec demum vel argutissime more prorsus Sophocleo ad strophae versum (122) referuntur: — *τίν' ἀεὶ | τάκεις ὧδ' ἀκόρεστον οἰμωγάν;* Hic quum glyconeos versus sequantur dactylici, postremus spondeus *οἴκτοις* vim habet clausulae (*καταλήξεως*), ut metrici sive ut rhythmici *μεταβολῆς*, qui est transitus in aliud genus rhythmi. V. 185. *ἐφίσταμαι* vulgo et a sec. m. Laur., sed *ἀφίσταμαι* pr. m. Laur., quae metro repugnant. Sed ex Eustathio ad Hom. p. 1692, 57 *ἀμφίσταμαι* optime Hermannus restituit idque aliis probavit ut Dindorfio. At Schneidewinus: ‚Die Worte sind, inquit, noch nicht geheilt. Electra kann sich nur an, nicht um einen Tisch stellen.' Nec sane ne poëtae quidem dicere licet: *ἀμφίσταμαι τραπέζῃ*, sed censor male neglexit pluralem. Electra mensas circumstabat plenas aliis, sibi uni vacuas, i. e. modo huic mensae modo illi frustra adstabat. Memini Hermannum olim de arte critica scholas habuisse, in quibus hanc ipsam restitutionem *ἀμφίσταμαι* nobis ut certam exempli loco proponebat. Verum juvenes quidam a Schneidewino inducti ut Sophocli suum sibi *ἀμφίσταμαι* eriperent, in conjecturas inciderunt falsas, partim etiam metro contrarias. V. 212: *τὰ δὲ τοῖς δυνατοῖς | οὐκ ἐριστὰ πλάθειν.* Frustra Hermannus et alii in vocibus *τὰ δέ* haeserunt, quae (sicut *τὸ δέ*) habent etiam vim conjunctionis. Verte: ‚at vero non rixandum est cum potentioribus.' Vide nostra in Quaestt. Luc. Praef. p. XI et C. Hermannum ad Luc. De Conscr. Hist. p. 33 adnot. V. 306 *ἢ δ' ἂν ἐγὼ* Laurentianus a pr. m., sed idem sec. *ἢ κἂν ἐγώ,* quod ipsum *ἢ κἂν ἐγώ* quum Hermannus in editione bene recepisset, postea (in Opusc. IV p. 382) *ἢ δἂν ἐγώ* scribi maluit. At ista crasi *δἂν* pro *δὴ ἂν* Graeci omnino abstinuerunt. Tum vero Sophocles *ἢ τἂν ἐγώ* dicturus erat, quae Monkii fuit conjectura. V. 329. libri: *τοιαῦτα δ' ἀλλὰ καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν,* quae vitiata esse inter plerosque constat. Etenim atticum illud *ἀλλὰ* in media oratione nihil aliud denotat nisi: ‚at certe' et cum imperativo solet copulari ideoque ab h. l. procul abhorret. Sed ex tot conjecturis una tamen omnes notas habet veritatis, quae emendatio Dindorfio et inprimis Kirchhoffio debetur. Jlle enim prior invenit sed inventam male tuitus est, hic demum optime explicatam dubitatione exemit (in Ind. schol. univ. berol. aest. 1876 p. 8). Hi viri certatim viderunt accentu tantum correcto reponendum esse: *τοιαῦτα δ' ἄλλα καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν.* Graeci enim ut notionem ‚ejusdem rei in alio homine vel loco alio iterum perspicuae' efferant, rem hujusmodi saepe dicunt *ἕτερον τοιοῦτο,* ut Alexis ap. Athen. XIII p. 606, a: *γεγένηται δ' ὡς λέγουσι κἀν Σάμῳ | τοιοῦθ' ἕτερον.* Ita etiam Herodotus habet *ἕτερον τοιοῦτο* II, 5 et II, 150 atque in plurali *ἕτερα τοιαῦτα* I, 120 et I, 191, denique in masculino I, 207 (*ἑτέρων τοιῶνδε*) et III, 47 (*τοιοῦτος ἕτερος*), sed idem Herodotus *ἄλλο τοιοῦτο* vel *τοιαῦτα ἄλλα* ne semel quidem dixit pari significatione. Omninoque haec tam raro invenias ut ea Dindorfius quoque, cujus plurimum intererat, tum frustra quaesivisse videatur. Quo magis gaudeo Kirchhoffium l. l. p. 7 sq. hujus quoque generis locos paucos eos quidem at plane certos e Platone adtulisse. Ergo h. l. eadem quae a Chrysothemide fiant, soror verbis *τοιαῦτα ἄλλα* facere jubetur. Quodsi *τοιαῦτα* solum hic legeretur, non de paribus rebus agi posset sed de similibus, ut est apud Aeschylum in Eum. v. 723: *τοιαῦτ' ἔδρασας καὶ Φέρητος ἐν δόμοις.* Praeterea Kirchhoffius l. l. p. 6 docuit in Theocrito XIV, 1, ubi libri meliores

habent: *ΑΙΣΧ.* *Χαίρειν πολλὰ τὸν ἄνδρα Θυωνιχον.* *ΘΥΩΝ.* *ἀλλὰ τοὶ* (vel *ἀλλά τοι*) *αὐτὰ αἰσχίνα,* Reiskii conjecturam hanc: *ἄλλα τοιαῦτα | Αἰσχίνα* unice probandam esse, quam Kirchhoffius l. l. p. 9 bene interpretatus est. V. 367: *κακὸν μέγιστον — ὃ ταύτην τῶν μακρῶν σχήσει γόων.* In marg. Laurent. adnotatum est *γόων*] *γρ. καὶ λόγων,* quod scholium ad hunc versum Elmslejus retulit, A. Michaelis ad v. 371, denique ad utrumque versum Dindorfius. At v. 371 illud Chrysothemidis: *εἰ τῶνδε μὴ λήξεις γόων* spectat ad haec Electrae verba v. 345: *τῶνδε ληξάσῃ γόων,* ut v. 371 v. *γόων* mutari nequeat. Immo, ut optime Elmslejus, ad v. 367: *τῶν μακρῶν σχήσει γόων* hoc scholium unice pertinet. Ibidem enim grammaticus utriusque scripturae et *λόγων* et *γόων* rationem habuit itaque adnotavit: *μακρῶν: μεγάλων ἢ πολυχρονίων.* Qui quum *μεγάλων* dicat, lectionem *τῶν μακρῶν σχ. λόγων* de magniloquentia eorum accipit, quorum est *μεγάλα λίαν λέγειν* (Aristoph. Ran. v. 834). Nempe atrocissima poena carceris subterranei (v. 373) Electrae imminebat, in quo misera invenire non posset finem lamentorum. Quare v. 367 scholiastae lectionem comprobo: *ὃ ταύτην τῶν μακρῶν σχήσει λόγων* etiam ob v. 365, ubi est *μύθων* et ob chori verba v. 361—363, ubi de eadem re idem vocabulum (*τοῖς λόγοις*) praecedit. V. 463 *Χρ.* — *πειρωμένῃ δὲ τῶνδε τῶν ἔργων ἐμοὶ | σιγὴ παρ' ὑμῶν, πρὸς θεῶν, ἔστω, φίλαι· | ὡς εἰ τάδ' ἡ τεκοῦσα πεύσεται, πικρὰν | δοκῶ με πεῖραν τήνδε τολμήσειν ἔτι.* Verba sunt postrema puellae jamjam abeuntis. Corrigo autem et poëtam ipsum scripsisse contendo: *πικρὰν | δοκῶ π ο ρ ε ί α ν τήνδε τολμήσειν ἔτι.* Vide inprimis supra v. 396 sq: *Χρ. χωρήσομαι τἄρ' οἷπερ ἐστάλην ὁδοῦ. | Ηλ. ποῖ δ' ἐμπορεύει;* Patet vitium *πεῖραν* e v. 460 natum esse, in quo est *πειρωμένῃ.* At iter suum puella adpellare non poterat *πεῖραν* i. e. vel ,experimentum', vel (ut in Ajac. v. 290) ,expeditionem'. Hinc A. Nauckius nuper conjecit uno loci vitio non utroque simul remoto: *δοκῶ με τόλμαν τήνδε τολμήσειν ἔτι.* At correctores antiqui (correctionem enim libri hic exhibent), hi igitur, ut multis saepe documentis perspexi, in lectione corrigenda eodem modo quo nostrae aetatis critici semper fere literarum ductus sequebantur. Quare isti *ΠΟΡΕΙΑΝ* in *ΠΕΙΡΑΝ* poterant mutare, in *ΤΟΛΜΑΝ* non poterant. Denique fuit, qui grammaticum loci vitium bene perspiceret, Meinekium dico (ad. S. Oed. C. p. 258), cujus haec conjectura est: *δοκεῖ με πεῖραν τήνδε τολμήσειν ἔτι.* Etenim *δοκῶ με τολμήσειν* non graecae sed latinae genus structurae est h. e. ,puto me ausuram esse'. Graeci vero vel in oppositione, in quo genere accusativum non repudiant, multo tamen frequentius ponunt nominativum, id quod olim in Quaestt. Luc. p. 101 sq. refutato et Lobeckio et Schaefero clare demonstravi. Hodie praeter J. Bekkerum Cobetus, Dindorfii fratres postremo omnes id ipsum sequuntur, qui quidem atticismum totum non naevo aliquo aut crepundiis sed corpore omni habent cognitum. Praeterea ubi nomen hominis cum magna quadam vi proferendum est, accusativo uti itidem licet, sicut in hac ipsa tragoedia v. 65 recte scriptum est: *ὡς κἄμ' ἐπαυχῶ — λάμψειν ἔτι.* Verum enim ubicunque nomen sine ulla vi effertur, tum vero attici sequuntur reflexionem appositi ad idem subjectum h. e. nominativum ponunt constanter, veluti: *ἐπαυχῶ πλούσιος ἔσεσθαι.* Non sum nescius Stallbaumium in Plat. Civ. III, p. 400, b scripturam: *οἶμαι δέ με ἀκηκοέναι* acriter defendisse, ubi C. E. Schneider p. 263 alteram lectionem: *οἶμαι δέ γε ἀκηκοέναι* optime tuitus est. Tum in Convivio p. 175, e: *οἶμαι γάρ με παρὰ σοῦ πολλῆς καὶ καλῆς σοφίας*

πληρωθήσεσθαι de vicinitatis agitur contagione, quae quoniam mutua est et in Socratem magis etiam cadere dicitur quam in Agathonem, sufficit fortasse: *οἶμαι γὰρ ἐμὲ παρὰ σοῦ* — rescribere. Licet tamen etiam *με* delere, ut H. Usenero visum est: dummodo constet *οἶμαι γάρ με* Platonem hic scribere non potuisse. Postremo in Charmide p. 173, a: *οἶμαι μὲν, ἦν δ' ἐγὼ, ληρεῖν με, ὅμως τό γε προφαινόμενον ἀναγκαῖον σκοπεῖν* corrigendum puto: *ληρεῖν, ὅμως δὲ τό γε* —. Recte enim Heindorfius, vir graece doctissimus (p. 108) judicat *με* hic abundare contra usum Graecorum legitimum. In Sophocle autem ibidem v. 458 haec antecedunt: *δράσω. τὸ γὰρ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον | δυοῖν ἐρίζειν, ἀλλ' ἐπισπεύδειν τὸ δρᾶν.* Pro isto *ἐπισπεύδειν*, quod intelligi nequit, ex J. Stobaeo (Floril. XI, 9) corrigo: *ἐπισπεύδει.* Prima verba, *τὸ γὰρ — ἐρίζειν*, in quibus alii alia mutabant, sana et integra esse itemque *δυοῖν* (pro quo *ἄλλοις* quis exspectet), ad Electram et chorum referri Hermanno adsentior quamvis male caetera interpretanti. Neque enim ‚rationem' poeta *λόγον* dicit, sed ‚orationem' ut in gnome forensi. Pedestres scriptores non *λόγον ἄλλοις ἐρίζειν*, sed pro his omnibus dixissent: *ἀντιλογίαν.* ‚Justa causa, inquit, non habet orationem (contrariam) ita ut cum duobus rixetur, sed maturat agere.' V. 504. Ad malas scholiastae lectiones v. 225 *ἀνάνομος* et v. 479 *πολύπαις* hic tertia et ea ipsi metro perniciosa accedit (si modo ita lectum erat): *οἴκους πολυπάμονας.* At libri exhibent: *οἴκου* (*οἴκουσ* L pr.) *πολύπονος.* Et verba *τοῦδ' οἴκου* genuina esse vel e v. 10 liquet. Immo ea vitiata sunt quae praecedunt: *οὔ τίς πω* (recte Hermannus: *οὔ τί πω*) *ἔλειπεν ἐκ* (*ἔλιπεν ἐκ* mali quidam libri et scholiasta). Inde Hermannus edidit: *οὔ τί πω | ἔλιπεν ἐκ τοῦδ' οἴκου | πολύπονος αἰκία,* metro salvo non item linguae usu Graecorum. Equidem sic corrigo: *οὔ τί πω | ἐξέλιπε τοῦδ' οἴκου | πολύπονος αἰκία* h. e: ‚nondum cessavit (defecit) hujusce domus aerumnosa clades.' Eodem modo v. *ἐκλείπειν* ter (v. 19, v. 985 et v. 1149) in hac tragoedia usurpatum est. Paullo ante (v. 486) pro *ἧμιν* scribo *ὗμιν* (sive *ὑμίν*) uno Reiskio auctore et post *ἔχει,* ubi syllabae tres (— ⏑́ ⏑ potius quam ⏑́ ⏑ ⏑) exciderunt, ego *θεῖόν τι* (i. e. ‚divinatio quaedam') dubitanter suppleo in hunc modum: *πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει | [θεῖόν τι,] μήποθ' ὗμιν | ἀψεγὲς πελᾶν τέρας | τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν.* Compara initium hujus chori v. 465 et Euripideum illud in Cyclope v. 408: *εἰσῆλθέ μοί τι θεῖον.* Postremo adde dictioni: *ἔχει με θεῖόν τι* consimilem et pervulgatam: *κατέχομαι ἐκ θεοῦ,* i. e. ‚divino numine sum adflatus.'

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI Aristophanis Pacem cum parte Vesparum interpretabitur et 2) binis diebus h. XI de arte Graecorum Romanorumque metrica disseret. Postremo 3) horis consuetis Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Euripidis Electra et Agricola Taciti pertractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., 1) privatim docebit elementa anatomes plantarum die Saturni, h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam quinis diebus h. XI—XII; 3) publice cum auditoribus itinera botanica instituet die Saturni.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) Theocriti Idyllia interpretabitur ter per hebd.; 2) Propertii carmina explicabit ter per hebd. Privatissime quater per hebd. topographiam veteris Graeciae Pausania duce enarrabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit privatim 1) calculum integralem quater p. h.; 2) mineralogiam quater p. h.; 3) crystallographiam bis p. h.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit quinquies p. h. 1) oeconomiam publicam; 2) administrationem rei financiariae et militaris.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam nationis Germanicae a Caroli V electione docebit quinis diebus h. XII; 2) privatim de Gallorum seditione a. 1789 exorta disseret ternis diebus h. II; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet binis p. h. horis.

D. Henricus de Stein, P. P. O., 1) philosophiae historiam inde ab ecclesiae patribus usque ad novissima tempora deductam quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora IV—V, 2) psychologiam ter p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii hora III—IV, 3) paedagogicen ter p. h. die Jovis h. III—IV, die Veneris hor. III—V explicabit.

D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim linguam goticam docebit simulque librorum sacrorum traditionem ab Ulfila episcopo conscriptam interpretabitur bis per hebd. hora X—XI; 2) privatissime palaeographiam theodiscam tradet bis per hebd. hora X—XI; 3) privatim de vita et operibus poetae francogallici Molière disseret bis per hebd. hora IX—X; 4) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo „Helmbrecht" poema Wernheri tractabitur.

D. Arminius Comes de Lippe, P. P. O., h. t. Decanus, 1) rei rusticae brevem conspectum dabit horis binis; 2) de universa plantarum educatione exponet item horis binis; 3) conversatorium reget horis quaternis.

D. Oscar Jacobsen, P. P. O., 1) privatim chemiam anorganicam quinquies per hebdomadem docebit; 2) privatim exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebdomadem moderabitur; 3) publice de praeparatis chemicis officinarum bis per hebdomadem disseret.

D. Hermannus Grenacher, P. P. O., 1) Zoologiam et anatomen comparatam animalium vertebratorum quinquies p. h. tractabit; 2) exercitationes zoologicas et zootomicas moderabitur quotidie (privatissime sed gratis).

D. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem primam docebit quinquies per h.; 2) exercitationes physices practicae instituet; 3) privatissime sed gratis colloquia physica moderabitur.

D. Richardus Förster, P. P. O., 1) privatim antiquitates publicas Graecorum enarrabit scholis quaternis p. h.; 2) privatim praefatus de vita ac poesi Catulli carmina interpretabitur quaternis scholis p. h.; 3) publice exercitationes philologas de Plauti Trinummo semel p. h., 4) exercitationes archaeologicas semel p. h. moderabitur.

D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. E., 1) privatim vaticinia prophetarum Haggai, Zachariae et Malachiae ter p. h. explicabit; 2) privatim anthologiam sanscriticam ed. Gildemeister bis p. h. interpretabitur; 3) privatim arabica Hamâsae carmina ed. Freytag bis p. h. explicabit; 4) privatim grammaticam linguae aut chaldaicae simul cum interpretatione chald. V. T. partium aut syriacae una cum interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet; 5) gratis syntaxin linguae hebraicae bis p. h. docebit.

D. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) privatim chemiam agrariam bis per hebdomadem tradet; 2) privatim de plantarum morbis semel per hebdomadem disseret; 3) privatim practicum agrario-chemicum quater per hebdomadem reget.

D. Carolus Weinholtz, privatim 1) ideismum practice tractabit; 2) colloquia philosophica offert.

D. Julius Robert, privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia literarum franco-gallicarum disseret quater p. h.; 3) grammaticam franco-gallicam docebit quater p. h.

D. Ferdinandus de Roda, in cantu liturgico Seminarii catechetici et homiletici sodales binis p. h. scholis, tirones item binis p. h. scholis exercebit.

D. Felix Lindner, 1) gratis grammaticam Anglicam historice ter per hebdomadem docebit; 2) gratis de lingua francica tractabit duce Bartsch „Chrestom. de l'ancien français" bis per hebdomadem.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis patebit, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas velut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ut gymnasticam publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Guilielmus de Zehender, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Fridericus Philippi,** Th. D.
Jurisconsultorum **Siegfriedus Brie,** J. U. D.
Medicorum **Fridericus Merkel,** M. D.
Philosophorum **Arminius Comes de Lippe,** Ph. D.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim epistolam ad Hebraeos interpretabitur quinquies p. h. hora XI—XII; 2) privatim Isagogen in Novum Testamentum docebit quinquies p. h. hora XII—I; 3) publice conversatorium theologicum moderabitur binis horis definiendis.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Veteris Testamenti Vaticinia Messiana interpretabitur, quinis p. h. scholis hora III; 2) privatim librum Jobi explicabit, quinquies p. h. hora IV; 3) privatissime sed gratis Grammaticam linguae Syriacae duce Uhlemanni libro docebit, bis p. h. horis definiendis; 4) exercitationes homileticas in Seminario catechetico-homiletico moderabitur die Saturni h. IX—XI.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinquies p. hebd. h. IX, 2) privatim historiam doctrinae protestantium quinquies p. hebd. h. X, 3) publice historiam dogmatum aetatis mediae die Mercurii h. VI et h. VII tradet et 4) publice in Seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et h. XII. moderabitur.

D. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim theologiam apologeticam quinquies p. h. docebit h. VII; 2) privatim theologiam biblicam quinquies p. h. tradet h. VIII.

In ordine juridico.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) historiam juris Germanici tradet quinis p. h. scholis h. XII; 2) jus mercatorium et cambiale docebit sexies h. X; 3) Relatorium instituet semel p. h. hh. dd.

D. Augustus Thon, P. P. O., 1) institutiones juris romani tradet quinquies p. h. hh. cc.; 2) historiam juris romani docebit quinquies p. h. hora IX; 3) practicum quod vocant civile instituet die Martis h. V—VII.

D. Siegfriedus Brie, P. P. O., h. t. Decanus, 1) jus publicum Germanicum tradet quinis p. hebd. scholis h. XI; 2) processum criminalem docebit juris Mecklenburgici rationem habens quinquies p. hebd. h. XII.

D. Gustavus Kretschmar, P. P. O., 1) Pandectarum partem primam (praecepta generalia et jura in re) tradet senis p. h. scholis hor. XII; 2) doctrinam de hereditatibus quinis scholis docebit hor. XI; 3) exercitationes exegeticas moderabitur hh. cc.

D. Carolus Birkmeyer, P. P. E., jus criminale Germanicum tradet denis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris hora VIII—X.

In ordine medico.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem quaternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.

D. Hermannus Adolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) quotidie h. IX—X docebit; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem trinis horis.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., h. t. Academiae Rector, 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—II moderabitur; 3) cursum operationum, quae in arte ophthalmiatrica adhibentur, horis definiendis reget.

D. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora VII; 2) operationes, quae in arte obstetricia adhibentur, ope corporum artificialium exercendas moderabitur bis p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur hora VIII; 4) tocologiam experimentis docebit horis binis p. h. publice.

D. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice anatomiam topographicam capitis horis singulis, 2) privatim anatomiae systematicae partem secundam (organa sensus, angiologiam et neurologiam) sexies p. h. h. XII—I docebit; 3) privatim histologiam generalem una cum exercitationibus pract. quater horis definiendis moderabitur.

D. Clemens Aemilius Ponfick, P. P. O., 1) anatomiam pathologicam specialem quotidie docebit hora III—IV; 2) cursum demonstrativum anatomiae et histologiae pathologicae binis horis ter per hebd. moderabitur.

D. Carolus Gaehtgens, P. P. O., 1) publice chemiam physiologicam quaternis diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. IV, 2) privatim pharmacognosim ternis diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. XII docebit; 3) privatim exercitationes practicas in laboratorio moderabitur quater, horis definiendis.

D. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., 1) chirurgiam specialem diebus Martis, Jovis, Saturni h. X tradet privatim; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis, Saturni h. XI—I moderabitur; 3) privatissime cursum operationum chirurgicarum moderabitur horis definiendis.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) privatim de normalibus et abnormibus partubus ter p. hebd. disseret; 2) selecta gynaecologiae capita bis p. hebd. moderabitur; 3) publice de angustae pelvis forma semel p. hebd. disseret.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXVI—LXXVII

INDE AB DIE XVI M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

LECTIONUM SOPHOCLEARUM

PARTEM SECUNDAM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Habeo non pauca multis abhinc annis inventa, quae jam dudum edere et poteram et fortasse debebam. Quae si nunc tandem vel omnia vel potissima vulgare ipse coepero, amicis post mortem meam onus demam aut certe levabo alienum opus idque postumum edendi magno sane labore et plerumque ingrato. Atque in hoc genere insunt etiam, ad quae nuper redire coepi, Sophoclea. Omnino tamen insunt quum admodum varia, tum ea partim quae nemo exspectet, ad quae vix quisquam accedat nisi necessitate coactus ac paene collo tractus obtorto. Quare illos philologos soleo beatos praedicare, qui in magnis academiis locati eos juventuti explicare scriptores aliasque literarum partes tradere possunt, in quibus adeo habitant, ut et ipsi inde voluptatis plurimum et auditores fructum capiant uberrimum. Adeo quorum virorum tanta virtus est, ut in amplissimo campo excurrere cognoscique possit, ii tamen cum literarum bono plerumque quodam minore gyro continentur et certis scholas suas finibus possunt includere. At in minore academia non multi magistri sed singuli fere aut ad summum bini e tanto literarum nostrarum tamque immenso ambitu quam plurima complecti solent veriti, ne studia earum artium, in quibus cessatum fuerit, ipso silentio de juvenum manibus excutiantur. Itaque nos hic in ampliore quodam literarum orbe stamus vel inviti: qui orbis quum septimo quoque mense versetur, eas potissimum scholas eligere debemus, ad quascunque nos praesens necessitudo juvenumque nostrorum utilitas converterit. Ac ne ea quidem inventa, quae apud me adhuc in tenebris jacent, omnia e fructibus studii sunt privati, sed plurima mediis e scholis depromenda, ad quas nisi otio diligenter praeparato nunquam accedimus. Pertinent autem haec studia ad bene multos Graeciae Latiique scriptores et pleraque generis sunt critici: alia ad artem grammaticam, ad metricam, ad historiam literarum, ad antiquitates scaenicas et atticas referuntur. Haec igitur adversaria delectu habito justoque servato ordine tandem aliquando edere institui, si prius Lucianum meum absolvero. Sed revertor ad Sophoclis Electram et ab extrema fabula v. 1390—1434 Herm. (1398—1442 Br.) incipio. His in locis post v. 1422 (1429) unum Orestis trimetrum excidisse Seidler vidit De VV. D. p. 248, errans ille tamen in dispositione carminis universi, quam non ut Erfurdtius sed quodam leniore modo frustra instituit. Immo et versuum responsionem, quae Erfurdtio in universum debetur et ejusdem descriptionem personarum Hermannus ad v. 1390 tam manifestis tamque certis argumentis confirmavit, ut jam his in rebus editores Hermannum ducem merito sequantur. Itaque restat hoc unum, ut aliquot versus tractem et (si forte) corrigam, quos ab aliis nondum video sanatos esse. Quanquam neque in mutilis quae perierunt recuperare licet, neque in mendosis quae vitiata sunt certo omnia emendare. Cujusmodi est v. 1406 (1414) istud Laurentiani: *φθίνει φθίνει.* Attamen si ego in antistrophico v. 1428 (1434) *τελεῖν* pro *πάλιν* feliciter restitui: verisimile est nostri versus ultimum verbum fuisse *φθίνειν* infinitivum, ut si quis Eurip. Phoeniss. v. 416 comparet et scribi velit: *ὦ πόλις, ὦ γενεὰ*

τάλαινα· νῦν σε | μοῖρα καθαμερία [καλεῖ] φθίνειν. Alia sunt certiora. Ita v. 1408 (1418): εἰ γάρ, Αἰγίσθῳ θ' ὁμοῦ recte habet illud θ' et sic explicandum est: ‚utinam (porro diceres:) Aegisthoque simul' h. e. ‚utinam diceres: ὤμοι μάλ' αὖθις Αἰγίσθῳ θ' ὁμοῦ. Porro de v. 1410 (1420) ita olim scripsi verbotenus: ‚pro πολύρρυτον corrige παλίρρυτον et accipe de sanguine, qui quasi amnis refluus in caput auctoris recidat. Plane sic de hac ipsa re loquitur etiam Euripides in Electra v. 1150: παλίρρους δὲ τάνδ' ὑπάγεται δίκα | διαδρόμου λέχους.' Haec margini edit. Hermannianae adscripsi, qua cum scholiis a P. Elmslejo editis tum quidem sola uti mihi licuit in Sophocle primum diligentius perlegendo. Longo tempore post cognovi etiam Bothium παλίρρυτον rescribi voluisse. Haec igitur correctio mihi invito praerepta est, non item alia, quam eodem tempore margini adscriptam non minus certae fidei esse arbitror. Nam initio antistrophi v. 1412 (1422) princeps chori persona Oresten cum Pylade foras prodire nuntians: καὶ μήν, inquit, πάρεισιν οἵδε· φοινία δὲ χεὶρ | στάζει θυηλῆς Ἄρεος, οὐδ' ἔχω λέγειν. In oculos incurrit haec corrupta esse. Sed de plerisque conjecturis tacere praestat: una tamen, quod nonnullis male probata est, non omittenda videtur Erfurdti: οὐδ' ἔχω ψέγειν (pro λέγειν) i. e. ‚caedem Clytaemnestrae nequeo vituperare'. Quasi aut judicium interponere liceat de re nondum comperta, aut chori tragici et generosarum virginum sit ut jure caesae exitum laudare reginae suae ac palam defendere foedum Orestis parricidium. Quid igitur aliud hic res ipsa exposcit? Chorus quum reginam iterato ictu percussam esse et praeterea nihil audisset, scire nondum poterat, utrum occisa esset planeque confecta, an vulnere non mortifero adfecta, denique utrum suo sanguine an percussorum ipsorum manus inquinasset. Hinc sequitur poëtam ita scripsisse: Καὶ μὴν πάρεισιν οἵδε, φοινία τε χεὶρ | στάζει· θυηλὰς δ' Ἄρεος οὐκ ἔχω λέγειν. ‚Manus, inquit, cruore stillat: victimas vero Martis non habeo dicere', i. e. ‚nescio quem res eventum habuerit'. Neque vero haec sententia, ut Hermanno videbatur, satis frigida est. Nam post haec ipsa chori verba Electra quoque eventum se rei ignorare fatetur. Omnino autem mos tragoediae fert, ut chorus quodcunque non certo scierit, pro certo se adfirmare neget, veluti chorus in Aeschyli Agam. v. 247: τὰ δ' ἔνθεν οὔτ' εἶδον οὔτ' ἐννέπω. Confirmatur emendatio nostra etiam Homereo illo in Jl. ι, 220: ὁ δ' ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς. Ergo vix credibile est, Sophoclem singulari numero θυηλῆς uti maluisse. Postremo illud φοινία τε χεὶρ στάζει ad proxima superiora verba refertur chori ipsius: παλίρρυτον γὰρ αἷμ' ὑπεξαιροῦσιν, ut τὲ particula hic posita sit aptissime. Tum in proximi versus initio ΗΛ. Ὀρέστα, πῶς κυρεῖ; Reisigius (in Conject. p. 238) verissime reponi jussit: ΗΛ. Ὀρέστα, πῶς κυρεῖτε; de qua re Hermannus male dubitabat. Transeo ad v. 1425 sq. (1431 sq.) ΟΡ. εἰσορᾶτέ που (recte Hermannus: εἰσορᾶτε ποῦ) | τὸν ἄνδρ' ἐφ' ἡμῖν; ΗΛ. οὗτος ἐκ προαστίου | χωρεῖ γεγηθώς (ultimam partem trimetri interiisse jam Brunckius animadvertit). Conjeceram ego suppleveramque hoc modo: ΟΡ. εἰσορᾶτε ποῦ | τὸν ἄνδρ' [ἰόντ'] ἐφ' ἡμιν; ΗΛ. ἐκ προαστίου | χωρεῖ γεγηθὼς οὗτος [[ἐντόνῳ ποδί.]] In his certam fidem habere videtur transpositio: γ. γ. οὗτος ob strophicum v. 1404 (1412): ᾤκτειρεθ' οὗτος οὐδ' ὁ γεννήσας πατήρ, ubi item est οὗτος. Ita μέν exstat et in strophico v. 1400: ἡ μὲν ἐς τάφον et in antistr. 1414: τὰν δόμοισι μέν, utrobique sub finem trimetri. Eaedem fere conjecturae sunt tum Martini: τὸν ἄνδρ' ἰόντ' ἐφ' ἡμιν; ΗΛ. ἐκ πρ. | χ. γεγηθὼς οὗτος tum vero Wolfii: τὸν — ἡμῖν βάντα; ΗΛ. καὶ μόνος βάδην | χωρεῖ γεγηθὼς οὗτος

ἐκ προαστίου, qui in transponendis illis *οὗτος ἐκ πρ.* Palatinum codicem secutus est. Sed veniamus ad versus proximos: *ΧΟ. βᾶτε κατ' ἀντιθύρων ὅσον τάχιστα | νῦν, τὰ πρὶν εὖ θέμενοι, τάδ' ὡς πάλιν. | ΟΡ. θάρσει· τελοῦμεν. ΗΛ. ᾗ νοεῖς ἔπειγέ νυν.* Nihil hic loci est reticentiae. Quanquam enim et comici et satyrici non raro aposiopesi utuntur, ut ego in Quaestt. Luc. p. 61 sq. et p. 104 ostendi: tamen in tragoedia graeca non item ut in hodierna poesi temere oratio abrumpitur. Et hoc quidem Hermannus ad v. 1413 et ad v. 1428 bene observavit. Pessime igitur Triclinius aliique *τάδ' ὡς πάλιν* — cum reticentiae signo ediderunt. Nihilo melius est, quod Wunderus *θῆσθε* tacito adsumi voluit tanquam in oratione imperfecta. At scriptores attici sententiam hoc modo finire nequeunt *ὡς πάλιν.* vel *ὅπως πάλιν.* vel *ἵνα πάλιν.* subjunctivo verbi absurde omisso. Ita ei demum, qui haec viderunt corrupta esse, merito laudandi sunt, Musgravius, Heimsoethius, alii, quorum conjecturas utpote inutiles praetereo. Equidem haec dico ita legenda esse, ut *ΠΑΛΙΝ* in *ΤΕΛΕΙΝ* mutetur scribaturque: *τάδ' ὡς τελεῖν.* Quid nobis tam optandum potest esse in loco ejusmodi et in menda adeo molesta, quam ut haec eadem dixerit ipse Sophocles? Dixit. Etenim ad haec ipsa chori hortantis verba: *βᾶτε κ. ἀ. ὅ. τ. | ν. τ. π. εὖ θέμενοι, τάδ' ὡς τελεῖν* continno Orestes respondet: *θάρσει· τελοῦμεν,* h. e. ,Ch. abite — et haec perficite. Or. bono animo es: perficimus.' Videsis etiam similem locum supra v. 1391 (1398): *ἄνδρες αὐτίκα | τελοῦσι τοὔργον.* Deinde in eo versu qui verba *τάδ' ὡς πάλιν* proxime subsequitur, personae in codicibus ita divisae sunt: *ΟΡ. θάρσει· τελοῦμεν ᾗ νοεῖς. ΗΛ. ἔπειγέ νυν,* quod vitium Seidler De VV. D. p. 247 nullo modo tueri debebat. Immo optime Erfurdtio auctore Hermannus ita potius distribuit: *ΟΡ. θάρσει· τελοῦμεν. ΗΛ. ᾗ νοεῖς ἔπειγέ νυν* praefatus verba *ᾗ νοεῖς* certo Electrae esse ,idque docere stropham'. Nam strophicus versus 1407 (1415) hic est: *ΚΛ. ὤμοι πέπληγμαι. ΗΛ. παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν.* At Seidler l. l. personarum ordinem mutandum fuisse negat aitque in antistropho respondere posse etiam trimetrum inaequaliter divisum. Qui si meam emendationem nosse potuisset, opinionis errore liberatus cum Erfurdtio consentiret. Nam ad chori verba: *βᾶτε — τάδ' ὡς τελεῖν* Orestes hoc uno modo respondere debebat: *θάρσει· τελοῦμεν,* neque ullo pacto ita loqui poterat: *θάρσει· τελοῦμεν, ᾗ νοεῖς.* Hasce strophas scaena ultima excipit, in qua prodit Aegisthus v. 1434 (1442) isque v. 1437 ita loquitur: *σέ τοι, σὲ κρίνω, καὶ σὲ τὴν ἐν τῷ πάρος | χρόνῳ θρασεῖαν· ὡς μάλιστα σοὶ* (non *μάλιστά σοι*) *μέλειν | οἶμαι —.* Primum explodenda est Reiskii conjectura *ναὶ σέ* (pro *καὶ σέ*), quae legibus anaphorae repugnat nec minus Sophocle indigna est, quam talis versus: *σέ τοι, σὲ κρίνω, ναὶ σὲ, ναὶ σὲ, ναὶ σὲ δή.* Nempe librorum scriptura, quam Elmslejus ad Ajac. 1228 tacito servavit, retinenda est. Uti supra v. 650 (660) chorum paedagogus primo adloquitur more tragoediae servato: ita etiam Aegisthus prodiens chorum primo interrogat, ita tamen, ut v. 1434 verbis *τίς οἶδεν ὑμῶν* Electram quoque complectatur, quae cum choro tum sola aderat. At chorus, qui caedi se immiscere non debebat, hic (v. 1434—1500) tacet constanter neque ad interrogationem: *τίς οἶδεν ὑμῶν —;* respondet. Ob hanc pertinaciam Aegisthus anaphora usus chori principem personam iterum interrogat hisce verbis: *σέ τοι, σὲ κρίνω* et proxima demum: *καὶ σὲ τὴν ἐν τῷ πάρος | χρόνῳ θρασεῖαν — φράσαι* idem dicit conversus ad Electram. Similis locus est Euripidis in Iphig. Taur. v. 1049: *σὸν ἔργον ἤδη, καὶ σὸν, εἰσβαίνειν δόμους,* ubi *σὸν — καὶ σόν* item ad

plures dicuntur, unde Barnesius et (ad Phoeniss. v. 447) Valckenarius ὑμέτερον interpretati sunt. VV. 1477. 1478 (148[illegible] sq.) Hos duo versus hic certe Sophocles omnino non scripserat neque eorum loco dederat aliud quidquam, sed v. 1476 et 1479 in hunc modum continuarat: ΉΛ. μὴ πέρα λέγειν ἔα, | πρὸς θεῶν, ἀδελφὲ, μηδὲ μηκύνειν λόγους, | ἀλλ' ὡς τάχιστα κτεῖνε —. Ita subito pro uno duo locos habemus eosque inter se non admodum similes. Nam Electra de homine malefico et parricida agit, quem ocius e medio censet tollendum esse. At in suppositis versibus legimus vitam humanam malis abundare, ut omnibus cita mors expetenda sit. Quare hi duo versus melius aptiusque comparati essent cum Soph. Oedip. Col. v. 1227 sqq. vel cum Aristoph. Pac. v. 366 sq., unde patet bello Peloponnesio saeviente Athenis non paucos fuisse, quos vitae pertaederet. Quid, quod duo versus 1477 sq. prima manus Laurentiani ne habet quidem, sed secunda demum margini eos inscripsit partim in litura scholii. Quare hos versus Dindorfius summo jure delet: rejicit autem quasi ‚futiles et inutiles' neque quid sibi velint, demonstrat. Sunt autem hi versus quum per se longe optimi, tum certo enati e scholio deperdito, ubi tanquam similes versus in margine comparati fuerant. Ad scripturam quod attinet, vulgo ita leguntur: τί γὰρ βροτῶν ἂν σὺν κακοῖς μεμιγμένων | θνήσκειν ὁ μέλλων τοῦ χρόνου κέρδος φέροι; Sed in altero versu secunda m. Laurentiani recte dedit φέρει (non ut tertia φέροι vulgatam). Ibidem θνήσκειν ὁ μέλλων minime dicitur ‚homo moriturus', sed nimirum ‚is qui mori cunctatur'. Tum in priore versu pro βροτῶν ἂν certo corrige βροτείων et ita rescribe: τί γὰρ βροτείων σὺν κακοῖς μεμιγμένων | θνήσκειν ὁ μέλλων τοῦ χρόνου κέρδος φέρει; Hoc est: ‚quum sors humana malis commixta sit, quid is qui mori cunctatur e tempore (scil. vitae paullo longioris) percipit lucri?' Ceterum (τὰ) βρότεια de sorte humana frequentat Euripides, quem vide vel in Iphig. Taur. v. 573. Ipsi versus e tragoedia petiti aut Sophoclis fuerant ipsius aut Euripidis. Hinc sequitur primum illos versus e scholio vetusto depromtos esse, non virgula suppeditatos divina: deinde ipsos versus non sane ‚futiles et inutiles' censendos esse, sed laudabiles et tragico dignos cothurno. Praeterea alii quidam hujus fabulae versus nobis suspecti sunt, inprimis v. 1164 (1173) ad quem nunc transeo. Electram enim, quae nuntio de morte fratris accepto lugebat, chorus ita consolatur: θνητοῦ πέφυκας πατρός, Ἠλέκτρα, φρόνει· | θνητὸς δ' Ὀρέστης· ὥστε μὴ λίαν στένε. | πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν. Etsi multo ante idem dixerat chorus v. 849 (860), solatium tamen gravissimum tanto post omnino licebat repetere. Neque ternos coryphaei trimetros Sophocles vitat, quorum loco binos ponere solet Euripides: quo spectat jocus Eupolidis ap. schol. ad Eurip. Medeam v. 507. Tantum autem abest, ut versus extremus: πᾶσιν—παθεῖν langueat, ut hic per se longe sit aptissimus. Plane necessarium eum non esse video, at bene convenientem poëtae ubertati. At, inquit, illud certe magnam debet vim habere, quod hic ipse versus Valckenario observante irrisus esse dicitur ab Aristophane ap. Stobaeum in Floril. CXVIII, 16: Ἀριστοφάνους Πολυΐδου· Τὸ γὰρ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον λῆρος πολύς· | πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν. Quanquam autem gnome vulgaris est et alibi velut in Eurip. Alcest. v. 782 quodam simili modo proposita: tamen qui parodiae naturam probe norit, profecto concedet illum ipsum versum, qui nunc in Electra est, ab Aristophane traductum esse. Enimvero in Lect. Soph. I p. 4 docui Sophoclis Electram non alia de causa, nisi quod longe optime scripta vulgo omnibus nota erat, ab comicis certatim delusam fuisse, semel

v. 289 ab Aristophane etiam in Gerytade. Tamen Bergkius in Annal. Zimmerm. Nr. 120 a. 1835 p. 962 versum 1164: *πᾶσιν—παθεῖν* ab Sophocle abjudicandum esse contendit, quem potius ad Euripidis Polyidum pertinuisse. Quam conjecturam postea et Bergkius tenuit (in Meineki Fragm. Com. Gr. V. II P. II p. 1133) et Dindorfio Wundereque de ejus veritate persuasit. Constat in tanto numero parodiarum, quae sunt apud Aristophanem, perpaucas ad Aeschylum, non multas ne ad Sophoclem quidem, sed plerasque ad unum spectare Euripidem. Et hoc solo argumento incerta ista Bergkii conjectura nititur. Sed quum duo versus 1477 sq. male e scholio irrepsisse supra demonstraverim: Bergkius, qui versum 1164 Euripidis fuisse mavult, dicere poterit, hunc quoque sibi videri e margine et scholio in Electram temere illatum esse. Potuisse id fieri facile largior, revera autem factum esse haudquaquam credo neque tam infirmae opinioni multum audeo tribuere. Alia vel nullam ob causam vel ob minime idoneam in suspicionem adducta sunt, velut hic locus v. 1497 (1505): *χρῆν δ' εὐθὺς εἶναι τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην, | ὅστις πέρα πράσσειν τι τῶν νόμων θέλοι, | κτείνειν. τὸ γὰρ πανοῦργον* (*κακοῦργον* Nicephorus, quod merum est glossema) *οὐκ ἂν ἦν πολύ.* Hi tres versus, quos Dindorfius delebat, vel maxime genuini sunt. Dicit Orestes, qui maleficum hominem tum maxime ad mortem ducebat, omnes maleficos occidendos esse, ut legum metu nimia contineatur audacia utique communi prospiciatur saluti. Nimirum Sophocles nimiam suorum temporum in suppliciis sumendis lenitatem (quae cadit etiam in aetatem hodiernam) tecte castigat ac prorsus consentit cum antiquis legum latoribus, de quibus eximie Lycurgus in Leocrat. § 64: *καίτοι ῥᾴδιόν ἐστιν,* inquit, *ὦ ἄ., πρὸς τὰς τῶν ἀρχαίων νομοθετῶν διανοίας ἀποβλέψαντας τὴν ἀλήθειαν εὑρεῖν. ἐκεῖνοι γὰρ—ὁμοίως ἐπὶ πᾶσι καὶ τοῖς ἐλαχίστοις παρανομήμασι θάνατον ὥρισαν εἶναι τὴν ζημίαν.* Porro v. 1281 (1289) non tam hoc quaeritur, quid Electra videatur dictura fuisse, quam quid ipse nunc cogitet Orestes. Cogitat autem matri et Aegistho justam necem inferre, qui (ut proci in Odyssea) regni opes effundebat. Quare agendi tempus venisse ait non sermocinandi et tandem vindicandi istorum scelera non diu omnia recensendi. Enimvero hos ipsos versus tres: *καὶ μήτε μήτηρ ὡς κακὴ δίδασκέ με, | μήθ' ὡς πατρῴαν κτῆσιν Αἴγισθος δόμων | ἀντλεῖ, τὰ δ' ἐκχεῖ, τὰ δὲ διασπείρει μάτην* Arndtio (in progr. Neobrandenb. a. 1854 p. 15) placuit delere. At quid aliud est, e Sophocle Sophoclem ipsum sublatum velle, nisi necessariam fabulae oeconomiam turbando tollere, quae sane poscit, ut hi versus serventur: qui si in codd. excidissent, signis opus foret lacunae. Ceterum de omni hoc conjecturarum genere in poëtis scaenicis quae mea sententia sit, alio loco ostendam. Nunc quidem hoc unum dico, perpaucos me in Electra versus invenisse de hac fraude suspectos, pauciores etiam certo subditivos. Nam qui multos versus temere ejicere audent, cum Sophocle mihi videntur pessime Euripidem confundere, cujus poëtae longe alia ratio est. Sed in prima harum lectionum parte ad v. 506 (516) perventum erat, ubi prodit Clytaemnestra. Nunc ibidem pergam attingamque etiam alios locos haud ita multos: nam brevitati serviendum est. V. 676 (686) sermo est de Oreste in ludis scilicet Pythicis cursore: *δρόμου δ' ἰσώσας τῇ φύσει τὰ τέρματα, | νίκης ἔχων ἐξῆλθε πάντιμον γέρας.* Pro absurdo isto *τῇ φύσει,* quod libri omnes cum scholiasta et Suida exhibent, jam olim Musgravius intellexit *τἀφέσει* (i. e. *τῇ ἀφέσει*) corrigendum esse optimeque id probavit Brunckio, Erfurdtio, Schaefero, Dindorfio. At Wunderus mendam *τῇ φύσει* non dubitat tueri, Nauckius autem

feliciter eam emendatam esse negat atque adeo transponere hos versus conatur, qui nunc loco positi sunt aptissimo. Denique Hermannus suscepta correctione *ταφέσει* ad novam interpretationem eamque ineptam aberravit, quum haec et ab ipso Musgravio et a Brunckio recte explicata essent. In qua re profecto non frigidum acumen inest aut a Sophocle alienum. Quodsi de stadii cursore agitur, superlatio veritatis sive *ὑπερβολή* omnino modica est. Etenim si tam brevem cursum victor summa celeritate peregerat: spectatores vix oculis accredebant cernentes momento temporis ab cursore finem curriculi cum initio paene exaequatum esse. Quomodo autem ab Sophocle id alienum dici potest, quod atticorum usu receptum ac tritum propemodo in proverbium abiit? Hoc enim testatur usus rhetorum, ut Luciani in Timone c. 20: *ἅμα γοῦν ἔπεσεν ἡ ὕσπληγξ κἀγὼ ἤδη ἀνακηρύττομαι νενικηκὼς, ὑπερπηδήσας τὸ στάδιον οὐδὲ ἰδόντων ἐνίοτε τῶν θεατῶν.* Ad quem locum ego (in edit. Luciani Vol. III P. I p. 158) ex Anthol. Pal. XI, 86 epigramma de Lada cursore contuli, ab Henrico Jacobi illud egregie suppletum, in quo inde a v. 3 haec legas: *Λάδας τὸ στάδιον δ' εἴθ' ἥλατο εἴτε διέπτη, | δαιμόνιον τὸ τάχος κοὐδὲ φράσαι δυνατόν. | ὁ ψόφος ἦν ὕσπληγγος ἐν οὔασι, καὶ στεφανοῦτο | Λάδας, καὶ Περικλῆς δάκτυλον οὐ προέβη.* Huc accedit Antipatri Sidonii epigramma XXXIX de Aria cursore: *ἢ γὰρ ἐφ' ὑσπλήγγων ἢ τέρματος εἶδέ τις ἄκρον | ἠΐθεον, μέσσῳ δ' οὔποτ' ἐνὶ σταδίῳ.* Nunc demum elucet in Sophocle Musgravi emendatione *ταφέσει* nihil cogitari posse certius.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim symbolicen comparativam sive doctrinam ecclesiarum et sectarum secundum fontes symbolicos quinis diebus tradet h. XI; 2) privatim Pauli ad Corinthios epistolam primam interpretabitur quinquies p. h. h. XII; 3) publice die Saturni h. III et h. IV Pauli ad Corinthios epistolam alteram explicabit.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiam Vet. Foederis enarrabit, quinis p. h. scholis hora III; 2) privatim Jesajae vaticinia interpretabitur, quinquies p. h. hora IV; 3) publice Jesajae contra exteras gentes edita oracula (c. XIII sqq.) binis p. h. scholis explicabit, horis definiendis; 4) privatissime sed gratis selectas veteris et medii aevi ecclesiae conciones sacras analytice tractandas proponet, binis scholis die Merc. hh. VI—VIII vesp.; 5) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes moderabitur, die Sat. hh. IX—XI.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies p. h. h. IX, 2) privatim historiam dogmatum quinquies p. h. h. X tradet et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

D. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim de vita et doctrina apostolorum disseret quater p. h. hora VIII—IX; 2) privatim theologiam dogmaticam docebit quinquies p. h. hora IX—X et die Veneris h. VIII—IX; 3) privatissime sed gratis exercitationes dogmaticas binis p. h. scholis horis definiendis instituet.

In ordine juridico.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., privatim 1) jus Germanicum privatum docebit quinquies h. XII; 2) jus feudale tam commune, quam Mecklenburgicum exponet ter p. h. h. IV; 3) juris Mecklenburgici privati praecepta tradet ter p. h. h. IV.

D. Augustus Thon, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. IX, 2) pandectarum partem II (obligationes) quinis p. h. scholis h. X docebit.

D. Siegfriedus Brie, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum quinis p. h. scholis docebit hora V; 2) juris et ecclesiastici et civilis de matrimonio praecepta tradet bis p. h. hora III; 3) encyclopaediam juris universi docebit ter p. hebd. h. h. c. c.

D. Gustavus Kretschmar, P. P. O., 1) institutiones juris Romani docebit quinquies h. XII; 2) historiam juris Romani tradet quinis p. h. scholis h. XI; 3) practicum, quod vocant pandectarum instituet h. h. c. c.

D. Carolus Birkmeyer, P. P. E., 1) theoriam processus civilis ratione Mecklenburgici juris habita senis p. h. scholis h. XI, 2) jus criminale Germanicum senis p. h. scholis h. III docebit.

In ordine medico.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem quaternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.

D. Hermannus Adolphus Aubert, P. P. O., h. t. Academiae Rector, 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) publice generationis et evolutionis historiam diebus Mercurii et Saturni h. III—IV, 3) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) quotidie h. IX—X, 4) privatim Hygieinam diebus Martis et Veneris h. V—VI, 5) privatim Physiologiam animalium generalem dieb. Mercurii et Saturni h. V—VI docebit.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora XII—II, 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

D. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur h. VIII; 2) mulierum morbos ternis horis p. h. h. IX et 3) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.

D. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) osteologiam et syndesmologiam d. d. Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X, 2) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. h. XII—I docebit; 3) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. X—XII, 4) exercitationes microscopicas ter p. h. moderabitur.

D. Aemilius Ponfick, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim pathologiam generalem quotidie hora III—IV docebit; 2) privatim cursum demonstrativum anatomiae et histologiae pathologicae, nec non exercitationes necropticas binis horis ter per hebdomadem moderabitur.

D. Carolus Gaehtgens, P. P. O., 1) formulas medicamentorum scribere docebit die Lunae h. IV privatim; 2) pharmacologiam tradet quaternis diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. IV privatim; 3) de urinae analysi cursum habebit binis diebus Martis et Veneris h. XII publice; 4) exercitationes practicas in laboratorio moderabitur quater, horis definiendis privatim.

D. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., 1) akiurgiam tribus diebus h. X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis et Saturni h. XI moderabitur.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) gynaecologiam theoreticam ter per hebd. docebit; 2) cursum operationum gynaecologicarum ter per hebd. habebit.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI T. Lucreti Cari „De rerum natura" libros I—III interpretabitur et 2) binis diebus h. XI de omni re scaenica Graecorum Romanorumque disseret. Denique 3) horis consuetis Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Sophoclis Ajax et Bacchides Plauti legentur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit 1) familias plantarum naturales, demonstrationibus illustrandas, ternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter per hebd. Apollonii Rhodii Argonautica, 2) ter per hebd. Juvenalis satiras interpretabitur. Privatissime quater per hebd. de scriptoribus eroticis graecis Byzantinae aetatis disseret.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit, 1) publice: astronomiam popularem bis p. h.; 2) privatim: geometriam analyticam quater p. h.; 3) privatim: geologiam quater p. h.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit 1) jus administrativum, sexies p. h. hora IX, 2) politiam, quater p. h., hora VIII.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam saeculi XVII et XVIII narrabit quinis diebus h. XII; 2) privatim de Gallorum seditione a. 1789 exorta disseret ternis diebus h. II; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet binis diebus.

D. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam philosophiae antiquae quater p. hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora IV—V, 2) logicen et metaphysicen quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora V—VI, 3) aestheticen bis per hebd. die Veneris hor. IV—VI docebit.

D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim Godofredi Argentoratensis poëma Tristan interpretabitur ter per hebd. hora X—XI; 2) privatim syntaxin linguarum romanarum docebit bis per hebd. hora IX—X; 3) privatissime exercitationes cum sodalibus instituet de litterarum germanicarum historia saeculi XVII et XVIII bis per hebd.; 4) publice colloquia diriget de quaestione orthographica germanici sermonis nuper tractata; 5) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo parva poëmata Tristanum celebrantia atque liber popularis tractabuntur bis per hebd. horis IX—XI.

D. Arminius Comes de Lippe, P. P. O., 1) doctrinam de agro recte colendo tradet in universum binis horis privatim; 2) de generanda et conservanda animalium subole disseret binis horis privatim; 3) de tellure per canales subterraneas siccanda tum de pratis irrigandis et bene colendis binis horis privatim; 4) conversatorium reget de rebus ad agriculturam spectantibus quaternis horis privatim.

D. Oscar Jacobsen, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebdomadem docebit; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebdomadem moderabitur.

D. Hermannus Grenacher, P. P. O., 1) morphologiae animalium partem primam (introductionem generalem, systema et anatomiam comparatam animalium vertebris carentium) quinquies per hebd. privatim tractabit; 2) de organi visus animalium structura disseret semel per hebd. publice 3) exercitationes zoologico-zootomicas quotidianas instituet, privatissime.

D. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinquies per hebd.; 2) physices theoreticae selecta capita tradet bis p. h.; 3) exercitationes physices practicae solito more instituet; 4) privatissime sed gratis colloquia physica moderabitur.

D. Richardus Förster, P. P. O., privatim 1) antiquitates Atticas enarrabit scholis ternis per hebd. hora IX; 2) praefatus de vita ac poesi Pindari carmina explicabit quaternis scholis per hebd. hora X; 3) publice in societate philologa Horatii carmina tractabit bis p. h.; 4) exercitationes archaeologicas semel p. h. moderabitur.

D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. E., 1) privatim grammaticam linguae sanscriticae praecipua linguarum et graecae et latinae ratione habita ter p. h. tradet; 2) privatim vaticinia prophetarum Hoseae, Jonae, Nahumi, Habacuci ter p. h. explicabit; 3) privatim prophetarum Targumim (ed. de Lagarde) bis p. h. interpretabitur; 4) gratis societatem habebit grammaticam, in qua interpretationi prophetarum Joelis et Amosi bis p. h. praeerit.

D. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) de nutritione plantarum bis per hebd. disseret; 2) introductionem in chemiam agrariam bis per hebd. tradet; 3) practicum agrario-chemico-physiologicum quater per hebd. reget.

D. Carolus Weinholtz, 1) privatim artium liberalium qualitates diversas illustrabit; 2) colloquia ideistica offert.

D. Julius Robert, privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia litterarum franco-gallicarum disseret quater p. h.; 3) grammaticam franco-gallicam docebit quater p. h.

D. Felix Lindner, gratis 1) grammaticam linguae franco-gallicae historice docebit ter p. h.; 2) Chauceri carmina quibus inscriptum est Canterb. Tales bis p. h. interpretabitur; 3) exercitationes linguae franco-gallicae semel p. h. reget.

Bibliotheca nostra diebus et horis lege constitutis, conclave **judiciis academicis** et **secretarii** officiis destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas velut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ut gymnasticam publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hermannus Aubert, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Joannes Bachmann,** Th. D.
Jurisconsultorum **Augustus Thon,** J. U. D.
Medicorum **Aemilius Ponfick,** M. D.
Philosophorum **Oscar Jacobsen,** Ph. D.

VIRO

AMPLISSIMO CLARISSIMO DOCTISSIMO

JOANNI ROEPER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI
BOTANICES PROFESSORI P. O.
BIBLIOTHECAE ACADEMICAE PRAEFECTO
MUSEI ACADEMICI DIRECTORI PRIMARIO
CORONAE VENEDICAE EQUITI
COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI

PROFESSORIS MUNUS

ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS SUSCEPTUM

A. D. XXI MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCCLXXVI

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS NOMINE

GRATULATUR

FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE
ELOQUENTIAE ET POËSIS PROFESSOR

ADDITA EST

LECTIONUM SOPHOCLEARUM
PARS TERTIA.

ROSTOCHII
TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Non miraberis Roepere, Vir Clarissime, quid sit, quod hodierno potissimum die tot collegae Tui, tot etiam alii viri ornatissimi domum Tuam visendi et gratulandi causa confluxerint. Praeterierunt enim nunc anni quinquaginta, ex quo tempore Professoris Ordinarii munus gravissimum in Te rite suscepisti. Ac primum quidem Basileensis Academia Te Professorem illuc vocatum studiis nostris sacrisque initiavit. Ubi quum omnibus officiis per decem fere annos plane satisfecisses et laudem tulisses meritam: anno MDCCCXXXVI festo Paschatis in patriam revocatus Rostochiensi Universitati Te totum dicare coepisti. Exinde Rostochii Te per quadraginta amplius annos valetudine usum firmissima omnes munerum Tuorum partes indefessa industria explevisse nemo est, qui nesciat. Pro quibus rebus omnibus quum Tibi, qui et literis et vitae quam plurimum prodesse studuisti, nunc gratiae publice agendae sint: periculum est, ne nimis longa oratione Te Tuamque modestiam videamur obtundere. Sed feliciter cecidit, quod sacra semisaecularia Tua summorum in medicina honorum in Te collatorum paucis abhinc annis jam celebravimus. Illo tempore ostensum est, Te literarum Tuarum campos omnes emensum et libris in lucem editis de variis generibus scientiae naturalis egregie meritum esse. Ceterum hoc loco illa tanto minus arbitramur repetenda esse, quod Te in literis quas dixi omnibus excellere virorum vere eruditorum una vox est et consentiens. Atqui nos hodie Te non tam Doctorem doctissimum quam laudatissimum Professorem salutamus. Jam primum auditores Tui alii etiam libros admodum laudabiles evulgarunt, alii quae abs Te didicerant, ea non sine magno fructu

jam ipsi juventutem docent et sic quoque Tua disciplina se praestant dignos, postremo omnes discipuli uno ore Te magistrum colunt, Te venerantur. Nam Tu semper is fuisti, qui auditorum Tuorum studia quovis modo scires adjuvare, denique qui etiam in docendo officii tam memor esses, ut lectiones Tuas primus aut inter primos inchoare, inter postremos autem finire soleres. Enimvero singularis Tuus amor erga hanc Academiam effecit, ut vel iis in rebus, quae ad Tuae Musae studia minus pertinent, publico bono consulendum esse putares et alia insuper onera Tibi sineres imponi. Etenim universae Academiae Tu non semel verum saepius Rector ita praefuisti, ut toto animo dignitati nostrae prospiceres, ut ab multis gratiam inires, laederes neminem. Neque minus illud memoria dignum est, quod Tu saepenumero Decanus vel sorte vel electione factus nobis ingenii facem praetulisti: quum praesertim ordini philosophorum toti probatus laudatusque fueris neque nostra causa ullam molestiam recusaveris. Sed ne accessiones ad primaria officia singulas persequar, maximus ex eo cumulus accessit, quod bibliothecae Academicae praefectura multis abhinc annis Tibi demandata est. Nec profecto inveniri potuit, qui majore fide, perspicacitate et vigilantia tot tantisque librorum thesauris incubaret. Ac multos etiam alia cura nec minus diuturna Tibi devinctos habes, qui aerarium, quo viduae Professorum Rostochiensium sublevantur, non dubites ita administrare, ut nihil quod ad salutem hujus instituti pertineret unquam neglexeris. Quae quum ita sint, Rector et Concilium decrevit Tui honoris causa nunc libellum in lucem emitti, in quo Tibi, viro de hac Universitate optime merito et merenti gratiae debitae publice exsolvantur. Illud autem Tua ipsius causa, adde etiam nostra ex animo optamus, ut diu vivas vigeasque, ut hanc Academiam porro ornare et fructus laborum Tuorum percipere possis uberrimos. Postremo Deum O. M., cujus aeterna consilia sunt, comprecamur, ut Tibi ipsi et omnibus Tuis etiam in posterum faveat Vobisque numine adsit praesentissimo.

Nova hac ad scribendum occasione oblata ita nobis uti placuit, ut ad Electram reversi Sophoclea studia continuaremus. V. 681 (691): *ὅσων γὰρ εἰσεκήρυξαν βραβῆς | δρόμων διαύλων πένταθλ' ἃ νομίζεται, | τούτων ἐνεγκὼν πάντα τἀπινίκια | ὠλβίζετ'* —. Hoc ego praeterirem taceremque de re difficillima, nisi unus versus (*δρόμων — νομίζεται*) cum loco de spuriis versibus aut certe dubiis arcte cohaereret. Orestes igitur modo dictus erat victoriam in cursus certamine reportasse, id est haud dubie in stadii decursione ac tum ea perfecisse dicitur quae supra posui. Sed ex his *πένταθλ'* i. e. correctoris antiqui fraude huc illatum quinquertium furca expellendum est, quod ab h. l. procul abhorrere praeter alios Hermannus (non in editione sed postea in Opusc. VI, 1 p. 13) luculente demonstravit. Itaque hunc versum: *δρόμων — νομίζεται,* quod omni tempore interpretes torserit, primus deleri jussit Lachmannus in libro miri argumenti ‚De mensura tragoediarum' p. 45, quem virum alii quidam, in his postremo etiam Hermannus multum ille tamen dubitans in Jahnii Annal. Vol. I. fasc. 1 a. 1831 p. 51 et in Opusculis l. l. secuti sunt. Ceterum Lachmannus dimetiendis tragoediis tum praeoccupatus omisit nobis illo versu deleto aliquam sententiam loci hujusce admetiri. Quare Hermannus ut obstructum loci intellectum rursus aperiret, ita judicavit, si forte versus *δρόμων — νομίζεται* deletus fuerit, pro his: *τούτων ἐνεγκών* porro conjiciendum esse: *ἄθλων ἐνεγκών,* quam opinionem A. Michaelis comprobavit. At sic narratio de ludis Delphicis jam nunc plane finita esset nec fieri potuisset, ut v. 688 (698) aliae res adderentur de curruum certamine et de interitu Orestis. Immo vero v. 681 unice agitur de variis exercitationibus cursorum. Ergo quum totus versus deleri non possit, sed initium ejus *δρόμων* mordicus retinendum sit: una demum ratio iniri potest Nauckii, qui verba *διαύλων πένταθλ' ἃ νομίζεται τούτων* expungi voluit itaque reponi: *ὅ γ. ε. βραβῆς | δρόμων ἐνεγκὼν πάντα τἀπινίκια | ὠλβίζετ'* —. At incredibile est hunc l. ita interpolatum esse non ut integer versus (quemadmodum ubique fit) sed duorum versuum particulae male supponerentur. Quodsi haec pro interpolatis haberi nequeunt, mendo oportet adfecta esse. Equidem olim potissimum probavi Porsoni emendationem *ἆθλ' ἅπερ* (pro verbis *πένταθλ' ἅ*), quae ab Dindorfio recepta est. At quum non de diaulo sed de stadii decursione paullo ante sermo fuerit: subito nunc haec duo *δρόμων διαύλων* conjunguntur modo quodam permiro. Nam tria maxime vigebant cursus genera, stadii decursio (*δρόμος*), tum reciprocus cursus (*δίαυλος*), postremo (*δόλιχος*) curriculum longulum, quae genera accurate solent discerni. Itaque Porsonum nunc ita sequor, ut tamen pro *διαύλων* ego *διαύλων τε* rescribam hoc modo: *ὅ γ. ε. βραβῆς | δρόμων διαύλων τ' ἆθλ'*

ἅπερ νομίζεται, | τούτων ἑ. π. τ. | ὀλβίζετ' —. Quanquam difficile est multis satisfacere in loco tam desperato, in quo neque quae vel falsa vel interpolata sunt, delere omnia liceat, neque quae corrupta, satis certo persanare. V. 808 (818): ἀλλ' οὔ τι μὴν ἔγωγε τοῦ λοιποῦ χρόνου | ξύνοικος ἔσομ', ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ | παρεῖσ' ἐμαυτὴν ἄφιλος αὐανῶ βίον, ubi ξύνοικος ἔσομ' Laurentianus pr. m., ξύνοικος ἔσσομ' idem sec. vel tertia m., denique ξύνοικος ἔσομαι alii codices dederunt. Hic multis olim Dawesius transpositionem probarat suam: ἔσομαι ξύνοικος, quae laus dudum merito refrixit. Quum enim illa τῇδε πρὸς πύλῃ opponantur, in corruptis verbis sententia potius haec fuerat: ‚domum introibo'. Hermannus ita conjecit ediditque: ξύνοικος εἴσειμ', quomodo Graeci non videntur locuti esse ne poëtae quidem: attamen εἴσειμ' optime restitutum est. Neque vero illud Hermannus viderat, codices nostros ut supra v. 463 aliisque locis, ita hic quoque conjecturam exhibere antiquam, sive corrector ξύνοικος ἔσσομ', ἀλλά sive ξύνοικος ἔσομαι, ἀλλά scribi voluerat literis archetypi, quod nunc quoque tralucet, lenissime mutatis. Ut autem ille olim divinationis aleam subiret, haud dubie motus erat loco, qui haud ita multo ante legitur v. 775 (785): ἥδε γὰρ μείζων βλάβη | ξύνοικος ἦν μοι (scilicet, Electra) et omnia paria reddere voluerat scribendo: ξύνοικος ἔσομαι (scilicet, Electra). Quibus de causis sumsi equidem ab Hermanno illud εἴσειμ', veruntamen totum versum ita potius correxi: εἰς οἶκον εἴσειμ' ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ, — in quo mihi videor Sophoclis manum adsecutus esse. Sic igitur ego olim correxi, nuper autem Heimsoethius (krit. Stud. I p. 57) simili modo: ἔτ' οἶκον εἴσειμ', ἀ. τ. π. π. haec emendavit. Sed contuleram ego Eurip. Electram v. 356: χωρεῖτ' ἐς οἴκους. Ceterum ingens turba adfertur aliarum divinationum, quarum nonnullae alga sunt viliores. V. 841 sq. (851): *ΧΟ.* δειλαία δειλαίων κυρεῖς. | *ΗΛ.* κἀγὼ τοῦδ' ἴστωρ, ὑπερίστωρ, | πανσύρτῳ παμμήνῳ πολλῶν | δεινῶν στυγνῶν τ' ἀχέων. | *ΧΟ.* εἴδομεν ἃ θροεῖς. In anapaestis spondiacis pro ἀχέων Laurentianus pr. m. ἀχαίων vel simili modo. Hermannus metrum hac conjectura fulciebat: — πανσύρτῳ παμμήνῳ πολλῶν | δεινῶν στυγνῶν τ' αἰῶνι. At praeterquam quod sic πανδύρτῳ dici debebat, ne haec quidem: πολλῶν δεινῶν στυγνῶν τε attici sunt saporis. Hinc Dindorfius Wunderusque ita potius ediderunt: — πανσύρτῳ παμμήνῳ δεινῶν | στυγνῶν τ' ἀχέων αἰῶνι. Omnes tamen critici illud Hermannianum αἰῶνι uno ore comprobant, in quo ego nihil veri inesse semper judicavi. Ita enim Electra nihil aliud quam chori superiora: δειλαίων κυρεῖς repeteret diceretque: δειλαίων κυρῶ, neque εἴδομεν pergere chorus posset, quum oculis adspici miseria non quita sit. Immo rationem miseriarum puella ostendere debet, contumelias, injurias, pulsationes, minas Aegisthi inprimisque Clytaemnestrae, uti v. 253 sqq., v. 371 sqq., v. 1187 (1196) et tota oeconomia fabulae poscit ostenditque eam monstrum ac prodigium fuisse, quod jure ab filio caesum sit ipsius jussu Apollinis. Itaque pro isto ἀχέων unus optime Musgravius αἰκιῶν reponi jussit, quo recepto ego caetera sic fere scripserim: — πανσύρτῳ παμμήνῳ τ' ὄχλῳ | δεινῶν στυγνῶν τ' αἰκιῶν h. e: ‚El. ego nimis bene hoc scio ob diuturnitatem multitudinemque gravium ex omni genere injuriarum. Ch. vidimus nos quae ais.' Sic demum recte habet etiam πανσύρτῳ et πανσύρτῳ ὄχλῳ comparandum est cum Aeschyleis in Pers. v. 53: πάμμικτον ὄχλον | πέμπει σύρδην atque cum simili voce πάμφυρτος. In pedestri quidem sermone Electra fortasse questa esset his verbis Luciani in Eunucho c. 2: ὅλας ἁμάξας βλασφημιῶν ἐμοῦ κατεσκέδασαν. V. 873 (885): *ΗΛ.* — καὶ τίνος

βροτῶν λόγον | *τόνδ' εἰσακούσασ' ὧδε πιστεύεις ἄγαν;* | *ΧΡ. ἐγὼ μὲν ἐξ ἐμοῦ τε κοὐκ ἄλλης, σαφῆ* | *σημεῖ' ἰδοῦσα τῷδε πιστεύω λόγῳ.* | *ΗΛ. τίν', ὦ τάλαιν', ἰδοῦσα πίστιν;* In priore versu Chrysothemidis Laurentianus pr. m. *ἄλλησ*, sed sec. m. *ἄλλου* et *ἄλλου*
ου
libri habent caeteri praeter Florentinum *Γ*, qui: *ἄλλησ*. In his ne critici verum dispicerent, loquendi genus obstitit tragicis familiare *γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτα* vel *ἑκόντες οὐκ ἄκοντες*, praesertim quum noster in Oed. Col. v. 935 dicere ausus sit: *βίᾳ τε κοὐχ ἑκών*. Plerumque tamen tragici quoque illud *τε καί* non ubi nemo exspectet sed usitato more caeterorum ponunt atticorum. Quid, quod codices quoque haec arguunt vitiata esse. Nam mirifico errore Wunder, Nauckius et Michaelis scripturam *κοὐκ ἄλλης* defendunt, quae ita tantum ferri posset, si aut genus humanum solis constaret feminis aut alii homines non *ἄλλοι* sed *ἄλλαι* (aliae) unquam dicti essent. Hermannus et Jahnius vulgatam *ἄλλου* servarunt, quam antiqua lectio *ἄλλης* plane evertit. Postremo Dindorfius *ἄλλων* conjecit. At Sophocles quomodo scripserit, quum lectiones *ἄλλης* et *ἄλλου* tum maxime verba proxima: *σαφῆ* | *σημεῖ' ἰδοῦσα* certo declarant. Scripsit enim poëta: *ἐγὼ μὲν ἐξ ἐμοῦ τε κοὐκ ἄ λ λ ω ς, σαφῆ* | *σημεῖ' ἰδοῦσα* — i. e. ‚equidem tum per me tum non temere, quippe quae clara indicia viderim, hac re confido'. Vides Sophoclem quoque hic illo *τε καί* justa planeque attica ratione usum esse, vides denique quid vetusta scriptura *ἄλλης* sibi voluerit. Cave enim credas *ἄλλως* (i. e. ‚temere') apud atticos semper fuisse adfirmantis, ut in Vespis *ἄλλως φλυαρεῖτε* vel in Luciano *ἄλλως ἠρόμην*. Immo eadem ratione qua Sophocles hic *κοὐκ ἄλλως*, etiam Plato *οὐκ ἄλλως* cum negatione posuit in Phaedro p. 232, A. Et pariter *οὐ τηνάλλως*, quod Suidas (s. *Τηνάλλως*) diserte agnoscit, Dionysius Hal. De Comp. Verb. c. XVIII p. 230 Sch. et sine dubio plures usurparunt. V. 1267 (1275): *ΗΛ. ἰὼ χρόνῳ μακρῷ φιλτάταν ὁδὸν* | *ἐπαξιώσας ὧδέ μοι φανῆναι,* | *μή τί με πολύστονον ὧδ' ἰδών,* | *ΟΡ. τί μὴ ποήσω; ΗΛ. μή μ' ἀποστερήσῃς* | *τῶν σῶν προσώπων ἁδονὰν μεθέσθαι.* Hermannus quum iambico versu opus esse vidisset sciretque voces *πολύστονος* et *πολύπονος* in codd. interdum confusas esse: pro illo *πολύστονον* ex uno cod. Jenensi *πολύπονον* recepit, id quod caeteri editores merito secuti sunt versu ne sic quidem persanato. Hos enim atque etiam Hermannum fugit Sophoclem, sicut ipsi ediderunt, scribere nequivisse: *ἐπαξιώσας ὧδέ μοι φανῆναι,* | *μή τί με πολύπονον ὧδ' ἰδών,* priore loco *ὧδε* mutari omnino non posse, sed altero istud *ὧδ'* corruptum esse et e priore versu pessime repetitum. Sed praeterquam quod per se intelligitur *ὧδ'* h. l. ferri non posse, ipsi codices testantur *ὧδ'* vitio creatum ideoque expungendum esse. Vulgo sane et in aliquot libris *ὧδ' ἰδὼν* legitur, verum in Laurentiano *τῶιδ' ἰδὼν* (eraso *τ*) cum varia lectione m. sec: *γρ. ὧδ' 'ϊδών* (litera *ι* ex *ει* facta). At, inquit, sic quomodo scribendum sit, latebit: neque enim *ὧδ'* simpliciter delere licet metro ruente. Nempe graeci poetae omninoque scriptores attici talia hoc modo enuntiant, quo Aristophanes in Nubibus v. 124 et in Oedipo R. v. 1505 ipse So-
ὧδ'
phocles. Itaque quovis pignore contendam mendum hoc modo *περιϊδών* natum atque sic emendandum esse: *μή τί με πολύπονον περιϊδὼν* —. V. 1321 (1329): *πότερα παρ' οὐδὲν τοῦ βίου κήδεσθ' ἔτι,* | *ἢ νοῦς ἔνεστιν οὔτις ὔμιν ἐγγενής,* | *ὅτ' οὐ παρ' αὐτοῖς, ἀλλ' ἐν αὐτοῖσιν κακοῖς* | *τοῖσιν μεγίστοις ὄντες οὐ γιγνώσκετε;* De versu *ὅτ'* —

κακοῖς conjecturae adferuntur Meineki, Arnoldi, Eggerti, Wecklini, Naucki, Seyfferti, quae ab vero omnes longe remotae sunt. Ἐν αὐτοῖς κακοῖς εἶναι sive ut supra v. 1045 (1056) ἐν κακοῖς ἤδη βεβηκέναι dici solent, qui in ipsis jam malis versantur. Quibus h. l. ei opponuntur, qui ab malis non jam procul absint: ut nihil propius factum sit, quam ut ipsi quoque in mala incidant. Non vidi mendam aut inventu certiorem aut aeque facilem ad sanandum. Tu vero fac corrigas: ὅτ' οὐ πρὸς αὐτοῖς ἀλλ' ἐν αὐτοῖσιν κακοῖς —. Res patet ex ipso Sophocle in Oedipo R. v. 1169: πρὸς αὐτῷ γ' εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν. Nimirum πρός et παρά saepe confusa sunt, ut recte Bastius ad Gregor. Cor. p. 837 et p. 934. Etsi hic quidem παρ' nasci potuit etiam e versu abhinc altero, ubi item παρ' elisum legitur in sede etiam versus eadem. Sed multos praeterea Electrae versus, de quorum lectione ego et alii diu multumque dubitavimus, nunc quidem exsequi longum est. Duo tamen loci adhuc tangentur, vel quod controversi sunt et pleni dissensione, vel quia ad delicias meas, ad numeros pertinent dochmiacos. Horum prioris stropha v. 1230 sq. (1239) legitur: *ΗΛ.* ἀλλ' οὐ τὰν Ἄρτεμιν τὰν αἰὲν ἀδμήταν | τόδε μὲν οὔποτ' ἀξιώσω τρέσαι —. Ita enim, si ulla bonorum codicum fides et auctoritas est, poëta certo scripserat numeris optimis. Neque de eo quisquam dubitasset, nisi in antistr. v. 1250 scribarum fraus trimetrum fabricata esset, quod vitium inde stropham quoque occupavit in Vaticano quodam, qui sic: ἀλλ' οὐ μὰ τὴν δέσποιναν Ἄρτεμιν θεάν. Hermannus in editione viderat trimetrum a Brunckio ‚pessime' substitutum esse. Postea tamen nescio quomodo Hermannus in eundem errorem incidit itaque conjecit (quod sane nollem factum): ἀλλ' οὐ μὰ τὴν ἄδμητον αἰὲν Ἄρτεμιν. Immo vero stropha est sanissima, non item antistrophus v. 1250 sq. (1260): *ΗΛ.* τίς οὖν ἂν ἀξίαν γε σοῦ πεφηνότος | μεταβάλοιτ' ἂν ὧδε σιγὰν λόγων; Haec plerique libri sic habent ut supra posui etiam ab sec. m. Laurentianus sed idem pr. m. et fortasse scholiasta ἂν post οὖν omittit. Recte Seidler De VV. D. p. 100 judicat γέ (quod metrici correctores saepe inferciunt) loco positum esse inepto, neque omnino hunc versum fuisse trimetrum, sed metrum ad justam strophici normam exigendum esse. Neque vero aut Seidleri aut aliorum conjecturae satisfaciunt. Ego hoc saltem intellexisse videor, sicut τάν in strophico repetitum est, ita hic quoque anaphoram ita restituendam esse, ut τίς σοῦ pro γε σοῦ corrigatur. Reliqua olim ita scripseram: τίς οὖν ἀναξίαν τίς σοῦ πεφηνότος | μ. ἂ. ὧ. σ. λόγων; h. e. ‚quis indignum te qui adparueris silentium verbis mutet?' Μεταβάλλεσθαι σιγήν ita dictum est ut Aristophaneum in Avibus v. 117 et plura apud Bentlejum ad Horat. Carm. II. 16, 18. Fugerant me tum Arndtii (in progr. Neobrandenb. a. 1844 p. 4) conjecturae et in stropha: ἀλλ' οὐ τὰν Ἄρτεμιν τὰν ἀεὶ ἀδμήταν et h. l.: τίς οὖν ἀνταξίαν σοῦ γε πεφηνότος μ. ἂ. ὧ. σ. λ.. In his caetera sunt nihili, sed ἀνταξίαν meae conjecturae ἀναξίαν videri potest praestare i. e. ‚sermonibus aequiparatum, tanquam par et aeque gratum silentium.' Quare non jam ut olim ἀναξίαν sed cum Arndtio ἀνταξίαν scripserim salvis equidem reliquis, ut jam olim correxeram: τίς οὖν ἀνταξίαν τίς σοῦ πεφηνότος μ. ἂ. ὧ. σ. λόγων; Metrum dochmio simile, de quo infra dicetur, dochmii sequuntur vulgares. Alter Electrae locus hic est str. v. 1379 (1387): μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων et antistr. v. 1386 (1394): νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων, in quibus strophicus nil negoti facessit, alter autem molestiam creat incredibilem. In quo αἷμα mutari nullo modo potest, quod cum omnibus libris

tuentur etiam scholiasta, Hesychius, Suidas s. h. v., Etym. M. p. 35, 4 et anonymus in Bekk. Anecd. p. 356, 20 iique αἷμα hoc ipso loco per ξίφος sive μάχαιραν interpretantur. Quumque hasta (ἔγχος) utpote causa caedis ab Homero φόνος dicatur in Jl. π', 144 sive, τ', 391: per se poëtae omnino licitum erat pro gladio alicubi etiam αἷμα usurpare. At id ab nostro l. plane abhorret. Quid enim cogitari potest absurdius ‚sanguine recens exacuto', quod ne dithyrambicae quidem audaciae neque ulli poëtae concedendum est, nisi forte insaniat. Itaque falsa ista explicatio hoc unum docet, jam veteres quos dixi grammaticos in suis codd. scripturam νεακόνητον reperisse, quam metro repugnare Hermannus optime judicavit. Etenim ars dochmios recte componendi Sophoclem jussit dimetri dochmiaci formam eam deligere, quae et v. 1377 (1385) = 1384 (1392) modo antecesserat et strophico versu 1379 (1387) manifesto continetur, hanc dico:

⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –, ⏑ –́ –́. ⏑ –.

Quare nihil certius est, quam v. 1386 νεακόνητον, quod secundam habet longam et malum huc pedem inferre neque omnino tolerari posse. Et Hermannus quidem quum in scholiis Romanis lemma νεοκόνητον, quod metro sane convenit, invenisset, edidit hoc ipsum: νεοκόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων vocabulo nusquam obvio defenso nimis audacter. Illud tamen idem non semel (primum ad Antig. 416 ed. Erf., tum ad Electr. 1386) recte dixit, sententiam versus huc redisse: ‚recens profuso sanguine manus conspersas habens.' At Wunder objicit Orestis manus nondum cruentas fuisse caede necdum patrata, quem tantum intrasse domum, ut matrem necaret. Tantillam rem Hermannus ignorabat scilicet. Etsi ne hoc quidem Wunder per se vidisse sed sumsisse videtur ab Lachmanno De chor. syst. ad p. 199 (p. 272), qui tamen adversarium modeste notavit, quum longe melius Wundero sciret, Hermannum tum quoque certa causa ductum fuisse. Nimirum chorus noster vaticinatur caedem Clytaemnestrae instare, veluti v. 464 (472)—493 (503) e somnio, atque adeo hic tribus versibus ante v. 1382 τοὐμὸν φρενῶν ὄνειρον diserte commemorat. Et chorus pie memor Apollinis atque oraculi fallere nescii quum ubique vera canit ut vates, tum etiam hic, ubi jam oculis cernere sibi videtur Orestis manus sanguine conspersas materno, illud ipsum praesagit, quod paullo post eventum habet v. 1412 (1421), ubi ipse chorus de reditu Orestis caede tum maxime commissa: φοινία τε χεὶρ | στάζει. Quodsi Hermannus sententiam probe perspexit: nos quoque poëtam sinamus sublimi ore poëtari. Quaeritur enim hoc unum, quomodo pro νεακόνητον vel νεοκόνητον Sophocles ipse scripserit. Neque vero me poenitet conjecturae pristinae: νεοφόνευτον αἷμα χειροῖν ἔχων, quae et lenitate sua commendatur et similitudine loci gemini, Euripidei in Electra v. 1167: *ΧΟ.* ἀλλ' οἵδε, μητρὸς νεοφόνοις ἐν αἵμασιν | πεφυρμένοι, βαίνουσιν ἐξ οἴκων πόδα. Vide etiam Schaeferum in Mel. Cr. p. 78. Corruptelam ipsam hic quoque ei, cujus spectrum totam Electram pervagatur, acceptam refero, hoc est perantiquo correctori, qui quum primus vaticinii immemor αἷμα per μάχαιραν male explicasset, fraude errori addita νεοφόνευτον in νεακόνητον ausus erat convertere. Restat, ut de numeris dochmiacis nonnulla addamus. Quos numeros v. 1230 (1239)=1251 (1260) supra habuimus, ei crebro apud tragicos et Aristophanem, interdum etiam Pindarum leguntur et vel in nostra fabula v. 166 (171)=184 (191) et paullo ante v. 156 sq. (160) = 174 sq. (180) denique v. 494—505 (504—515) recurrunt. Quorum formas infra posui:

⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –
– ⏑⏑ –   –

Primaria forma quum tribus pedibus iambicis ad speciem aequalis sit, quorum loco aliae ejusdem formae ut

– –́ ⏑ – –́ – –

poni non poterant: accidit, ut Seidler De VV. D. p. 119 sq. tres iambos sibi cernere videretur dochmiis adjunctos numero parum intellecto. Alii sicut ipsum dochmium pro antispasto hypercatalecto, sic hunc versum habuerunt pro antispasto et sive iambo sive spondeo: cui opinioni omnes fere ejus formae adversantur. Hermannum haec praecipue forma ⏑ –́ ⏑ –́ – –, quae fini par est senarii claudi, eo adduxerat, ut nostrum versum esse diceret ,iambicum ischiorrhogicum.' At ille plerumque non in molossum sed in creticum desinit, id quod abhorret ab senario claudo. Et quis credat Hipponacteo hoc est versu ludicro, quem vel comoedia dignitatis esse suae negavit, tragicos tam saepe usos esse, ut gravissimum luctum depingerent? Est autem noster versus primae formae dochmii ⏑ –́ –́ ⏑ –́ simillimus habetque etiam id, quod dochmiorum jus esse constat, ut creticae formae in antistropho respondere molossus possit, velut in Electra: *στρ. τὰν αἰὲν ἀδμήταν, ἀντιστρ. τίς σοῦ πεφηνότος,* item in Trachin. v. 846=857 et alibi. Nec vero omittam Marium Victorinum De Metris II, 10, 6 p. 131 ed. Gaisf., ubi de metro agit paeonico apud lyricos et tragicos et comicos: — ,sed et bacchiacis, inquit, et creticis conjugationibus adaeque usi sunt, ut est hoc, Acuta falce si virentes aesculos.' At isto modo primum bacchius in integrum verbum deberet exire, sicut in exemplis quae ipse finxit et in bacchiis fit omnibus. Deinde fieri vix posset, ut forma exstaret, quae sane frequens est

⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –

velut dochmio praecedente:

Κρισαίαισιν ἐν πτυχαῖς ἀπαγγελεῖ.

ap. Pindar. Pyth. VI, 18. Omnino noster versus saepe cum dochmiacis, nonnunquam tamen cum aliis quoque rhythmis copulatur. Ita Hermannus in Epit. D. Metr. p. 207 bene observavit ,eum ipsum non raro glyconeis mixtum inveniri.' Vellem addididisset ,glyconeis polyschematistis', quibus et posterior pars versus Eupolidei –́ – – – –́ ⏑ – et vero etiam haec ipsa forma – –́ – –́ ⏑ – saepius miscentur, quod in libello ,De glycon. polysch.' certo probavi. His igitur glyconeis rhythmi nostri non dissimiles fuerunt. Exempla versus nostri e tragicis et Aristophane adtulerunt Hermannus in El. D. Metr. p. 234 sqq. et pleniora Dindorfius De metris scen. p. 41 (n. 17) et p. 42 (n. 22). Scripseram ipse de versu nostro, locos e tragicis et Aristophane omnes collegeram, collectos disposueram certo ordine, versibus aliquot non male ut sperabam correctis: quae omnia non ad vepres sed in scriniorum dumetis amissa nunc frustra quaero. Si tamen chartam anum rursus invenero, vel alio tempore vel etiam infra haec quoque addenda curabo *). At, dixerit quispiam, si neque Victorinus neque Seidler neque Hermannus et caeteri hic ferendi sunt: quid tandem de natura versus tam frequentis existimandum est? Ego vero quos fugiam habeo, quem sequar non habeo nec turpe arbitror eorum inscientiam fateri, quae omnes

*) Tandem inveni, sed dum haec festinantius edo, pertractare nondum potui. Ergo alias.

juxta nescimus. Finge, inquit, aliquid saltem commode, ut te quoque de tanta re cogitasse videamus. Hodie suspicor versui nascenti eandem formam sane impressam fuisse, quam in Victorini habet exemplo, bacchiacae et creticae conjugationis, ut eundem quem ipse dochmius habuerit numerum paeonicum atque adeo dochmiis initio aut par fuerit aut saltem cognatus. Dicam tamen etiam illud, quod juvenis eram commentus: etsi id neque antea in vulgus edidi et hodie prorsus rejicio. Tantum recte videram versum quum omni dochmiorum generi immixtum exstare, tum primariae formae ⏑ —́ —́ ⏑ — longe esse simillimum. Ergo sic opinabar versum nihil aliud esse nisi rhythmicam formam hujus dochmii ipsius sive ita ⏑ —́ —́ ⏑ — sive hoc modo: ⏑ —́ —́ ⏑ —. Quo id sane consecutus eram, ut verbi causa in Pindari Pyth. VI utraque pars versus alteri aequalis fieret veluti:

ἀμείρειν γονέων | βίον πεπρωμένον.

Quam conjecturam ipse postea his de causis repudiavi. Primum versus noster sic erit ille quidem et ipse dochmius, sed erit *ῥυθμὸς δεκάσημος*. Atqui secundum veteres technicos dochmius *ῥυθμὸς* fuit *ὀκτάσημος*, ut diserte adpellatur, sive ut idem aliis verbis dicunt, in dochmiis *τριάς* comparatur et refertur *πρὸς πεντάδα*. Tum milleni poëtarum dochmii ita compositi sunt, ut (quemadmodum etiam metrica ars poscit) eorum longa par sit brevibus binis, non ternis neque quaternis. Sed videamus de alia re, quae ipsa quoque ad Electram pertinet. Sciunt omnes, quantum dochmiorum doctrina studiis praeclaris maxime quidem A. Seidleri, tum etiam G. Hermanni, G. Dindorfi aliorumque acceptum referat. Veruntamen sunt, quae illi viri ab metris solis ubique profecti falso tradiderint et quae ab ipso poëtarum usu plane abhorreant. Cujusmodi est, quod quum ad metri formam primitivam

⏑ —́ —́ ⏑ —

omnia cupide revocarent, in multis aliis formis eisque usitatis priorem ictum male notarunt hoc modo:

⏑ ⏑́ ⏑ —́ ⏑ —
⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ —
— ⏑́ ⏑ —́ ⏑ —
— ′ ′ ⏑ —
— —́ ⏑́ ⏑ ⏑ —
— ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ —
⏑ ⏑́ ⏑ —́ —
— ⏑́ ⏑ ′ —
— ′ —́
⏑ ⏑́ ⏑ —́ ⏑ ⏑ ⏑
⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑
⏑ ⏑́ ⏑ —́ ⏑ ⏑ ⏑
—́ —́ ⏑ ⏑ ⏑
′ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑
— ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑.

At si rem non praejudicatam sed ad liquidum ab me exploratam adferre licet, poëtae in hisce XV formis ictum priorem nunquam non in prima syllaba sic posuerunt:

⏑́ ⏑ ⏑ —́ ⏑ —
—́ ⏑ ⏑ —́ ⏑ —
—́ — —́ ⏑ —

et ad eundem modum in formis caeteris, id quod viri egregii haud dubie animadverterant sed noluerunt credere, ne quid metricorum res publica detrimenti caperet. Nostrae rationi cave opponas formam primam

⏑ —́ —́ ⏑ —

ex qua sic XV illas inferiores derivari omnino non posse. Pugnent sane cum prima forma caeterae secundum doctrinam metrorum. Verum enim dochmii omnino non sunt metrici pedes sed tempora rhythmica. Atqui secundum numerorum leges hae formae sedecim amice inter se consentiunt, sicut infra demonstrabitur. Neque tamen Seidlerum et caeteros, quod metris tantum tribuerint, reprehendo: laudo potius hoc consilium non ut per se probandum sed ut necessitate expressum in hac tam tenui rhythmorum notitia. Addo etiam illud, poetas in dochmiorum numeris severas metrorum leges plerumque servasse, sicut fere nos docet antistropha. Quae vero metris repugnant, mutarique sine projecta audacia nequeunt, certo tuenda sunt, praesertim si numerorum legi belle conveniunt. In qua re dijudicanda non diffiteor singulari opus esse cautione. Nunc nova dochmii ipsius forma in lucem proferenda est hanc dico trochaicam,

—́ ⏑ —́ ⏑ —,

quae ab usitatissima illa

⏑́ ⏑ ⏑ —́ ⏑ —

non differt nisi primae longae solutione. Neque trochaica adhuc latere potuisset, si inter formas esset frequentissimas. Nam quae ubique dochmiorum vehementia est, longe saepius dochmii conditi sunt, qui a tribracho vel dactylo inciperent quam qui a trochaeo vel spondeo. Et quam ego dochmii formam ex fuga retraxi, eam veteres nondum cum penthemimeri trochaico male confuderant, sed adpellarunt ‚hypodochmium', ut Diomedes De Pedibus III, 5, 56 p. 439 ed. G. Quare hic numerus —́ ⏑ —́ ⏑ — inter dochmios vulgares ita tantum penthemimeres dici recte potest, ut caeteri dochmii ad unum omnes. Exempla haec sufficiant. Eurip. Orest. 140=153:

στρ. σῖγα, σῖγα λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης,
ἀντιστρ. πῶς ἔχει; λόγου μετάδος, ὦ φίλα,

Heracl. 82=103:

στρ. λαόν; ἢ πέραθεν ἁλίῳ πλάτᾳ
ἀντιστρ. χειρὶ δαιμόνων ἀπολιπεῖν σφ' ἕδη,

Jone 807:

οἶον οἶον ἄλγος ἔπαθον, φίλαι

—́ ⏑ —́ ⏑ —, ⏑́ ⏑ ⏑ —́ ⏑ —.

Aeschyl. Sept. 566=624:

στρ. ἀνοσίων ἀνδρῶν. εἴθε γὰρ θεοί
ἀντιστρ. ἐπιμόλους· πύργων δ' ἔκτοθεν βαλών

⏑́ ⏑ ⏑ —́ — —, —́ ⏑ —́ ⏑ —.

Eur. Hippolyt. 876 sq.:

οἷον οἷον εἶδον ἐν γραφαῖς μέλος
φθεγγόμενον τλάμων

–́ ⏑ –́ ⏑ —, ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ —
–́ ⏑ ⏑ –́ — —.

Inprimis adde Soph. El. 238 sq. (246), de quo loco mox dicetur. Quorum numerus locorum facile augeri posset, si placeret ea addere, in quibus dubium est, utrum penthemimere trochaica habeamus, an hypodochmios. Atque hic ipse versus

–́ ⏑ –́ ⏑ —

ad numerum par est dochmio primitivo

⏑ –́ –́ ⏑ —.

quamvis secundum metricos hae formae inter se pugnent. Tu confer duo scriptores, qui ex antiquis fontibus sua hauserunt, Quintilianum J. O. IX, 4, 48, qui ait rhythmo, quia tempus solum metiatur, indifferens esse, dactylusne priores habeat breves, an sequentes: sed aliam dimensionem versuum esse et pedum metricorum, in quibus pro dactylo poni non posse anapaestum. Adde Marium Victorinum II, 10, 5 p. 131 G., qui dicit, ubi non pedum sed numerorum ratio subsistat, non pedes pedibus pares restitui, sed tempora temporibus adaequari. Quae autem Quintilianus de dactylo et anapaesto pari dignitate praeditis docuit, ea quam docta quamque vera sint, rhythmorum periti ex Eurip. Hecub. 151 sq. (inprimis e v. 165 et 212 sq. ed. Kirch.) poterunt dispicere. Ceterum Seidler De VV. D. p. 114 et p. 160 opinabatur in hujusmodi locis cum dochmiis conjunctos esse trochaeos vel in fine eis adhaerere, itaque visum est etiam Dindorfio De Metris poët. sc. p. 48. In hanc conjecturam Seidler eo incidit, quod bene vidisset dochmios cum aliis quoque numeris saepe copulari. At ubi ipsos dochmios in mediis dochmiis palam habemus, cur tandem quasi ad aram ad alium rhythmum temere confugiendum est? Hermannus et in edit. Orestis p. 140 et in Epit. D. M. p. 95 ed. sec. quum loci Or. 140=153 unius memor fuisset, numeros hosce esse dixit insolitos et hinc remotos voluit: quod factum nollem. Nunc ad eum locum transeo, qui vel solus ad probandam sententiam meam poterat sufficere, ad Soph. El. 238 sq. (246) in ipsius Electrae carmine lugubri:

— ὀξυτόνων γόων.
εἰ γὰρ ὁ μὲν θανὼν γᾶ τε καὶ οὐδὲν ὢν
κείσεται τάλας, οἱ δὲ μὴ πάλιν —.

–́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ —.
–́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ —, –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ —
–́ ⏑ –́ ⏑ —, –́ ⏑ –́ ⏑ –.

Quo in loco tres dochmios moduli vulgaris –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ — continuo subsequuntur duo hypodochmii i. e. dochmii formae ad speciem trochaicae –́ ⏑ –́ ⏑ —. ita ut Sophocle ipso teste hypodochmii vim et dignitatem dochmiorum habuerint. Neque tamen idcirco versus ultimus cum prioribus exaequandus est hac rhythmicorum machina:

–́ ⏑ –́ ⏑ —, –́ ⏑ –́ ⏑ —.

Immo ut in rhythmis fit omnibus, numero magis quam metro convenit varietas ipsa compositionis, dummodo similia (ut hoc loco –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ — et –́ ⏑ –́ ⏑ —) jungantur.

Quo in genere (quod ad dochmios adtinet) nondum Seidleri inventoris, sed Hermanni et Dindorfi summa cernitur elegantia et perspicacitas. Et Dindorfius quidem (De metris poët. sc. p. 46) optime judicavit formas paullum diversas conjungi atque adeo in antistropha sibi respondere posse, sed nimium dissimiles aut contrarias nullo modo posse.

Postremo quod ad naturam numeri dochmiaci spectat, a primitiva forma ⏑ –́ –́ ⏑ –, ut jam antiquitus factum est, proficisci omnino licet. Est igitur dochmius totus ab initio ad finem unus pes mere rhythmicus syllabarum ad minimum V, temporum autem VIII. Hic tamen pes quoniam est πούς σύνθετος, ideo ab graecis, e quibusnam elementis constet jure quaesitum est. Hephaestio ejusque scholiasta p. 60 G. ed. sec. esse voluerunt antispastum hypercatalectum, genere alioquin inaudito, ut recte Hermannus in El. D. M. p. 243. Adde quod (sicuti Seidler De VV. D. p. 28 primus docuit) ultimam antispasti poëtae tantum non ubique producunt hoc modo ⏑ –́ ́ –. Quanto meliora haec sunt Quintiliani J. O. IX, 4, 97: ‚est et dochmius, qui fit ex bacchio et iambo, vel iambo et cretico —.‘ Ambo qui sic jam ante Aeschyli tempora censuerant, dochmium generis esse decrerunt paeonici, ad quem numerum et creticus et vero etiam bacchius referebatur. Horum alterutrum quum oporteat verum esse, Dindorfio l. l. p. 45 dochmium placet ex bacchio et iambo, mihi potius ex iambo et cretico compositum esse. Praeterquam enim quod dochmius non unum habet ictum sed duplicem, quodque alterum priore fortiorem esse videmus: nullum omnino dochmium quasi bacchium et iambum dimetiri licet, plurimos autem ut iambum et creticum legere non solum licet, verum etiam oportet. Nec vero summa rei sic quoque manet eadem, ut infra demonstrabo. Quod ad alios paeonici numeri testes adtinet, multum tribuimus Aristidi De Mus. p. 39, nihil autem scholiastae novitio ad Ar. Avv. 1188 = 1262, qui hanc formam ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – esse vult κῶλον παιωνικόν. Sed nuper (De numeris orat. solut. p. 9 sq.) demonstravi e Quintiliano J. O. IX, 4, 87 vel potius Aristotele in Rhetor. III, 8, Thrasymachum in prosam traduci omne genus paeonum jussisse i. e. non solum (ut Aristotelem) cum primo quartum paeonem, sed etiam creticum, bacchium, palimbacchium et vero dochmium, eoque ipso factum esse, ut et Cicero in Oratore c. 64 et Quintilianus J. O. IX, 4, 97 dochmium vel in clausulis prosae vel quovis loco aptum esse censerent. Quae quum ita sint, in oculos incurrit, Graecos ipsos dochmium pro numero habuisse paeonico. Haud inutile visum est haec etiam tradidisse, quae Seidler et Hermannus ne poterant quidem satis recte explicare, ideo quod ubique de dochmio non ut de numero sed quasi justo metro scilicet disserere consueverant. Quanquam viri eximii sic quoque plurimum adsecuti sunt. Quae autem Seidler de dochmiis in universum judicavit, eis Hermannus adsensus est primum in Praefat. ad Eur. Herc. F. p. VI et iterum in El. D. Metr. p. 241 suumque ipse errorem diserte retractavit. Nam in duobus, quos de doctrina metrica primum edidit libris (De Metris p. . . . . . et in l. Handbuch der Metrik S. 104 — 109) duplex dochmiacorum versuum genus distinxerat, alterum antispasticae formae, alterum trochaicae. At posteaquam egregius ille Seidleri liber editus est, Hermannus alterum dochmiorum genus formae trochaicae in spongiam incumbere jussit. Qui si ut in ejusmodi re, quae non tam metro quam numero constet, in rhythmis quoque investigandis plus curae posuisset: haud dubie vidisset et vel ex his formis ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – atque –́ ⏑ –́ ⏑ – perspexisset, trochaicae quoque formae dochmios

omnino exstitisse. Sed ut ad naturam numeri revertar dochmiaci, qui e duabus partibus constat: non a priore sed ab altera parte, quae gravior est numeroque nomen dedit, videtur incipiendum esse. Omnino dolemus quod metrici tantam rem adhuc tam leviter attigerunt. Ipse Seidlerus De V. D. p. 29 hanc disputationem utpote perdifficilem explicatu maluit rejicere. Tametsi quae ibidem verbo dixit, ejusmodi sunt, ut Hermanno duce ipse quoque dochmium pro antispasto hypercatalecto habuisse videatur. Qui quidem error jam supra ab nobis satis superque refutatus est *). Alii dochmium ex pede bacchiaco et iambico consistere opinati sunt. At ut omittam, quod in Graecorum poësi bacchiorum usus infrequens est, dochmii autem sunt frequentissimi: bacchiaci pedis una prope et immutabilis forma haec est ⏑ –́ –, qui ipse pes usque recurrit velut in tetrametro:

⏑ –́ –, ⏑ –́ –, ⏑ –́ –, ⏑ –́ ⏓:

ita ut bacchiaci pedis et iambici copulatio:

⏑ –́ –, ⏑ –

prorsus inaudita sit. Duplici tamen modo ipse error excusatus est, tum quod bacchio temere illato paeonicus rhythmus vindicatur, tum etiam quod dochmii sane e numeris sunt compositis, minime vero e simplicibus, id quod in mentem venerat defensoribus antispasti. De utroque pedum genere duplex olim fuit sententia, quae a Quinctiliano J. O. IX, 4, 79 sq. et partim Tullio in Oratore c. 64 tradita est. Aliis placebat metricum pedem tris syllabas, aliis syllabas quatuor non excedere: dochmius autem minimum in quinque excurrit. Atqui illud veteres uno ore docebant, quidquid sit supra quatuor syllabas, ut dasium, ut dochmium et alia permulta, id esse ex pluribus pedibus compositum **) et certo e meris numeris constare, non e pedibus metricis. Hinc mirere, quod A. Seidler, G. Hermannus, G. Dindorfius aliique viri vere docti ubique sic agunt, sic de dochmiis exponunt, quasi de certo genere justi metri, quodque rhythmici, qui in dochmiis omnino nihil novi nos docent, ut Rossbachius et Westphalius (Gr. Metrik p. 544 sqq.), H. Schmidtius (Leitfaden i. d. R. u. Metrik p. 141) et ipse Christius (Metrik p. 456 sqq.) illos duces ubique secuti sunt. Illud vero maxime mirum est, quod Seidler et saepius etiam Hermannus atque Dindorfius plerisque in locis veram naturam numeri dochmiaci per metrum solum optime adsecuti sunt: id quod ex eis dochmiis clare elucet qui habent antistrophum. Sed dubitanti, ecquonam modo tam nova res ac paene incredibilis tamen firma sit neque ad irritum cadat succurro itaque respondeo, dochmiaci pedis partem utramque primitus fuisse mere metricam et postea demum ab metris ad rhythmos abisse. At quum principes Graecorum nunquam dubitarint, quin dochmius numerum habeat paeonicum: transversa in me incurrit auctoritas ipsius Aristotelis in Rhetor. III, 8: *ὁ δὲ παιὰν ληπτέος· ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν.* Ceterum in

*) Arcte cohaerent, uti deinceps ostendam, fontemque habent communem duo errata Hephaestionis de dochmio et glyconeo p. 60—62: *καὶ ἔστιν ἐπίσημα ἐν αὐτῷ* (sc. *τῷ ἀντισπαστικῷ*) *τάδε· πενθημιμερὲς μὲν, τὸ καλούμενον δοχμιακὸν — δίμετρον δὲ ἀκατάληκτον, τὸ καλούμενον Γλυκώνειον —.* Quorum hoc Hermannus in El. D. M. p. 520, p. 574 et alibi optime refellit, illud autem quod aeque vitiosum est, mordicus tenuit, dochmii dico antispastum.

**) Caute tamen veteribus technicis utendum est, qui ‚dochmium‘ ipsum non uno modo definiebant. Vide exempli causa Bacchium p. 24 et 25 M.

dochmiis non de utroque paeone sed de cretico pede agitur, quem Aristoteles ipse ibidem a vero paeone secernit. Quod vero illo judice paeon versum aut metrum nusquam facit, aliis de ipso paeone secus videtur. Dissentit enim Aristides Q. De Mus. I pag. 50 M., qui inter genera *τῶν μέτρων* diserte retulit etiam *τὸ παιωνικόν*, dissentit alius auctor, quem latinum fecit Quintilianus IX, 4, 89: ‚paeone suo, quem quia versum raro facit maxime laudant', quae ab graecis sumta esse ex eo patet, quod ipsius judicio IX, 4, 79: ‚pes — excedere', plane adversantur. Verum Seidlerus aliique quidquid justo metro (ut putabant) dochmiorum repugnaret, ubique id voluerunt mendo affectum esse. Ita haec disputatio haud raro etiam ad artem spectat criticam. At vero (dicendum est enim saepius) dochmii ne sunt quidem pedes mere metrici, sed tempora rhythmica. Ergo si quid cum metrorum doctrina pugnat, numerorum autem legibus idem plane convenit: id videbitur non temere mutandum sed potius fortiter defendendum esse. Venio ad dochmiaci pedis partem alteram et eam potiorem, ex qua toti numero nomen apte inditum est paeonici. In tanta tamque ingenti dochmiorum multitudine ne unus quidem dochmius invenitur, qui non aut in ipsum creticum aut in pedem cretici vicarium exeat, nullus denique, qui si alio modo legatur, recte intelligi possit atque exaudiri. Adeo florentissimorum Graeciae scriptorum verba, qui (ut supra dixi) non aliter judicant, rei ipsius fides sequitur. Ergo crederes doctissimos homines nullo modo dubitaturos fuisse, quin dochmii semper in pedem desinant creticum. At vero quum hoc uno modo dochmiaca carmina recte legerent, nemo tamen repertus est, qui id palam tueri auderet, sed omnes in alia omnia abierunt. Reliquum est, ut summi viri hic metrorum doctrina quasi magico quodam murmure capti et decepti fuerint. Neque enim statuere poterant, quomodo cretici legem vulgarem cum dochmii fine ita conciliarent, ut ars videbatur reposcere. Enimvero aliud esse arbitror versus pure creticos eosque continuos, aliud singulos pedes creticos novi rhythmi additamentum. Certo autem alii sunt cretici mere metrici, qui severo quodam gyro continentur, alii rursus cretici rhythmici, quos liberiore campo numerorum receptos major quaedam variatio delectet: de qua re mox plura adferemus. Constabat jam pridem (utar Hermanni verbis in El. D. M. p. 191) ‚pedem creticum nihil esse nisi dipodiam trochaicam catalecticam.' Illud nuper didicimus ab Heliodoro ap. schol. ad Hephaest. p. 77 Gaisf. ed. sec., creticum pedem initio nondum *πεντάσημον* fuisse sed *ἑξάσημον* addito uno tempore silentii, eoque accidisse, ut cretici integrae dipodiae trochaicae pares primitus caesuram haberent post pedes singulos, sive una cum verbo terminari solerent *). Itaque creticus tetrameter Alcmanis ap. Heliodorum hicce:

---

*) Multum refert, unone verbo an pluribus numerus sit comprehensus: est enim quoddam in fine verborum latens tempus. Cf. Quintilianum J. O. IX, 4, 97 sq. Cretici autem tales quos Heliodorus maxime probat multi leguntur ap. Aeschylum Supplic. 418=423: *φρόντισον* —. Quin etiam in oratorum numeris dochmii creticus integro verbo semper claudendus erat ideoque ab Thrasymacho ceterisque paeonici numeri laudatoribus praedicari dochmius solebat utpote stabilis in clausulis. Vide Quintilianum IX, 4, 97 init. Mox tamen cretici tam severa lege componi prope desiti sunt: nec vero in paeonibus primis comoediae multos versus reperire licet hujusmodi: *σκωμμάτιον* | *εἴποτέ τι* | *θλιβόμενος* | *ἐκβαλῶ*. Cetera autem hujus rhythmi genera Heliodori lege omnia tenentur primum bacchii, uti Seidlerus De VV. D. p. XX et p. 137 optime demonstravit, tum paeones quarti, item severum genus maximeque tragicum, quo interdum caedes aliaeque res horrendae depinguntur velut ap. Aesch. Eumen. 326=341, Choëph. 806 sq., Sophocl. Electr. 1384=1391 et ubique praeterquam in unico versu lyrici apud Aristot. Rhetor. III, 8. Denique in hunc censum versus veniunt palimbacchiaci: qui etsi in universum poëtis displicuerunt, iis tamen locis in quibus

Οὐδὲ τῶ | Κνακάλω | οὐδὲ τῶ | Νυρσύλα adhuc totidem tempora complexus erat, quot habet trochaicus tetrameter:

Οἱ γέροντες | οἱ παλαιοὶ | μεμφόμεσθα | τῇ πόλει.

Hoc illud est, quod supra dixi dochmii finem sive creticum primitus pedem fuisse mere metricum: initio enim creticus pes a dipodia trochaica id est ab justo metro nondum differebat. Creticum et metrum et numerum invenit Thaletas Cretensis, ut Ephorus ap. Strabonem X p. 480 fin. et Plutarchus De Musica p. 699 R. diserte testati sunt, quibuscum (Hom.) Hymn. in Apoll. v. 518 et Athenaeus XV p. 678, c. bene conveniunt. Vixit autem hic inventor circiter annis ante Ch. n. septingentis sive Ol. XX^a fuitque aequalis et imitator summi poëtae Archilochi, qui paucis annis superior fuit et jam Ol. XVII summopere floruit. Ab hoc poëta Thaletas et iambum primam partem dochmii sumere potuit et certe sumsit alteram partem trochaica dipodia Archilochi in creticum mutata. Nam creticum metrum ejusque numerus dochmiacus, denique rhythmi et metra omnia, si fieri potest, historice explicanda sunt, ut a primo initio profectus ad finem rei et exitum pervenias. Licet varios casus animadvertere, sicut fert indoles mentis humanae, tenue principium, progressum haud ita celerem, progressum tamen, tum vero amoenum florem, mox titubationem et lapsum per declive, postremo tristem interitum. Ita dochmii formae antiquae videntur hae fuisse tantummodo:

⏑ –́ –̋ ⏑ –́
⏑ –́ ⏑̋⏑ ⏑ –́
–́ – –̋ ⏑ ⏑́ ⏑.

Nam et iambicus pes adhuc par esse debebat iambo Archilochi et creticus eas mutationes recipiebat solas, quas Alcmanis tempore Ol. XXVII sive a. 672 ante Ch. n. apud ipsum Alcmanem in creticis videre licet. Caesura etiamtum in dimetris et trimetris post singulos dochmios fuisse videtur severissima. Longe plus prior dochmii pars variare coepit, ex quo circiter Ol. XXXXII sive a. 612 ab Alcaeo et Sappho iambus initialis et rhythmicus (quam Hermannus dicebat ‚basin') praemittebatur: qui ut ab his poëtis ad dactylos aeolicos et ad versus glyconeos, ita tum ab aliis haud dubie etiam ad dochmiacos adhibitus est. Nos vero numeri dochmiaci fata primis ejus saeculis duobus nunc sola divinatione prosequimur, adjuti majore luce summaque similitudine aliorum metrorum, velut heroici. Deficiunt nos dochmiaca carmina tragoediae antiquissimae, deficiunt hodie dochmii lyricorum: a Pindaro enim in hoc genere admodum nihil discimus. Anno demum 499 ante Ch. n. sive Ol. LXX, 2 Aeschylus tragoedias docere coepit. Ergo dochmiorum fata ab origine ad Aeschyli aetatem non patent. Atque ut lyrici (praeterquam in threnis, in paeanibus et si forte in dithyrambis) haud ita multum dochmiis usi fuerint, id quod mihi credibile videtur: tragici tamen priores, Thespis, Choerilus, in-

---

certo exstant legem ab Heliodoro traditam sequuntur in tetrametro ficto ap. Charisium (in Rhetor. Lat. Min. p. 580 ed. Halm.): ‚bacchare | laetare | praesente | Frontone', in trimetro poëtae antiqui ap. Dionysium Hal. De Comp. Verb. c. 17 p. 226 ed. Sch.: *σοὶ, Φοῖβε | Μοῦσαί τε | συμβῶμεν*, denique in dimetro Aristophanis Pace 463=491: *ὦ εἶα | ὦ εἶα* et *μικρόν γε | κινοῦμεν*, de quo loco Hermannus in Epit. D. M. p. 71 recte judicat. Ergo paeonici numeri id habent, et ut plerique in longam syllabam desinant et ut singuli eorum pedes una cum verbo terminentur et ut hi numeri ad unum omnes viriles sint graves et severi. Quamobrem desinamus mirari, quid sit quod Thrasymachus Calchedonius numeri oratorii inventor caeterique rhetores paeonicum numerum ut necessarium laudibus in caelum sustulerunt.

primisque Phrynichus dochmiaca quoque carmina sine dubio condiderant. Multum vero discriminis inter Aeschyli dochmios intercedit et Euripideos, quorum longe major varietas compositionis est et quasi luxuries, saepe illa contraria Aeschyleae gravitati. Sed quisquis duobus ante Aeschylum saeculis primus dochmios condidit: in utraque eorum parte et in iambica et magis etiam in cretica metrorum potius severitatem quam numerorum licentiam secutus erat ita ut in hoc genere vel ipso Aeschylo esset diligentior. De compositione cretici dochmiaci sic habendum est. Quae formae pedis in versibus creticis unice legitimae sunt ipsius cretici et utriusque paeonis

— ◡ —
— ◡ ◡ ◡
◡ ◡ ◡ —

eaedem in dochmiacis quoque vel maxime frequentantur. *Πέντε βραχεῖαι* pro cretico in antiquis poëtis hodie nusquam exstant. At Simmias quum alias in tetrametro meris fere creticis uteretur, unum tamen carmen (*ἓν ποίημα* teste Hephaestione p. 80) ita condiderat, ut ter pro cretico quinas breves usurparet addito quarto paeone. Nam isti poëtae vel raram vel novam metri speciem cupide sectabantur. Quanquam per se fieri potest, ut utraque cretici arsis, quemadmodum in ipsis versibus trochaicis solvatur. In dochmiis vero *πέντε βραχείας* pro cretico, quas ne Aeschylus quidem prorsus fugit, Euripides ponit creberrime. Quodsi in hoc Simmiae tetrametro cretico:

σέ ποτε Διὸς ἀνὰ πύματα νεαρὲ κόρε νεβροχίτων

singulis pedibus initium dochmii ◡́ ◡ ◡ praeponas:

◡́ ◡ ◡ *σέ ποτε Διὸς* ◡́ ◡ ◡ *ἀνὰ πύματα*
◡́ ◡ ◡ *νεαρὲ κόρε* ◡́ ◡ ◡ *νεβροχίτων,*

dochmiorum systema existet par et aequale Euripideis in Oreste v. 149 sq. = 163 sq. Ergo quum in versibus vere creticis *πεντάβραχυ* cretici loco ante Simmian vel raro vel nusquam videatur adhibitum esse: in dochmiis quoque *τὸ πεντάβραχυ* pro forma mere rhythmica habendum erit tali illa quidem, quae creticum pedem tuenti nihil incommodet. Verum enimvero in dochmiis cretico pedi –́ ◡ – etiam molossus –́ – – crebro substituitur iique pedes hic pari dignitate praediti sunt usque eo, ut cretico strophae in antistropha molossus sive molosso creticus saepe respondeant. Atqui fons et origo cretici, trochaica dipodia in sinistris pedibus sive paribus tantum locis (secundo puta, quarto, sexto) syllabam recipit ancipitem velut in dimetro

–́ ◡ – –, –́ ◡ – –

pro vulgari

–́ ◡ – ◡, –́ ◡ – ◡,

neque in trochaeis hujusmodi formae

–́ – – ◡, –́ – – ◡

ullo pacto ferendae sunt. Hac re viros eruditos potissimum credo deterritos esse, quo minus creticum in dochmiis recte agnoscerent. Quibus equidem victas darem manus, si dochmios vere metricos pedes esse judicarem ac non potius tempora mere rhythmica*).

---

*) Nempe *οἱ ποδικοὶ χρόνοι* (ut veteres technici diserte tradunt) per *ῥυθμοποιΐαν* saepenumero mutati sunt: de qua re C. Hofmann (in annal. Heidelb. a. 1871 I p. 452) nonnulla adtulit. Nam podica tempora nec penitus evertebantur neque simpliciter permanebant, sed necessario mutanda erant, ex quo compositione facta *οἱ ποδικοὶ χρόνοι* et *χρόνοι οἱ τῆς ῥυθμοποιΐας ἴδιοι* in unum conjungebantur. Vide etiam Aristoxenum Harm. p. 50, 3 Marq.

Sic quoque molossus non subito in regnum invasit alienum, sed sensim paullatimque se insinuavit. Dochmii enim quum primum nati sunt, cretico (non item molosso) terminabantur pede etiam ad catalexin idoneo. Labente deinde sensim metri auctoritate numerorum causa molossus primo ita tantum receptus est, ut hac clausula systema finiretur: qui molossi usus in dochmiis postea quoque praecipue remansit. Ita glyconeorum –́ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – systema saepe pari modo –́ – –́ ⏑⏑ – – – clauditur ideo quod molossus et spondeus ad clausulam aptissimi esse ducebantur. Multo post demum quum rhythmi vis metrum submoventis ingravesceret et jam omnia occupasset, molossus in dochmiis vel extra clausulas poni coeptus est. Nam in clausula etiam intra versus creticos pro cretico molossum saepissime in canticis habet Plautus, semel etiam Euripides in Phoenissis v. 321: ἢ ποθεινὸς φίλοις, ἢ ποθεινὸς Θήβαις. Vidimus in dochmiis cretici formas legitimas esse hasce:

–́ ⏑ –
⏑́ ⏑ ⏑ –
–́ ⏑ ⏑ ⏑
⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ et
–́ – –.

Seidlerus autem quum (De VV. D. p. 5 sq.) omnia quae cogitari possint in tabula quadam composita exhiberet, hisce alias formas addidit tres

⏑́ ⏑ – –
–́ – ⏑ ⏑ et
⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑,

quae apud Seidlerum quater recurrunt, prima no. 11. 12. 15. 16, secunda no. 25. 26. 29. 30, tertia no. 27. 28. 31. 32. Ex quibus dochmiorum schematis duodecim longe pleraque omnino nusquam reperiri hodie in confessis est. Quod magno esse argumento debet, alteram dochmii partem certo fuisse creticum, qui partim metrorum jure partim vi numerorum varias subire mutationes potest, in rudes tamen sonos et inconditos abire non potest, qui ipso aurium convicio respuuntur. Nam prima et secunda forma e molosso et paeone, tertia item e molosso et quinque brevibus mire confusae pedes sunt non numerosi sed confragosi et hibridae, ut Simmiae creticum laudabilem ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ cum hoc monstro ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑ conferenti patebit. Ac prima forma

⏑́⏑ – –

ne semel quidem videtur exstare. Ut enim omittamus Aesch. Agam. 1001 locum aperte corruptum, ne in Euripide quidem Hippol. 1273 dochmii ἁλμυρὸν ἐπὶ πόντον satis certa fides est. Quo magis mirum videtur formae secundae

–́ – ⏑ ⏑

exemplum unicum illud quidem, firmum tamen idque non Euripidis sed ipsius Aeschyli superesse in Septem v. 205 = 213. Tertiae quoque formae

⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑

unus locus, sat ille quidem certus fidem facit Eurip. Helen. 687: δι' ἐμὲ κατεδήσατο. Contra nihil huc pertinet (ut versus docet strophicus) Eur. Herc. F. 758, in quo οὐρανίων mihi videtur glossema esse. Scribo enim:

ἄφρονα λόγον [ἄφρονα θεῶν] μακάρων κατέβαλ'

et in stropha post φρενὸς cum Fixio ἂν insero v. 745:

πάλιν ἔμολεν ἃ πάρος οὔποτε διὰ φρενὸς ἂν —.

Demonstrasse videor alteram et potissimam dochmii partem nihil aliud esse nisi creticum eumque pedem primo unice metricum, mox etiam rhythmicum et magis varium fuisse. Nam perpetuus iste Hephaestionis antispastus hypercatalectus vel ab indole carminum abhorret dochmiacorum, quae quum ingentem animorum motum exprimant, longe alios rhythmos requirunt et vehementissimos. Atqui tales sunt cretici judice etiam Ephoro ap. Strabonem X p. 480 fin., qui Cretenses dicit τοῖς ῥυθμοῖς Κρητικοῖς χρῆσθαι κατὰ τὰς ᾠδὰς συντονωτάτοις οὖσιν, οὓς Θαλήταν εὑρεῖν —. Restat initium dochmii, quem ἴαμβον fuisse Aristides Q. De Mus. I. p. 39 diserte testatur idque Hephaestio p. 61, Etymologus M. p. 285, 25 et schol. ad Aesch. S. Theb. 103 comprobant ejusdem moduli exemplis ut justi dochmii prolatis. Quibus omnibus etsi merito forma versus primitiva haec fuisse videtur: ἐγὼ δ' οὔτε σοι

⏑ –́ –́ ⏑ –,

πενθημιμερής illa quidem, ut bene Hephaestio p. 60: tamen adhuc quaerimus qualis ipse iambus exstiterit et quae hujus numeri fuerit natura. Similis esse mihi videtur primus pes versus glyconei, phalaecei, asclepiadei, alcaici aliorumque: quem pedem Hermannus, quum male ‚basin' nominaret, rationem tamen pedis primus optime aperuit et apertam probavit omnibus, de quo Christius in l. Metrik p. 95 recte judicavit. Sic igitur illum quoque iambum ‚basin dochmii' dicere in scholis metricis nunquam dubitavi meam unius hanc opinionem esse ingenue professus juvenesque meos quibus id novum acciderat, ut ipsi de eo cogitarent, hortatus sum. Forsitan quis miretur unicuique cretico pedi sive ipsi numero antecedere prooemium, ita ut caput paene aequet mensuram corpusculi. Sane ‚basis' quasi quaedam prolusio hactenus dici poterit, quod proximus pes ictum habet graviorem, velut in glyconeis choriambus. At tantum abest, ut basin numerus ‚deinceps sequatur', ut eam necessariam partem esse liqueat numeri ipsius, quae pars ut ordine prior, sic dignitate est inferior. Neque semper multi pedes basin sequuntur, sed bini tantum in glyconeis et quibusdam dactylicis: ut basin nihil vetet creticis singulis praecedere. Minus etiam anacrusin objicere licet in creticis illam frequentem ut in dimetro

⏓ | –́ ⏑ – –́ ⏑ –,

praesertim quum dactylici et anacrusi crebro utantur in stropha dorica

⏓ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –́ – sive

⏓ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

et vero semper basi in dactylis aeolicis: quod utrumque pari jure etiam creticis potuit contingere. Sed ut jam olim de dochmiorum basi nihil dubitarem, haec me potissimum moverunt, primum ipsa compositionis varietas, deinde ictus miri et a metrico iambo ⏑ –́ discrepantes hi: ⏑́ ⏑ ⏑ et ⏑́ ⏑ ⏑ et –́ –, tum etiam summa similitudo, quae inter dochmii basin et glyconei intercedit in rebus prope omnibus nec minus iis in formis, quae aut raro adscitae aut prorsus devitatae, quam quae maxime expetitae sunt. Quodsi supra vere diximus pro iambo trochaeum quoque inveniri et pro forma vulgari

⏑ –́ –́ ⏑ –

etiam trochaicam justi dochmii hancce

–́ ⏑ –́ ⏑ –,

tum vero nullus locus de omni hac re dubitationi relictus est. Sed quoniam duabus partibus iambi et cretici unusquisque dochmius constat, provisum est, ne hae partes nimium inter se discreparent. Ita fit, ut eae formae, quae in Seidleri tabula (p. 5) 21 et 23 numerantur:

–́ – ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ et

–́ – –́ ⏑ ⏑ ⏑

ne uno quidem loco usurpatae sint. Quumque ob brevitatem hujus numeri plures dochmii (dimetri maxime trimetrique) unius versus et plures versus unius systematis vinculo conjungi soleant: sedulo cautum est, ne variae formae probae illae quidem per sese, at nimium dissimiles una periodo comprehensae aurem offenderent. Immo aut eaedem formae aut saltem consimiles usque repetuntur, velut hae in dimetris:

–́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –
vel ⏑ –́ –́ ⏑ – ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –
vel ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑.

Sequitur, ut baseos sive introitus dochmiaci formas ad unam omnes proponamus:

1) ⏑ –́
2) –́ ⏑ ⏑
3) ⏑́ ⏑ ⏑
4) –́ –
5) –́ ⏑ et
6) ⏑ ⏑ –́.

Ex his formis secunda et tertia usque eo placuerunt, ut vel primitivam aut aequarent dignitate aut etiam superarent. Nam sexcenties vel ab dactylo dochmii vel a tribracho incipiunt, qui pedes ut iambo velociores magisque concitati ingentem animi motum et perturbationem melius imitantur. De alio pede, qui in universum ob tarditatem non valde probatus est, spondeum dico, haec teneamus. In omnibus dochmii formis, quae ab Seidlero XXXII vel XXXXVIII enumerantur, duae tantummodo praeter paeonem epibatum formae insunt, quae spondei basin vere recipiant, quinta et septima

–́ – –́ ⏑ – et

–́ – ⏑́ ⏑ ⏑ –.

De quibus rebus paullo melius quam in l. De VV. D. p. 18—27 Seidlerus postea ad Eurip. Troad. v. 249 disputavit erroribus quibusdam correctis. Nam spondei in hac utraque dochmiorum forma ab initio positi sat multa in Euripide exempla sunt, pauciora in Sophocle, unum modo in Aeschylo Eumen. v. 781 (sive 811): *ἐν γᾷ τᾷδε φεῦ.* Ceterum prior forma non ignota fuit metricis latinis, qui ‚molossiambum' adpellant, Diomedi III, 5, 50 p. 438 et inprimis M. Victorino IV, 1, 29 p. 198 ed. G., qui duplicat et hunc fingit dimetrum:

‚marcenti gradu nectebant choros',

hoc est: –́ – –́ ⏑ – –́ – –́ ⏑ –,

qui numeri per se non videntur rejiciendi esse. Attamen in dimetris non modo Sophocles sed ne Euripides quidem bis ponit spondeum, sed potius his formis utitur in Oreste 320:

–́ – –́ ⏑ – ⏑ –́ –́ – –,

in Hippolyto 867:

–́ – –́ ⏑ – ⏑ –́ –́ ⏑ –,

in Bacchabus 1023:

–́ – –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –.

Denique Sophocles (Oed. C. 836 = 879 et Antig. 1311 = 1333) formas –́ – –́ ⏑ – et ⏑ –́ –́ ⏑ – sibi invicem opponit. Restat alia forma (numero decima tertia apud Seidlerum), quae ipsa quoque a spondeo videtur incipere, sed longis syllabis quinque efficitur. Et hanc quidem, ut Seidlerus De VV. D. p. 33 optime, licet raro, omnes tamen tragici usurparunt ita, ut in antistropho tantum non semper eadem forma responderet. Nam in Aeschylo Sept. v. 776 pro vitioso *ἀναρπαξάνδραν* primus Hermannus vidit *τὰν ἁρπαξάνδραν* scribendum esse, quod unum strophico v. 771 *ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν* recte opponitur. Quoniam autem omnium judicio in his Aristidis Q. I p. 39 dochmius est *ποὺς σύνθετος,* hic versiculus e spondeo et molosso compositus videri potest et ita metiendus esse:

–́ – –́ – –.

At ego hunc esse contendo ‚paeonem epibatum‘, qui numerus ubi tandem potius invenietur quam in dochmiis, numero item paeonico? De quo pede Aristides Q. I p. 38: *ἐν τῷ παιωνικῷ γένει,* inquit, *ἀσύνθετοι μὲν γίνονται πόδες — παίων ἐπιβατὸς, ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ μακρᾶς ἄρσεως, καὶ δύο μακρῶν θέσεων καὶ μακρᾶς ἄρσεως.* Hoc est:

–́ – –́ –́ –.

Qui pes in summa similitudine tamen a dochmio vulgari differt, quod et ictus habet non plane eosdem*) et quia unus pes est atque incompositus et quod temporum est decem neque ut ipse dochmius *ῥυθμὸς ὀκτάσημος,* ut bene schol. ad Aesch. Septem v. 103, Etymol. M. p. 285, 25 et schol. ad Hephaest. p. 60. Ceterum *δεκάσημος* numerus dochmiis saepius admiscetur, velut in forma crebro obvia

⏓ –́ ⏓ | –́ ⏑ –.

de qua ante dictum est. Neque tamen si in tragoedia epibatum tueor, idcirco hunc paeonem nego etiam in lyricorum paeanibus, nomis threnisque habere locum potuisse. Ad animos tamen commovendos hic unus pes vix tantum valere potuit, quantum ei Aristides Q. II p. 98 tribuit non sine argutiis. Ubi autem pectore malis presso, voce vix jam sufficiente lamentamur, omnino etiam longis lentisque syllabis locus est, ut in tragicorum anapaestis spondiacis, quibus plerumque querimoniae continentur. Quare sic illi judicarunt, ne ab dochmiorum quidem velocitate paeonem abhorrere epibatum, dum raris planeque idoneis locis interponatur. Ceterum hujus pedis numerum Hermannus (in Epit. D. M. p. 237 ed. sec.) inesse conjecit in Soph. Antig. v. 1121 = 1132, qui loci conjunctis longis syllabis non quinis sed novenis huc pertinere nequeunt. Tamen versu Antigonae priore (1121) Christius quoque in l. Metrik p. 52 ob eandem causam utitur additis aliis locis, quorum maxima pars (ut ipse concedit) aliena est excepto tamen hoc Euripideo in Bacch. v. 1160: *βάκχαι Καδμεῖαι,* qui sane est paeon epibatus. Item raro alia baseos dochmiacae forma exstat, id est trochaeus –́ ⏑, cujus loco numeri accelerandi causa tribrachus sive trochaeus solutus ⏑́ ⏑ ⏑ multo magis frequentatur. Et trochaicam quidem basin dochmiis jam supra vindicavi certis ejusmodi locis inter

*) Haec mutatio incidit per eam, quam technici *ἀγωγὴν* nominant. Vide (ut hoc uno utamur) Aristidem Q. p. 42 ed. Meib.

medios dochmios compositis. Tum sicut in dochmiis saepe iambica basis et raro etiam trochaica ponitur: ita duae hae bases in aliis quoque numeris cernuntur, ut in glyconeis, ubi trochaica basis longe usitatior est quam iambica. Illud vero, quod in dochmios omnino non cadit, in glyconeorum usu venit antistrophis, ut trochaicae basi iambica opponi recte possit nec solum apud Euripidem (Iphig. T. 1095=1112) sed apud Aeschylum quoque (Choëph. 611=621 et Septem 299=316). Denique in versibus iambicis, ut in senariis comoediae cum iambo saepe commutatur anapaestus isque ab initio nonnunquam in iambis etiam melicis. Quare si quando hunc dochmium reperire licet ⏑ ⏑ –́ –́ ⏑ –, is ob iambici numeri consuetudinem cum primitiva forma ⏑ –́ –́ ⏑ – conferendus est, ut bene Seidlerus De VV. D. p. 103. Ac Sophocles quidem hac dochmii forma

⏑ ⏑ –́ –́ ⏓ –́

in Oed. C. 118=150

τίς ἄρ' ἦν; ποῦ ναίει;
ἀλαῶν ὀμμάτων

utitur aptissime. Perraro tamen ab initio dochmii legitur anapaestus. Exemplis Seidleri p. 103 sqq. et Hermanni in El. D. M. p. 253, quae partim dubia sunt, certum locum adice Eurip. Alcest. 906=929:

μονόπαις, ἀλλ' ἔμπας
βίοτον καὶ ψυχάν.

Ob hanc talis anapaesti infrequentiam et Seidlerus p. 104 ita judicat hos non pro dochmiis esse habendos sed dochmiorum similes esse et l. l. Hermannus hoc dochmiorum genus a communi esse diversum. Equidem ut anapaesti quoque basin dochmio ipsi relinquerem, glyconeis versibus adductus sum, qui anapaestum in basi quantumvis raro praemittunt apud Euripidem certe: nam Sophocleus locus Philoct. 1089=1110 dubius est. At Euripidem hoc ipso anapaesto saepius usum esse ex eo sequitur, quod eum perpetuus hujus tragici censor Aristophanes hoc ipso nomine vituperat exemplo etiam addito:

περίβαλλ', ὦ τέκνον, ὠλένας

in Ranis v. 1322. Omnino Euripides in glyconeis trisyllabam basin habet modis tribus, ⏑́ ⏑ ⏑ tribrachi, –́ ⏑ ⏑ dactyli et ⏑ ⏑ –́ anapaesti, ex quibus tribrachum maxime celebrat. De dactyli basi ego ad Arist. Ran. p. 406 pluribus exposui itemque Weissenbornius De VV. Glycon. I p. 47. Sed haec in glyconeis versibus basis dactylica rara est inventu, contra in dochmiis longe creberrima. Quod ad disyllabas bases glyconei adtinet, eae quoque numero sunt tres et hoc se invicem ordine excipiunt:

–́ –
–́ ⏑
⏑ –́.

Nam longe optima in glyconeis basis est spondei, qua una fere Horatius usus est et secundum hanc proxima est trochaica. Contra in dochmiaco e disyllabis basibus maxime frequentatur iambica, duae autem reliquae, spondiaca et trochaica sunt illae quidem, ut supra docui, certo usitatae, multo tamen infrequentiores. Etenim tranquillior numerus est glyconeorum, dochmiorum autem concitatior: quae res etiam in variis formis baseos

magnam vim habuit. De alio pede ⏑ ⏑ verbum addamus. Pyrrhichii igitur basin, quae in solis dactylis aeolicis usitata fuit, dochmius non minus respuit quam glyconeus. Ac de dochmiis ne dubitari quidem potest et item in alteris Hermannum, qui hunc pedem e glyconeis ejecit, plerique sequuntur. Sunt tamen, qui Euripidis locum in Electra 167=190 multosque ei pares anapaestum cyclium continere negent, sed glyconeum esse defendant cum basi pyrrhichii hoc modo:

⏑ ⏑ | —́ ⏑ ⏑ — ⏑ —.

Adeo in melicis non ipsa quidem versuum mensura, attamen nostra eorum dimensio saepius ambigua est. Tum longiores bases quatuor, quinque vel septem syllabarum C. Hofmano placuerunt Pindarum testanti (in Annal. Heidelberg. a. 1871 P. I p. 440), a quo Christius in l. Metrik p. 99 totus videtur pendere. Equidem discipulos meos potius docui in polyschematistis glyconeis unum baseos genus esse syllabarum quatuor vel quinque:

—́ ⏓ — ⏓

⏓́ ⏑ ⏑ — ⏓

⏒ —́ — ⏓

cum clausula sive cretici in fine pro choriambo sive salvo choriambo ab initio baseos brevioris:

⏓ —́ ⏓.

Hi enim et ex vulgari glyconeo nati sunt et eidem in antistropho apud ipsum Sophoclem possunt respondere et ictum graviorem habent in choriambo:

—́ — — — —″ ⏑ ⏑ —

non secus atque in glyconeo primitivo:

—́ — —″ ⏑ ⏑ — ⏑ —.

Nunquam enim Hermanno polyschematistum credidi ex hoc glyconeo ita effectum esse, ut iambus postremus ad initium transpositus repente ex iambo verteret in trochaeum. Illud laudo, quod Hermannus numerum baseon temere augendum esse negabat. Alioqui periculum est, ne quis, si partem caesura priorem pro basi habuerit, plerosque versus basi nescio qua onerare audeat tum eos quorum numeri crescunt tum etiam qui leni sono profluunt et aequabili. Ceterum disyllaba basis originem duxit ab Alcaeo et Sappho, qui duo metra invenerant in ipsa similitudine diversa, dactylos aeolicos basi praemissa in eisque etiam breves versus ut

—́ — —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓

—́ ⏑

⏑ —́

⏓́ ⏑

et glyconeos paullo etiam breviores

—́ — —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏒

—́ ⏑

⏑ —́

⏓́ ⏑.

Sed temporis progressu quum dactylus et creticus in choriambum cum iambo mutati essent, aliter glyconei divisi sunt: —́ — | —́ ⏑ ⏑ — | ⏑ —, qua ratione latini poetae omnes utuntur. Hi sunt recentiores glyconei tragicis poëtis ei quidem jam cogniti, illi autem fuerunt antiquiores. Nam dactylos Aeolicos inter et glyconei versus primas ori-

gines arcta intercedit cognatio, ut olim me juvenem Seidlerus docuit, qui jam antea (De VV. D. p. 353) in glyconeis pedem memorarat ‚dactylum'. Aliquanto post eandem rem ab Seidlero accepit etiam G. Weissenbornius De verss. glycon. I p. 32. Quodsi glyconei, quum primum nascerentur, genus quoddam fuerunt dactylicorum, mirum accidit, quod nunquam in dactylum desinunt sed semper in creticum hoc modo:

–́ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ –
–́ ⏑
⏑ –́
⏑́ ⏑

atque adeo (ut dochmii) in numeri continuatione finalem syllabam interdum in duas breves solvunt, id quod Seidlerus De VV. D. p. 260 primus demonstravit. Itaque ut longitudinem ultimae syllabae explicare possent, et G. Hermannus in El. D. M. p. 520 et A. Boeckhius glyconeum finxerunt dactylicum esse logaoedicum sive ex basi et ordine logaoedico constare. At veteres technici omnes *λογαοιδικὰ δακτυλικά* longe aliter definiunt, veluti praeter Aristidem Q. etiam Hephaestio p. 46. Immo dactyli quoque aeolici multo saepius in creticum exeunt quam in dactylum, id quod quum aliunde tum e Theocriti carm. XXIX clarissime perspicitur consentiente Hephaestione p. 44, qui tamen non negat dactylicos aeolensium etiam dactylo finitos esse. Quid igitur est, quod ita nunquam finiuntur glyconei? Nimirum hi non *κατὰ στίχον* sed *κατὰ σύστημα* componebantur. Atqui ne per rhythmicas quidem leges nedum per metricas committere licet, ut dactylum, cujus ultima brevis est, in proximo versu basis sequatur item a brevi incipiens, hoc est iambica. Hac de causa quod in dactylicis aeolensium plerumque observatum est, id in glyconeis semper faciundum erat. Adde quod plerique poëtarum numeri, ubicunque optio data est, lubentius in longam cadunt quam in syllabam brevem: quae res etiam de solutae orationis numeris nota erat Aristoteli in Rhetor. III, 8: *ἡ γὰρ βραχεῖα διὰ τὸ ἀτελὲς εἶναι ποιεῖ κολοβὸν* (scil. *τὴν τελευτήν*). Quae quum ita sint, verissime Aristides Q. De Mus. I p. 39 glyconeum constare censet *ἐξ ἰάμβου καὶ δακτύλου καὶ παίωνος*. Eodemque loco etiam de dochmio melius quam alii quidam veterum judicat, quem ipse compositum velit *ἐξ ἰάμβου καὶ παίωνος διαγυίου*. Nam quod glyconei primum pedem iambum esse voluit non ut exspectes spondeum: haud dubie sciebat, jam apud Anacreontem glyconeos ab iambo saepenumero incipere.

Addendum ad partem I p. 6, lin. 24.

Solet utique illud *ἀλλά* cum imperativo copulari, sed id non semper factum esse e Soph. Trach. v. 201, Diphilo ap. Athen. VI p. 236, b (v. 8), Luciano De Merc. Cond. c. 7 et Hermotim. c. 2 aliisque locis intelligitur. Quin etiam in hoc Sophoclis versu scribi ego olim volueram: *τοιαῦτα δ' ἀλλὰ νῦν σε βούλομαι ποιεῖν* et contuleram illud *ἀλλὰ νῦν* v. 403 (411) minasque parentum v. 371 sqq. (379). Multo post cognita est certa restitutio Dindorfi, quam ipsam ante Kirchhoffium et probarat et vero locis quibusdam Platonis stabilierat Arndtius (in progr. Neobrand. a 1854 p. 10): id quod Kirchhoffium meque ipsum praeterierat. Quanquam apud Arndtium, qui sensum dictionis *τοιαῦτα ἄλλα* neglexit, duo tantum loci (Plat. Sympos. p. 197, c et De Republ. II p. 372, d) vere ad hanc rem pertinent, non item aeque Plat. Apol. p. 31, a, Xenoph. Cyrop. IV, 6, 11 et omnium minime Isocr. 10, 24, qui locus est alienissimus.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXVII

AB DIE XVI M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE COMOEDIAE GRAECAE PROLOGIS

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEFATUS EST.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Constantinus Tischendorf quum itineribus in orientem susceptis librorum sacrorum codices praecipue excuteret, ex aliis codd. haud ita multa generis mere philologici descripserat, quorum varias partes amicis singulis fere singulas misit muneri. Nec tamen satis eos edocebat, quanam in bibliotheca quove in libro haec invenisset. Nimirum Tischendorfius hujus quoque generis collationes suas modico volumine comprehensas olim ipse voluerat edere: quam rem postea destituit, quum se totum scripturae sacrae addixisset. Ex primo itinere ad C. G. Cobetum, familiarem suum versus graeci cujusdam poetae (Menandri, uti Tischendorfius ipse dictitabat) ex aliquo codice loci incerti summa fide descriptos submisit, et ita misit, ut in fronte schedulae sua manu haec tantum inscriberet: ‚Fragmenta duo codicis antiquissimi IV. ut videtur saeculi'. Haec igitur post mortem Tischendorfi Cobetus nuper edidit in Miscellaneis Criticis p. 438 sqq. eaque ostendit Menandri esse, non illa ex una sed duabus comoediis depromta. Ac prius quidem fragmentum v. 1—19 hic plane omittam, cujus quaenam sedes fuerit pristina, neque Cobetus neque ego indagare adhuc potuimus. Contra ea alterum locum v. 20—44 paucis attingere placet, quam quidem partem esse comoediae ‚*Δεισιδαίμων*' Cobetus egregie demonstravit. Nam e duobus ultimis versibus fragmenti et ab initio et in fine mutilis haec tamen servata sunt:

NTIKAKONAΛHΘEC
NAΛHΘECΦAPMA.

Atqui hae sunt mediae partes primi et secundi versus in fragmento Menandri ap. Clementem Alex. Strom. VII p. 303 Sylb:

εἰ μέNTIKAKONAΛHΘEC εἶχες, Φειδία,
ζήτει NAΛHΘECΦAPMAκον τούτου σ' ἔδει.

Quae illo quidem loco Clemens simpliciter dat Menandro omisso nomine fabulae: *εὖ γὰρ καὶ ὁ Μένανδρος,* inquit: *εἰ μέν τι —.* At sic quoque argumento et sententia loci certique fragmenti ‚*Ἀγαθόν—πρίασθαι*' similitudine ductus haec ad fabulam ‚*Δεισιδαίμων*' nomine optime retulit Meinekius p. 42 ed. pr. sive p. 100 ed. maj. sive p. 888 ed. min. probante Cobeto. Ita fit, non ut jam septem versiculos, qui soli a Clemente servati sunt, sed triginta versus ‚*Δεισιδαίμονος*' fabulae continuos maxime quidem fragmenti tum etiam Clementis ope recuperaverimus. Tischendorfi autem Cobetique apographa nihil omnino videntur differre: tantum adhibitum est diligentiae. Quae hic nihil attinet omnia iterare maloque legi ea et relegi sive in Mnemosyne N. S. IV, 3 p. 285 sqq. sive in libro Cobeti. Maxima pars fragmenti (v. 20—39) caeteroquin in codice legi optime potuit, ut tamen in fine trimetrorum omnium nonnihil desit: postremo v. 40—44 etiam ab initio mutilati sunt. Itaque ut vera manus poetae reddatur, criticorum est, quae manca et decurtata sunt, quam certissime omnia supplere. Et Cobeti quidem supplementa in quinto pede ubique aut iambum aut spondeum exhibent, nostra autem bis terve etiam pedem trisyllabum. Constat enim comicos gecos ranon modo tribrachum, quo ne tragoedia

quidem abstinet, sed etiam dactylum saepe quinto in loco ita probasse, si versus in quadrisyllabam vocem unam aut in duas quae loco essent unius desineret. Tu vide Seidlerum De Vers. Dochm. p. 380 sq. et ubi de comicis agit p. 389 sqq. Ita supplementa mea in fine trimetri: *πολυτελῆ* et *γενόμενον* et *καταφανῆ* nihil habent insoliti. Tum Cobetus p. 444 fragmentum ‚ex principio' fabulae sumtum esse judicat, id est (opinor) e prima scena vel secunda actus primi: cui viro plane adsentior. Cadit enim in hosce versus id quod semper in prologo fit scenisve primis, ut ipsum argumentum fabulae explicetur. Colloquitur autem paedagogus senex cum alumno quondam suo erili filio. Juvenis animi aeger paullo ante narraverat se dormire non posse et morbo incerto, gravi tamen laborare. Denique misero certum deliberatumque erat, hariolos adire et ad magicas artes omneque lustrationum genus confugere. Quod ne temere faciat, paedagogus eum in versibus fragmenti nostri monet gravissime. Nunc ad singula veniamus. V. 1 (20): *πῶς εἰσὶν οἱ πυρο —*] Cobetus, *π. ε. ο. πυρο [ὶ παρ' ἡμῖν ὤνιοι]*; et *ὤνιοι* ille quidem verissime. Equidem scribo: *π. ε. ο. πυρο [ὶ κατ' ἀγορὰν ὤνιοι]*; Hoc enim suadet tum v. 3, ubi item *τἀγορᾷ* deesse videtur, tum usus loquendi in formulis *ὤνιος, τίμιος, ἄξιος ἐν τῇ ἀγορᾷ*. V. 2: *B. τί δὲ σοὶ μέλει τοῦτ'; A. οὐδέν —*] Cobetus supplet: *B. τ. δ. σ. μ. τ. A. οὐδέν. [ἀλλὰ βούλομαι]* —, qui ibidem ipse observat, pauperum crebros sermones esse de annona, ut senex pauperculus ita loqui nequeat: *οὐδέν* (sc. *μοι μέλει*). Equidem suppleo: *B. τ. δ. σ. μ. τ. A. οὐδὲν, [οἶμαι, κωλύει]* h. e. ‚nihil, opinor, vetat veritatis causa deuti annona'. V. 3: *εἰς τὴν ἀλήθειαν καταχρησ —*. Cobetus, *ε. τ. ἀ. καταχρῆσ [θαι τῷ λόγῳ.]* elegantius quam verius. Obstant verba codicis proxima *ANTEIMIOC*. Quum enim in Cobeti supplementis pluralis *οἱ πυροί* solus praecedat, hic invito codice scribendum esset: *ἂν τίμιοι*. Hinc ego supplevi: *ε. τ. ἀ. καταχρῆσ [θαι τἀγορᾷ.]* Sic demum bene habent etiam illa, *ἂν τίμιος* scil. *ἡ ἀγορὰ ᾖ* i. e. ‚si annona (Marktpreis) cara fuerit'. Cf. dictionem Anaxandridis ap. Athen. VI p. 263, c: *ἀγορᾷ κέχρηνται*, quam ex Apollodoro sic latinam fecit Terentius in Phorm. I, 2, 29: ‚uti foro'. V. 4. *ἂν τίμιος, δακέτω σ' ὑπὲρ ἑ —*. Cobetus, *ἄ. τ. δ. σ. ὑπὲρ ἑ [μοῦ τοῦ σφόδρα]* egoque eodem modo *ἄ. τ. δ. σ. ὑπὲρ ἑ [μοῦ τοῦ πάνυ]* —. Nam horum alterutro sane opus est. V. 5: *πένητος, αἰσθοῦ σαυτὸν ὄντα —*. Sequitur in codice ab initio v. 6: *ΑΝΘΡΩΠΟΝ*. Cobetus, *π. α. σ. ὄντα, [Φειδία,]* speciose. Sed quoniam de annona loquuntur, pauperi seni quem annona mordet opponendus videtur juvenis dives et sumtuosus. Hinc malui, *π. α. σ. ὄντα [πολυτελῆ]* —. Quanquam talia sentiri possunt, demonstrari nequeunt. Ita aliis Cobeti illud *Φειδία* aeque bonum aut melius etiam nostro *πολυτελῆ* videri poterit. V. 6: *ἄνθρωπον· ἄνθρωπον δὲ κα —*. Cobetus, *ἄ. ἄ. δὲ κα [λόν τε κἀγαθόν]* —. At ego longe aliter, *ἄ. ἄ. δὲ κἀ [μὲ γενόμενον,]* quod quum aperte verum sit et necessarium, miror ab Cobeto non praeoccupatum esse, qui v. 4 de eodem homine conjecerat optime, *ὑπὲρ ἐ [μοῦ τοῦ σφόδρα] πένητος —*. V. 7: *ἵνα μὴ 'πιθυμῇς τῶν ὑπὲρ —*. Cobetus, *ἵ. μ. 'π. τῶν ὑπὲρ [σαυτὸν πάνυ.]*, in quibus *πάνυ* non intelligo. Equidem malim, *ἵ. μ. 'π. τῶν ὑπὲρ [ἄνθρωπόν ποτε]*. V. 8 codex: *OTANAAΓPYΠNEINEIΠHICTICE*, unde Cobetus haec tantum sumsit, *ὅταν δ' ἀγρυπνεῖν εἴπῃς*, tacens de caeteris ut nimium incertis. Tamen ego dubitanter propono: *ὅταν δ' ἀγρυπνεῖν εἴπῃς, τί σ' [ὀνήσει φάρμακον;]* h. e. ‚quod tibi proderit remedium?' Continuo enim idem pergit: ‚causam cognosces', quae causa si

venis tuis cesserit, certum habebis remedium. Ceterum Phidiae de insomnia querenti conveniunt hi versus Comici incerti ap. Plutarchum De Virt. et Vit. p. 100, f: ὅταν δὲ νυστάζοντά μ' ἡ λύπη λάβῃ, | ἀπόλλυμ' ὑπὸ τῶν ἐνυπνίων, quod malum accidere Plutarchus ait ,διὰ δεισιδαιμονίαν'. V. 9: τὴν αἰτίαν γνώσῃ· περιπατεῖς —. Cobetus: τὴν αἰτίαν γνώσει· περιπατεῖς [ἡδέως], invito Menandro. Cujus sententiam praesto, verba ipsa praestare nequeo scriboque: τὴν αἰτίαν γνώσει· περιπατεῖς [οὐ θαμά,] —. Raro ambulabat misellus. V. 10: εἰσῆλθες εὐθύς, ἂν κοπιάσῃ —. Cobetus, εἰσῆλθες εὐθὺς ἂν κοπιάσῃ [ς τὰ σκέλη]. Quid sibi velit κοπιᾶν τὼ σκέλη docet Alexis Cobeti p. 443. Dicebatur de eo, qui diu multumque cursitando defatigatus esset: id quod in istum juvenem minime conveniebat. Hic quoque sententiam non verba secutus propono: εἰσῆλθες εὐθύς, ἂν κοπιάσῃ [ς μὴ σφόδρα.] J. e. ,si paullum de brevi via fessus fueris'. Somnum capere nequibat ideo quod plerumque domi desidebat, non saepe domo exibat ac tum quoque cito domum revertebatur. V. 11—13 init: μαλακῶς ἐλούσω· πάλιν ἀνασ — v. 12: πρὸς ἡδονὴν ὕπνος αὐτὸ σοβ — v. 13 init: τὸ πέρας. Cobetus, μαλακῶς ἐλούσω. πάλιν ** et v. 13 τὸ πέρας. Haec sola affert, tacet de caeteris ut insanabilibus. Ego meam conjecturam quasi filiolam exosculari nolo. Scribo suppleoque, μαλακῶς ἐλούσω· πάλιν ἀνασ [τρέψας λόου] (v. 12:) πρὸς ἡδονὴν, ὕπνος αὐτὸ σοβ [εῖν δυνήσεται] (v. 13:) τὸ τέρας. H. e.: ,molliter lotus es: reversus iterum lavare cum voluptate (diutius), tum somnus tuus ipsum abigere poterit prodigium.' Primum pro vulgari λοῦ atticam Imperativi formam λόου fuisse adparet, sicut in Arist. Nub. 828 pro καταλούει metri causa καταλόει a Bekkero restitutum est. Tum v. 13 init. codex *ΤΟΠΕΡΑΣ* sive librarii vitio sive Tischendorfi: nam res ipsa non τὸ πέρας, quod plane nihili est sed τὸ τέρας flagitat. Graeci enim dicebant τέρας, φάσμα, δαίμονα σοβεῖν sive (ut est apud Lucianum Philopseude c. 30) ἀπελαύνειν, id quod vulgo faciebant incantando, juvenis autem idem efficere jubetur non κατᾴδων sed λούμενος. V. 13 sq. (post *ΤΟΠΕΡΑΣ*): *ΚΑΚΟΝΕΧΕΙΣΟΥΔΕΝΗ* v. 14 init: *ΕΣΤΙΗΝΔΙΗΛΘΕΣ*. Cobetus, τὸ πέρας κακὸν ἔχεις οὐδέν. ** et v. 14 init: διῆλθες, nihil praeterea. Equidem suppleo: τὸ τέρας. κακὸν ἔχεις οὐδέν· ἡ [δε γὰρ νόσος] et v. 14 init: ἔσθ' ἣν διῆλθες. Vir egregius p. 443 bene ille quidem verba κακὸν ἔχεις οὐδέν sic accepit, ,nullo morbo laboras', sed quod ibidem et p. 442 τὸ πέρας κακὸν ἔχεις οὐδέν scripsit, isto modo τὸ πέρας soni sunt inanes. V. 14 med. — 15 fin. (post *ΔΙΗΛΘΕΣ*): *ΦΟΡΤΙΚΩΤΕΡ* — et v. 15: *ΕΠΕΡΧΕΤΑΙΜΟΙΤΡΟΦΙΜΕΣΥΓΓΝ* —. Praeclare Cobetus, φορτικώτερ [ον δέ τι] et v. 15, ἐπέρχεταί μοι, τρόφιμε, συγγν [ώμην δ' ἔχε.] Quorum veritatem ne quis inepte addubitet, docet de tali dicto honorem auribus praefandum esse. V. 16—17 med. *ΤΟΔΗΛΕΓΟΜΕΝΟΝΟΥΚΕΧΕΙΣΟΝ* — et v. 17 init: *ΥΠΟΤΩΝΑΓΑΘΩΝΕΥΙΣΘΙ*. Sed in extremo versu 16 *ΟΝ* non satis certum esse observavit Tischendorfius, Cobetus autem perspexit in codice non *ΟΝ* sed *ΟΠ* exaratum fuisse. Denique lacunam ille p. 446 ita supplet, τὸ δὴ λεγόμενον οὐκ ἔχεις ὅπ [οι χέσῃς] et v. 17 init. ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν, εὖ ἴσθι. emendatione felicissima. Redit autem res ad Marcum Antoninum V, 12, qui et ab Menandro lucem ipse accipit et acceptam vicissim illi reddere videtur majorem. Hoc uno loco non item fragmento nostro dudum usus in Meineki Fragm. Com. Gr. Vol. V P. I p. 81 sq. et p. 368 Nauckius exiguam quandam veri partem quasi per transennam adspexerat, qui poëtae alicui comico talem dabat trimetrum: ὑπ' εὐπορίας γὰρ

οὐκ ἔχεις ὅποι χέσῃς. At vel ab Antonino discere poterat *ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν* potius scribi debere, atque *ὑπὸ τῆς εὐπορίας* Antonini verba esse, non esse comici ejusque Menandri, qui sicut Aristophanes *ὁ Κωμικός* eximie dici solet. Etsi autem proverbium istud saepius videtur usurpatum fuisse, nostri tamen fragmenti versus Antoninum unice attulisse e secunda verbi persona elucet, quam cum Antonino communem habet fragmentum nostrum, *ΟΥΚΕΧΕΙCΟΝ* —. In extremo doleas non plures literas quam *ΟΠ* — superesse, quum praesertim tenuis menda ex ipso proverbio detergenda sit. Nam et Nauckius et Cobetus quum in Antonino legissent, *οὐκ ἔχειν ὅποι χέσῃ*, ambo poëtae haec dederunt, — *οὐκ ἔχεις ὅποι χέσῃς.* At apud Antoninum ipsumque Menandrum pro *ὅποι* omnino *ὅπου* videtur corrigendum esse: ita enim Graeci loquebantur. Sic est ap. Strabonem VII fr. 8: — *χέζ' ὅπου θέλεις*, nubes enim exemplorum hic odiosa est. Ceterum Antoninus Menandrum non ipsum tum evolverat, sed memoriter eo usus et falsus memoriae illic sibi hunc fere versum legisse videbatur: *ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν [σύ γ'] οὐκ ἔχεις ὅπου χέσῃς*, quum ipse Menander ab verbis *ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν* non hunc versum inchoasset, sed proximum. Denique Antonini V, 12 verba haec sunt: *ὁποῖά τινά ἐστι τὰ τοῖς πολλοῖς δοκοῦντα ἀγαθὰ καὶ* (bene Cobetus, *κἂν*) *ἐντεῦθεν λάβοις. εἰ γάρ τις ἐπινοήσειεν ὑπάρχοντά τινα ὡς ἀληθῶς ἀγαθά, οἷον φρόνησιν, σωφροσύνην, δικαιοσύνην, ἀνδρείαν, οὐκ ἂν ταῦτα προεπινοήσας ἔτι ἀκοῦσαι δυνηθείη τό· ὑπὸ τῶ ἀγαθῶ* (sic) *γὰρ ἐφαρμόσει. τὰ δέ γε τοῖς πολλοῖς φαινόμενα ἀγαθὰ προεπινοήσας τις — ῥᾳδίως δέξεται ὡς οἰκείως ἐπιλεγόμενον τὸ ὑπὸ τοῦ Κωμικοῦ εἰρημένον.* et paullo post: *πρόϊθι οὖν καὶ ἐρώτα εἰ τιμητέον καὶ ἀγαθὰ ὑποληπτέον τὰ τοιαῦτα, ὧν προεπινοηθέντων οἰκείως ἂν ἐπιφέροιτο τὸ τὸν κεκτημένον αὐτὰ ὑπὸ τῆς εὐπορίας οὐκ ἔχειν ὅποι χέσῃ.* Praeter duo vitia minuta *καὶ* pro *κἂν* et pro *ὅπου ὅποι* alia eaque non tenuis menda in verbis residet mediis, quae ita corrigo: *οὐκ ἂν τ. π. ἔ. ἀ. δυνηθείη τό· ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν· οὐ γὰρ ἐφαρμόσει. τὰ δέ γε* et sic porro. H. e. ,talis vir non poterit audire versum, cujus hoc initium est: *ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν*. neque enim hoc dictum quadrabit'. Nempe Antoninus ne bis versum ponere turpiorem cogatur, reticentiam (*ἀποσιώπησιν*) apte pudenterque adhibet. Enimvero Cobetus p. 446 scripturam esse dicit mendosissimam et audacter conjicit: *ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν γὰρ οὐκ ἔχεις ὅποι χέσῃς.* At ne Cobetus quidem aliis persuadebit, librarios pro verbis *ἔχεις ὅποι χέσῃς* scripsisse *ἐφαρμόσει.* Et cur tandem Cobetus Antoninum coegit bis uti proverbio turpiore, quum id satis esset semel modo adferri? Ergone in comoedia servus veniam petet dicto subrustico, Antoninus hoc dictum aliis bis obtrudet? Quis fando audivit hunc imperatorem, virum pudentissimum verborum obscoenitate delectatum fuisse? Qui fuit Stoicus, non fuit, ut multi Stoici, *εὐθυρρήμων* *). Ceterum proverbii Menandrei vis et potestas haec est: ,tanquam onere quodam premeris nimio fortunarum

---

*) Audio, Marci Antonini libros *Εἰς ἑαυτόν* ab R. Herchero mox editum iri, cujus critici recensionem cupide exspectamus. Apud Marcum Antoninum V, 12 Gataker p. 39 in textu posuit: *τί· ὑπὸ τῷ ἀγαθῷ* et in adnot. p. 203 iteratur contextus sic: *τι. ὑπὸ τῷ ἀγαθῷ γὰρ ἐφαρμόσει.* Adduntur Xylandri, Salmasii et Gatakeri conjecturae, quas omnes non miramur male cessisse fragmento Tischendorfi nondum invento. Cobetus p. 445 aliquid tamen vidit recteque pro istis *τί· ὑπὸ τῷ ἀγαθῷ* substituit: *τό· ὑπὸ τ. ἀ.* Quod ad postrema verba Antonini adtinet, Gataker in contextu p. 39 sane dedit: *οὐκ ἔχειν ὅποι χέσῃ*, id quod Nauckius et Cobetus retinuerunt. At idem Gataker in adnot. p. 203 contextum non semel sed bis sic iteravit, ut scriberet: *οὐκ ἔχειν ὅπου χέσῃ.* Ita fieri potest, ut p. 39 pro *ὅπου* scriptum sit: *οὐκ ἔχειν ὅποι χ.* non ex ullo codice sed mero typothetae errore.

splendore.‘ Enimvero Aristophanes in sententia prorsus eadem bene auribus consuluit dixitque in Avibus v. 734 ejusmodi hominem ‚κοπιᾶν ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν‘. Denique Moeris p. 202 hunc exhibet Eupolidis versum, ἐμοὶ γὰρ οὐκ ἔστ' οὐδὲ λάσαν' ὅπου χέσω, ubi codex λάσανον ὅπου, quod metri et linguae vitium Raspius meus (De Eup. Dem. et Civ. p. 89) correxit. Et Eupolis quidem utrum proverbii loco haec habuerit necne, haud constat. Quodsi proverbium Menandreo contrarium vere exstitit, οὐκ ἔχεις ὅπου χέσῃς (sine verbis ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν), id necesse est dici solitum fuisse ‚de pauperrimo‘. At per hoc proverbium argumentatio Antonini V, 12 omnis corruet penitusque peribit: multi enim viri boni fuerunt pauperrimi. Quare hoc proverbium aut omnino non erat usitatum aut ad Antonini aures non pervenerat. V. 17 fin. — 18 fin. (post εὖ ἴσθι) μὴ — v. 18. ἵκοι τἀληθῆ λέγω νὴ τοὺς θε —. Cobetus, εὖ ἴσθι. * et v. 18 ** τἀληθῆ λέγω, νὴ τοὺς θε[ούς,] de mediis autem verbis tacet. Restat, ut ego haec certa ratione in integrum restituam. Ac primum Tischendorfio teste *OI* in illis *IKOI* non est plane certum. Et *OI* quidem ille recte agnovit, sed post *OI* unam literam legere nequivit quae fuerat *O*. Nam principio in codice scriptum erat non *IKOI* verum *IKOIO*. Scribendum est sine dubio, ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν, εὖ ἴσθι· μὴ [ὥρασι δὲ] et v. 18, ἵκοιο· τἀληθῆ λέγω νὴ τοὺς θε [ούς]. Multis verbis non minus aspera oratione infra idem utitur ad eundem, περιμαξάτωσάν — φακούς. Nostro autem loco dicit hoc: ‚sit jus liceatque tibi perire, quem invitum servare nequeo: utere tu sane hariolo ejusque artibus magicis, quoniam mihi te obtemperaturum esse pernegas‘. Adeo ille non juvenem ipsum sed maxime quidem superstitionem ejus diris devovet, tum etiam haec ipsa bona (ἀγαθά), quod tantam aegritudinem attulerint. De exsecrandi formula μὴ ὥρασιν (ἵκοιτο) Hermannus exposuit in Praef. ad Epit. D. M. p. XVI sqq. ed. I, qui etsi μὴ ἵκοιτο male diremit, tamen et hiatum recte agnovit et postremo p. XXI bene scripsit μὴ ὥρασι, non ut vulgo editur μὴ ὥραισι vel μὴ ὥρας. V. 19: τοῦτ' ἔστι τἀρώστημα καὶ μη —. Cobetus, τοῦτ' ἔστι τἀρρώστημα. *B.* καὶ μὴ [ν, ὠγαθέ,] fortassis recte. Malim tamen, τοῦτ' ἔστι τἀρρώστημα. *B.* καὶ μὴ [ν, νὴ Δία] —. Sic ambo jurabunt, et juvenis h. l. νὴ Δία et modo senex νὴ τοὺς θεούς. V. 20: ἀτόπως ἐμαυτοῦ καὶ βαρέως —. Cobetus, ἀτόπως ἐμαυτοῦ καὶ βαρέως [ἔχω πάνυ.] At vocula πάνυ in codice subsequitur versu abhinc secundo. Malim igitur, ἀτόπως ἐμαυτοῦ καὶ βαρέως [ἔχειν δοκῶ.] V. 21 sq: .⁚. . . *NIKONECTITOANOHTO* — et v. 22: . . . . *NΠANΤΓAPΤAΥΤEΛΛEΛ* —. Verissime Cobetus, [φιλό] νικόν ἐστι τἀνόητο[ν], attamen de caeteris tacet omnibus. Equidem scribo v. 21: [φιλό] νικόν ἐστι τἀνόητο [ν, ὥστε μὴ], et v. 22 [εἴκει]ν· πάνυ γὰρ ταυτὶ λέλ [εκταί μοι καλῶς]. H. e: ‚male pervicaces sunt stulti et cedere nescii: haecce enim ab me dicta sunt optime‘. Ut dubitari possit de supplemento [ὥστε μὴ εἴκει]ν, reliqua tamen minus dubia sunt, quum praesertim codicem plane secutus sim, in quo quemadmodum supra v. 4 *TEIMIOC* pro τίμιος, ita h. l. *TAΥTEI* pro ταυτί exaratum est. Denique haec restitutio etiam eo commendatur, quod consimilis sententia ejusdem senis aliquanto ante praecessit, τἀληθῆ λέγω νὴ τοὺς θε [ούς.] Debet enim paedagogus eadem saepius docendo juvenis tam pertinacis tamque stolidi aures obtundere. Quanquam versum etiam hoc modo supplere possis: [εἴκει] ν. πάνυ γὰρ ταυτὶ λέλ[εκταί σοι κακῶς.], ut ταυτί ad v. 20 respiciat. Sed horum alterutro utique opus erit. V. 23: . . . *ΠAPAINEICOTIΠA* —. Cobetus, *B.* [τί δέ μοι] παραινεῖς; *A.* ὅ, τι

πα [*ϱαινῶ; τοῦτ' ἐϱῶ.*] parte versus optime persanata. Malim tamen, *B.* [*τί δέ μοι*] *παϱαινεῖς; A. ὅ, τι πα* [*ϱαινῶ; καταφανῆ.*] I. e. ‚res tibi suadeo manifestas'. Scio additamentum meum *καταφανῆ* non esse certum: at hoc tamen certum est, Menandrum non ita uti Cobeto placuit, *τοῦτ' ἐϱῶ* scribere potuisse, quod mirifice languet. V. 24 et 25. Residui sunt fragmenti nostri duo versus postremi, quorum particulae in codice servatae consistunt e mediis pedibus primi et secundi versus in fragmento Menandreo ap. Clementem Alex. Strom. VII p. 303 Sylb. Ita fit, ut ubi fragmentum deficit, ibidem Clemens incipiat utique chartae Tischendorfianae hoc Clementis loco sine ulla intercapedine continuatae sint. Et quoniam primum fragmenti versibus ac deinceps eis qui sunt apud Clementem perpetuum colloquium senis juvenisque continetur: ne eos quidem versiculos qui Clementi debentur, omittere licet, quae res Cobetum p. 440 non latuit. Insunt autem loci mendosi potissimum tres. Principio v. 1 et 2 inter verba *εἶχες* et *ἀληθὲς φάϱμακον* libri habent *φιλιάζειν*, pro quo Grotius primus correxit *Φειδία, ζητεῖν*, ‚quae egregia emendatio est', ut recte Bentlejus Em. in Men. p. 43. Deinde v. 3 quorundam aciem praestrinxit scriptura interpolata, *τὸ φάϱμακον εὕϱηκας κενόν*. At vetus lectio, unde proficiscendum erat, haec est: *κενὸν εὕϱηκας τὸ φάϱμακον*. Tu vero cum Cobeto in Mnemos. IV, 135 scribe: *κενὸν ἄϱα καὶ τὸ φάϱμακον*, quae emendatio est palmaris. Denique v. 6 libri *πεϱιτέθωσαν* exhibent. Sed praeclare, ut solebat, Bentlejus l. l. p. 43 *πεϱιθειωσάτωσαν*, quod inchoatum Meinekius perfecit scribendo *πεϱιθεωσάτωσαν*. Nunc autem integrum locum id est et fragmenti versus et Clementis perpetuos justo ordine infra ponemus, ut quam voluptatem nos cepimus Menandri ingenio debitam, eadem in legendo alii quoque perfundantur. Additamenta tamen et mea ipsius et ea quae Cobetus mihi probavit iterum uncis includam, quo melius ubique ab codicis scriptura discerni queant.

A. πῶς εἰσὶν οἱ πυϱο (ὶ κατ' ἀγοϱὰν ὤνιοι;)
B. τί δὲ σοὶ μέλει τοῦτ'; A. οὐδὲν, (οἶμαι, κωλύει)
εἰς τὴν ἀλήθειαν καταχϱῆσ (θαι τἀγοϱᾷ.)
ἂν τίμιος, δακέτω σ' ὑπὲϱ ἐ (μοῦ τοῦ πάνυ)
πένητος. αἰσθοῦ σαυτὸν ὄντα (πολυτελῆ)
ἄνθϱωπον, ἄνθϱωπον δὲ κἀ (μὲ γενόμενον,)
ἵνα μὴ 'πιθυμῇς τῶν ὑπὲϱ (ἄνθϱωπόν ποτε.)
ὅταν δ' ἀγϱυπνεῖν εἴπῃς, τί σ' (ὀνήσει φάϱμακον;)
τὴν αἰτίαν γνώσει· πεϱιπατεῖς (οὐ θαμά,)
εἰσῆλθές εὐθὺς, ἂν κοπιάσῃ(ς μὴ σφόδϱα,)
μαλακῶς ἐλούσω· πάλιν ἀνασ(τϱέψας λόου)
πϱὸς ἡδονὴν, ὕπνος αὐτὸ σοβ(εῖν δυνήσεται)
τὸ τέϱας. κακὸν ἔχεις οὐδέν· ἥ (δε γὰϱ νόσος)
ἔσθ' ἣν διῆλθες. φοϱτικώτεϱ(ον δέ τι)
ἐπέϱχεταί μοι, τϱόφιμε, συγγν(ώμην δ' ἔχε.)
τὸ δὴ λεγόμενον, οὐκ ἔχεις ὅπ(ου χέσῃς)
ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν, εὖ ἴσθι. μὴ (ὥϱασι δὲ)
ἵκοιο· τἀληθῆ λέγω, νὴ τοὺς θε (ούς.)
τοῦτ' ἔστι τἀϱϱώστημα. B. καὶ μὴ(ν, νὴ Δία)
ἀτόπως ἐμαυτοῦ καὶ βαϱέως (ἔχειν δοκῶ.)

Α. (φιλό)νικόν ἐστι τἀνόητο(ν, ὥστε μὴ) 40
(εἴκει)ν· πάνυ γὰρ ταυτὶ λέλ(εκταί μοι καλῶς.)
Β. (τί δέ μοι) παραινεῖς; Α. ὅ, τι πα(ραινῶ; καταφανῆ.)
(εἰ μέ)ν τι κακὸν ἀληθὲς (εἶχες, Φειδία,) I
(ζητεῖ)ν ἀληθὲς φάρμα(κον τούτου σ' ἔδει.) 44.
νῦν δ' οὐκ ἔχεις· κενὸν ἄρα καὶ τὸ φάρμακον
πρὸς τὸ κενόν· οἰήθητι δ' ὠφελεῖν τί σε.
περιμαξάτωσάν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλῳ V
καὶ περιθεωσάτωσαν, ἀπὸ κρουνῶν τριῶν
ὕδατι περίρραν' ἐμβαλὼν ἅλας, φακούς. VII.

Sed ex hac ipsa fabula et item e principio Cobetus p. 444 sumtum esse censet alium quendam locum Menandri, eaque re nihil cogitari posse evidentius: in quo me feret aliter sentientem. Dico versus octodecim apud Plutarchum in Consol. Apoll. p. 103, D: εἰ γὰρ ἐγένου σύ, τρόφιμε, τῶν πάντων μόνος — ὥστ' ἀνὰ μέσον που καὶ τὸ λυποῦν δεῖ φέρειν (sic enim postrema verba recte scribit Cobetus partim cum Grotio). Tenendum est, etiam in his loqui paedagogum et filium alloqui erilem. At praeterquam quod eodem fere loco bis monere alumnum vix potuit, eum esse natum ‚hominem' (in fragm. v. 5 sq. et ap. Plutarchum v. 10), in tot versibus nulla omnino mentio illata est ‚superstitionis'. Immo hic juvenis (v. 5: ἀγανακτεῖς) indignatur, quod fortis animi est; contra Phidias aegrescit animo fracto aut valde debilitato: alter juvenis (v. 17: ἀπώλεσας | ἀγαθά) bona quaedam perdidit; Phidias nihil perdidit sed (v. 17: ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν) bonorum nimia copia luxuque diffluit: alter (v. 17: μέτριά σοι κακά) mala patitur mediocria, Phidias praeter morbum opinatum aliud malum nullum (v. 13: κακὸν ἔχεις οὐδέν). Ita etiam altero loco inter eosdem (paedagogum puta et alumnum) res agitur, sed res ipsa non est eadem verum longe diversa. Denique Plutarcheus juvenis non ut Phidias sibi videtur aegrotare neque quidquam falso opinatur, sed adverso casu et eo non levi vere percussus est, sive quem suorum morte amiserat, sive potius rei familiaris fecerat jacturam. Quamobrem etsi fabulam Menandri, unde hi XVIII versus fluxerint, multum quaesitam nondum inveni: sic tamen intelligo, certe non sumtos esse illa ex fabula, cui nomen fuit ‚Δεισιδαίμων'. In qua primas partes Phidiae juveni datas fuisse jam olim Meinekius p. 42 ed. prim. bene perspexit. Contra ea paedagogi plerumque tertias agebant partes et primum in prologo, deinde etiam in ipso dramate loquebantur. Veluti aperte tritagonista paedagogum Orestis egerat in Sophoclis Electra v. 1 sqq. et v. 1326 sqq. In nova vero comoedia saepissime paedagogi cum alumno suo colloquebantur eumque monebant, id quod vel unus Menander saepius fecisse reperitur. Exemplo sunt primum fabula ‚Δεισιδαίμων' nomine, tum incerta ejusdem comoedia, in qua fuerant illi versus XVIII Plutarchei, denique ‚Δὶς ἐξαπατῶν', quam latinam a Plauto factam esse in ‚Bacchidibus' recte vidit Ritschelius in Parerg. Plaut. I p. 405 sqq. In Bacchidibus paedagogum videmus ‚Lydum servum', et ‚Pistoclerum' filium erilem. Et ille quidem etiam postea non pauca loquitur, primum autem prodit I, 2, 1 (v. 109: ‚Jam dudum' —), quam scenam Schneidewinus in Museo Rhen. a. 1843 fasc. III p. 416 sqq. suavissime enarravit. Habeo alia quae de Menandri fabula ‚Δεισιδαίμων' dicenda esse videantur. Haec tamen nunc praetereo et in aliud tempus malo differre. Jam sit finis hujus loci.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim symbolicen et polemicen docebit sive doctrinam ecclesiasticam exponet et defendet septenis p. h. scholis, quinquies h. XI et die Saturni h. III et h. IV; 2) privatim epistolas catholicas interpretabitur quinquies p. h. h. XII.

Dr. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim librum Geneseos interpretabitur, quinquies p. h. hora III; 2) privatim vaticinia Joelis, Amosi et Michae explicabit quaternis p. h. scholis hora IV; 3) privatissime sed gratis S. Gregorii librum regulae pastoralis explicandum proponet, die Lunae horis VI et VII vesp.; 4) publice in Seminario homiletico et catechetico homileticas sodalium exercitationes moderabitur die Sat. h. IX—XI.

Dr. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies p. h. h. IX, 2) privatim historiam doctrinae protestantium quinquies p. h. h. X, 3) publice historiam dogmatum aetatis mediae die Mercurii h. VI et h. VII tradet et 4) publice in Seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim encyclopaediam et methodologiam conjunctam cum historia theologiae tradet quater p. h. hora VII—VIII; 2) privatim theologiam ethicam christianam docebit quinquies h. VIII—IX et die Veneris h. VII—VIII; 3) publice doctrinam de sacramentis et ecclesia christiana tractabit die Jovis h. VI—VIII.

In ordine juridico.

Dr. Hugo Boehlau, P. P. O., privatim 1) jus Germanicum privatum docebit quinquies h. XII; 2) jus mercatorium et cambiale exponet sexies h. X; 3) relatorium q. v. instituet h. h. c. c.

Dr. Augustus Thon, P. P. O., h. t. Decanus, 1) institutiones juris romani tradet quinquies p. h. h. h. c. c.; 2) historiam juris romani docebit quinquies p. h. hora XII; 3) practicum quod vocant civile instituet die Martis hh. V—VII.

Dr. Siegfriedus Brie, P. P. O., 1) jus publicum Germanicum tradet quinis p. hebd. scholis h. XI; 2) processum criminalem docebit juris Mecklenburgici et novarum Imperii Germanici legum praecipuam rationem habens quinquies p. hebd. h. XII.

Dr. Gustavus Kretschmar, P. P. O., 1) delineationem processus civilis, qualis erit post introductionem novarum imperii Germanici legum, exponet bis aut ter p. h. h. XI; 2) jus obligationum docebit quater p. h. h. XII; 3) doctrinam de hereditatibus selecta fontium capita simul interpretans tradet quater p. h. IX.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. E., 1) jus criminale Germanicum tradet septies p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris hora VIII, die Saturni hora VIII—X; 2) processus summarios nec non procedendi in concursu creditorum modum, habita juris Mecklenburgici ac novissimarum Germaniae legum ratione, docebit ter p. h. hora IX.

In ordine medico.

Dr. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem ternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico quinis diebus h. X moderabitur.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., h. t. Academiae Rector, 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) quotidie hora IX—X docebit; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem trinis horis.

Dr. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam ternis p. h. diebus h. IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dimidia moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis docebit.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora IX; 2) operationes quae in arte obstetricia adhibentur, ope corporum artificialium exercendas moderabitur bis p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur hora VIII; 4) tocologiam experimentis docebit horis binis p. h. publice.

Dr. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., 1) publice anatomiam topographicam trunci horis singulis, 2) privatim anatomiae systematicae partem secundam (organa sensus, angiologiam et neurologiam) sexies p. h. h. XII—I docebit; 3) privatim histologiam generalem una cum exercitationibus practicis quater p. h. h. X—XI moderabitur.

Dr. Carolus Gaehtgens, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) chemiam physiologicam eamque et histologicam et glandularum tradet quater (diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris) h. IV—V; 2) chemiam excrementorum animalium junctam cum exercitationibus analyticis docebit bis (diebus Martis et Veneris) h. XII—I; 3) privatim exercitationes practicas in laboratorio moderabitur quater p. h. horis definiendis.

Dr. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., 1) chirurgiam specialem ternis diebus h. IX docebit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur horis definiendis; 3) cursum operationum quem vocant moderabitur.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomiam pathologicam specialem quotidie hora definienda docebit; 2) cursum demonstrativum anatomiae et histologiae pathologicae binis horis ter per hebd. moderabitur.

Dr. Guilielmus Brummerstaedt, de mulierum morbis quater per hebd. disseret horis definiendis.

Dr. Paulus Schiefferdecker, privatim 1) osteologiam et syndesmologiam ter per hebd. docebit; 2) de histogenesi et regeneratione bis per hebd. horis definiendis disseret.

Dr. Julius Uffelmann, 1) hygienam publicam et privatam junctis exercitationibus microscopicis et chemicis ad hygienam spectantibus docebit quinquies per hebdomadem; 2) de infantum morbis quater per hebd. et 3) de alimentis eorumque vi bis per hebd. horis definiendis disseret.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI Aristophanis Nubes interpretabitur et 2) de dialecto attica disseret horis definiendis. Postremo 3) horis consuetis Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Aeschyli Persae et Tullii oratio pro Milone perlegentur.

Dr. Joannes Roeper, P. P. O., 1) privatim docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam quinis diebus h. XI—XII. 3) Publice itinera botanica instituet die Saturni.

Dr. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) quaternis diebus Euripidis Jonem interpretabitur; 2) binis diebus Anthologiae graecae selecta carmina explicabit. Privatissime quater per hebd. topographiam veteris Graeciae duce Pausania enarrabit.

Dr. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit privatim 1) calculum differentialem, quater p. h.; 2) mineralogiam, quater p. h.; 3) astronomiam sphaericam ter p. h.

Dr. Hermannus Roesler, P. P. O., docebit quinquies p. h. 1) oeconomiam politicam, hora VIII; 2) administrationem rei financiariae et militaris, h. IX.

Dr. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam medii aevi usque ad exitum generis Staufici enarrabit quinis diebus; 2) privatim historiam reipublicae Romanae ab anno 133 ante Chr. n. usque ad annum 14 post Chr. n. ternis diebus. 3) Publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam philosophiae qualis recentioribus temporibus exculta est, quater p. hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hor. IV—V, 2) historiam paedagogices qualis inde ab renatis literis exculta est, ter per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii hor. III—IV, 3) religionis philosophiam ter per hebd. die Jovis III – IV et die Veneris IV—VI tradet.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., privatim 1) historiam literarum germanicarum antiquiorum narrabit quater per hebd. hor. X—XI; 2) grammaticam linguae franco-gallicae historicam tradet bis per hebd. hor. IX—X; 3) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo ludi scenici Germanorum medii aevi tractabuntur.

Dr. Arminius Comes de Lippe, P. P. O., 1) rei rusticae brevem conspectum dabit horis binis; 2) de universa plantarum educatione exponet item horis binis; 3) conversatorium reget horis quaternis.

Dr. Oscar Jacobsen, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim chemiam anorganicam quinquies per hebdomadem docebit; 2) privatim exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebd. moderabitur; 3) publice chemiam analyticam bis p. h. tractabit. 4) Publice colloquia chemica bis p h. moderabitur.

Dr. Hermannus Grenacher, P. P. O., morphologiae animalium partem alteram, systema et anatomiam comparatam animalium vertebratorum complectentem quinquies per hebd. tractabit, privatim. Idem exercitationes zoologicas et zootomicas quotidianas instituet, privatissime.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem primam docebit quinquies per hebd. hora IX; 2) physices mathematicae selecta capita tradet bis p. h.; 3) exercitationes physices practicae instituet; 4) privatissime sed gratis colloquia physica moderabitur.

Dr. Richardus Förster, P. P. O., privatim 1) historiam artium Graecorum et Romanorum enarrabit scholis quaternis per hebd. hora VIII; 2) vestigia et monumenta urbis veteris Romae explicabit bis per hebd. hora IX; 3) Apulei fabulam, quae est de Amore et Psyche interpretabitur bis per hebd. hora IX. 4) Publice in societate philologa Platonis Convivium tractandum proponet bis per hebd. hora VIII et IX.

Dr. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. E., 1) privatim grammaticam linguae hebraicae ter p. h. docebit; 2) privatim grammaticam linguae arabicae non sine interpretandi exercitationibus ter p. h. tradet; 3) privatim anthologiam sanscriticam ed. Gildemeister bis p. hebd. interpretabitur; 4) gratis societatem habebit grammaticam bis per hebd., in qua interpretationi librorum Samuelis praeerit.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., practicum agrario-chemico-physiologicum sexies per hebd. reget.

Dr. Carolus Weinholtz, privatim 1) educationis ideisticae fundamenta ejusdemque consequentias evolvet; 2) cogitationum fontes et formas, cum sensu et voluntate comparando, methodo ideistica enucleabit.

Dr. Julius Robert, privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia literarum franco-gallicarum disseret quater p. h.; 3) grammaticam franco-gallicam docebit quater p. h.

Dr. Felix Lindner, 1) privatim grammaticam linguae Anglicae historice docebit bis p. h.; 2) gratis poema illud franco-gallicum, quod inscriptum est „Le Roman de la Rose" explicabit semel p. h.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, conclave **judiciis** academicis et **secretarii** officiis destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi copia facta est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales veluti gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Hermannus Aubert, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Joannes Bachmann,** Th. D.
Jurisconsultorum **Augustus Thon,** J. U. D.
Medicorum **Carolus Gaehtgens,** M. D.
Philosophorum **Oscar Jacobsen,** Ph. D.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXIX—LXXX

INDE AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

LUCIANEA

F. V. FRITZSCHIUS

INSERUIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Fervere nunc studia Lucianea quum aliis indiciis colligi potest, tum e scriptionibus laude dignis elucet, quae his annis editae unum omnes spectant Lucianum. E quarum numero eas tantum hic adferam, quas ipse nuper perlegi, primum Hugonis Bluemner dissertationem ‚de locis Luciani ad artem spectantibus‘ et ejusdem viri aliam, quae vernacule scripta est, hanc dico ‚Archaeologische Studien zu Lucian‘ (Breslau, 1867), tum opus majoris abollae, quod hoc ipso anno Berolini editum est, Jacobi Bernays ‚Lucian und die Kyniker‘, deinde bonae notae programma abhinc biennio editum Ant. Schwartii ‚Ueber Lukians Hermotimos‘ atque ejusdem viri commentationem hancce ‚Ueber Lukians Demonax‘ (Wien, 1878), denique Jenni libellum haud contemnendum ‚Beiträge zum Verständnis des Lukian‘ (Frauenfelde, 1876). De quibus opusculis omnibus si hic diligenter exponendum esset, finem profecto non invenirem. Quamobrem nunc unam fere Antonii Schwarz dissertationem paucis adtingam, quae mihi quidem minus probatur, de Demonacte et Sostrato. Principio ille p. 5 libellum ‚de vita Sostrati‘ ab Luciano abjudicat, ideo quod opus mere historicum ab hujus satyrici natura abhorruerit. At oblitus est libri vere Lucianei ‚πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν‘, cujus editor facere non poterat, quin mox ipse veracis historici specimen exhiberet: praecepta enim docent, trahunt exempla. Tum homo solitarius et aequalis fuit Luciano, et res gessit memoria dignas et novo vitae genere hominum mentes usque eo adlexit, ut scriptio de hoc viro cupide ab multis exciperetur. Praeterea Schwarzius p. 5 et ipse Bernaysius l. l. p. 104 intelligere se negant, qui fieri potuerit, ut Luciani nostri libellus de Sostrato funditus interiret. Respondeo libris suppositis, qui haud pauci sunt, coactos esse cedere genuinos eoque hos facilius intercidisse. Itaque etiamnunc ita censeo, libellum de vita Sostrati Luciano eripi nullo modo posse. Atqui is, qui libellum superstitem ‚Δημώνακτος βίος‘ conscripsit, c. 1 ita loquitur: περὶ μὲν οὖν Σωστράτου ἐν ἄλλῳ βιβλίῳ γέγραπταί μοι —. Quodsi deperditus libellus ‚de Sostrato‘ vere fuit Luciani, sequitur etiam alterum qui aetatem tulit ‚de Demonacte‘ uni Luciano vindicandum esse. Enimvero is demum sibi constat, qui aut utrumque libellum tribuit Luciano, id quod Vol. II P. I p. 188 sq. ego feci, aut Luciani esse negat utrumque, uti Bernaysio p. 104 videtur. Contra Schwarzius Sostratum eripit Luciano, Demonactem eidem reddit mihique adsentitur etiam de lacuna ante cap. 12. Quam inconstantiam ut defendat, cogitur in librum ‚de Demonacte‘ nimis audacter saevire resque comminisci fide indignas, de quibus malo tacere. Uni enim Schwarzio quum alibi tum p. 34 plurima modo corrupta modo ab christianis videntur resecta esse. Illud praeterire nequeo, quod Schwarzius p. 25 miratur, ab Philostrato Demonactis nostri ne semel quidem factam esse mentionem. Quasi Philostratus, qui

non ut Diogenes Laertius philosophorum, sed sophistarum id est rhetorum vitas scripsit, homo tam stultus fuerit, ut rhetorum choro unicum insereret philosophum. Omnino autem Schwarzius multis verbis p. 24—27 non joco sed serio demonstrare studet, Demonactem philosophum vere ‚nunquam vixisse'. Neget igitur Socratem et Epictetum, qui nihil scripti reliquisse dicuntur, unquam vixisse dicatque de Socrate Platonem et Arrianum de Epicteto impudenter mentitos esse. Ceterum Schwarzius pleraque Demonactis nostri fragmenta plane non habet cognita. Quae quum editioni nostrae Luciani inseri non potuissent, diligenter collecta paullo post edidi seorsim: ‚De fragmentis Demonactis philosophi' (in Jndice Lect. Acad. Rostoch. aestate a. 1866). Ibidem postremo disserui etiam de sententiis hujus Demonactis, quarum aliae severae et tanto philosopho dignae sunt, aliae similes exemplis Lucianeis hoc est jocosae atque amoenae. Quodsi Schwarzius dissertationem meam ‚de fragmentis Demonactis' oculis vidisset: nihil ex omnibus, quae p. 24—27 de Demonacte commentitio ipse commentus est, sivisset lucem adspicere. Intelligo non solum Schwartii hanc, sed partim meam ipsius culpam esse. Nam scripta mea Academica nunc ab multis frustra quaeruntur. Sed profecto dabo operam, ut ea studiose collecta apteque disposita tandem aliquando in lucem exeant. Interim ad Lucianum nostrum revertamur.

ΝΕΚΡΙΚΟΙ ΔΙΑΛΟΓΟΙ.

XVIII.

ΜΕΝ. ὀστᾶ μόνα ὁρῶ καὶ κρανία τῶν σαρκῶν γυμνά, ὅμοια τὰ πολλά. ΕΡΜ. καὶ
409 μὴν ἐκεῖνά ἐστιν, ἃ πάντες οἱ * ποιηταὶ θαυμάζουσι τὰ ὀστᾶ, ὧν σὺ ἔοικας καταφρονεῖν. ΜΕΝ. ὅμως τὴν Ἑλένην μοι δεῖξον· οὐ γὰρ ἂν διαγνοίην ἔγωγε. ΕΡΜ. τουτὶ τὸ κρανίον ἡ Ἑλένη ἐστίν. 2. ΜΕΝ. εἶτα διὰ τοῦτο αἱ χίλιαι νῆες ἐπληρώθησαν ἐξ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος καὶ τοσοῦτοι ἔπεσον Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι καὶ τοσαῦται πόλεις ἀνάστατοι γεγόνασιν; ΕΡΜ. ἀλλ' οὐκ εἶδες, ὦ Μένιππε, ζῶσαν τὴν γυναῖκα· ἔφης γὰρ ἂν καὶ σὺ ἀνεμέσητον εἶναι „τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν·" ἐπεὶ καὶ τὰ ἄνθη ξηρὰ ὄντα εἴ τις βλέποι ἀποβεβληκότα τὴν βαφήν, ἄμορφα δῆλον ὅτι αὐτῷ δόξει· ὅτε μέντοι ἀνθεῖ καὶ ἔχει τὴν χροιάν, κάλλιστά ἐστιν. ΜΕΝ. οὐκοῦν τοῦτο, ὦ Ἑρμῆ, θαυμάζω, εἰ μὴ συνίεσαν οἱ Ἀχαιοὶ περὶ πράγματος οὕτως ὀλιγοχρονίου καὶ ῥᾳδίως ἀπανθοῦντος πονοῦντες. ΕΡΜ. οὐ σχολή μοι, ὦ Μένιππε, συμφιλοσοφεῖν

Ὑάκινθος ΒΟΨ et pr m Φ et v, ὁ Ὑάκινθος 𝔄ΩΑFΔΜ et sec m Φ. τέ ἐστι] κεῖται D. καὶ Νάρκισσος ΑΩF, καὶ ὁ Νάρκισσος (νάρκισος Ο) ΒΟ𝔄ΨΦ et v. Νιρεὺς καὶ] ὁ Νιρεὺς καὶ 𝔄Δ, Νιρεύς τε καὶ Ψ. τὰ ἀρχαῖα κάλλη πάντα ΒΟΦ et v, τὰ ἀρχαῖα πάντα κάλλη ΩΑF, τὰ ἀρχαῖα ἅπαντα (om κάλλη) 𝔄, ταῦτα τὰ κάλλη πάντα Ψ. μόνα ΒΟΨΩΦ, μόνον 𝔄ΑF et v. ὅμοια] καὶ ὅμοια ΑF. ταπολλὰ ΒΦ. ἐκεῖνά] ἐκεῖνά γε 𝔄. τὰ ὀστᾶ] Quaestt. L. p. 88. ΜΕΝ. ὅμως — ΕΡΜ. τουτὶ] μεν ιππ. κερβερ ὅμως — μενιππ. (marg: ἑρμ.) τουτὶ (omnia pr m) F, quae varietas nulla est. τὴν Ἑλένην μοι] μοι τὴν Ἑλένην 𝔄. ἡ Ἑλένη] Ἑλένη 𝔄.

2. διὰ τοῦτο αἱ χ. νῆες 𝔄ΩΑF, αἱ χ. νῆες διὰ τοῦτο (διατοῦτο Β) ΒΟΨΦ et v. illud διὰ τοῦτο ubi cum vi et pondere dicitur, ab initio ponendum est, sicut etiam in Arist. Nub. v. 1211. ἐπληρώθησαν] ἐπέπλευσαν Ψ. τῆς Ἑλλάδος] τῆς om Ω. Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι] Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων 𝔄. γεγόνασιν] ἐγεγόνεισαν Ψ. εἶδες] οἶδας 𝔄. ἔφης γὰρ ἂν] φῄς γὰρ (om ἂν) Ω. τοιῇδ'] τοίῃ 𝔄. Jl. γ', 157. τὰ ἄνθη] τἄνθη F, ἄνθη (om τὰ) ΑΩ. βαφὴν] φαβὴν Ο. μορφὴν 𝔄Ω, βαφὴν μορφὴν (utrumque pr m) F. ἄμορφα] ἄμορφον Ο. δῆλον ὅτι Β, δῆλον (om ὅτι) 𝔄, δηλονότι ΑF et v. ἔχει] ἔχοι Ψ. χροιὰν libri omnes (puto etiam ΨΩ), nullus χρόαν. τοῦτο, ὦ Ἑρμῆ] ὦ Ἑρμῆ τοῦτο Ω. εἰ μὴ ΨΩΦΑF et v, ἐπειδὴ 𝔄, ἐπεὶ ΒΟV. συνίεσαν] συνήεσαν Φ. περὶ πρ.] περὶ τοῦ πρ. F. σχολή μοι ὦ Μένιππε ΑΩF et v, σχολὴ (σχολῇ Φ) (caetera om) ΒΟΨ𝔄Φ. συμ-

σοι. ὥστε σὺ μὲν ἐπιλεξάμενος τόπον, ἔνθα ἂν ἐθέλῃς, κεῖσο καταβαλὼν σεαυτόν· ἐγὼ δὲ τοὺς ἄλλους νεκροὺς ἤδη μετελεύσομαι.

XIX.

* ΑΙΑΚΟΥ, ΠΡΩΤΕΣΙΛΑΟΥ, ΜΕΝΕΛΑΟΥ ΚΑΙ ΠΑΡΙΔΟΣ. 410

1. ΑΙΑΚ. Τί ἄγχεις, ὦ Πρωτεσίλαε, τὴν Ἑλένην προσπεσών; ΠΡΩΤ. ὅτι διὰ ταύτην, ὦ Αἰακέ, ἀπέθανον ἡμιτελῆ μὲν τὸν δόμον καταλιπών, χήραν δὲ τὴν νεόγαμον γυναῖκα. ΑΙΑΚ. αἰτιῶ τοίνυν τὸν Μενέλαον, ὅστις ὑμᾶς ὑπὲρ τοιαύτης γυναικὸς ἐπὶ Τροίαν ἤγαγεν. ΠΡΩΤ. εὖ λέγεις· ἐκεῖνόν μοι αἰτιατέον. ΜΕΝ. οὐκ ἐμέ, ὦ βέλτιστε, ἀλλὰ δικαιότερον τὸν Πάριν, ὃς ἐμοῦ τοῦ ξένου τὴν γυναῖκα παρὰ πάντα τὰ δίκαια ᾤχετο ἁρπάσας. οὗτος γὰρ οὐχ ὑπὸ σοῦ μόνου, ἀλλ' ὑπὸ πάντων Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων ἄξιος ἄγχεσθαι, τοσούτοις θανάτου αἴτιος γεγενημένος. ΠΡΩΤ. ἄμεινον οὕτω· σὲ τοιγαροῦν, ὦ * Δύσπαρι, οὐκ ἀφήσω ποτὲ ἐκ τῶν χειρῶν. 411
ΠΑΡ. ἄδικα ποιῶν, ὦ Πρωτεσίλαε, καὶ ταῦτα ὁμότεχνον ὄντα σοι· ἐρωτικὸς γὰρ καὶ αὐτός εἰμι καὶ τῷ αὐτῷ θεῷ κατέσχημαι. οἶσθα δέ, ὡς ἀκούσιόν τί ἐστι καί τις ἡμᾶς δαίμων ἄγει, ἔνθα ἂν ἐθέλῃ, καὶ ἀδύνατόν ἐστιν ἀντιτάττεσθαι αὐτῷ. 2. ΠΡΩΤ. εὖ λέγεις. εἴθε οὖν μοι τὸν Ἔρωτα ἐνταῦθα λαβεῖν δυνατὸν ἦν. ΑΙΑΚ. ἐγώ σοι καὶ περὶ τοῦ Ἔρωτος ἀποκρινοῦμαι τὰ δίκαια. φήσει γὰρ αὐτὸς μὲν τοῦ ἐρᾶν τῷ Πάριδι ἴσως γεγενῆσθαι αἴτιος, τοῦ θανάτου δέ σοι οὐδένα ἄλλον, ὦ Πρωτεσίλαε, ἢ σὲ αὐτόν· ὃς ἐκλαθόμενος τῆς νεογάμου γυναικός, ἐπεὶ προσεφέρεσθε τῇ Τρῳάδι, οὕτω φιλοκινδύνως καὶ ἀπονενοημένως προεπήδησας τῶν ἄλλων δόξης ἐρασθείς, δι' ἣν ἐν τῇ ἀποβάσει πρῶτος ἀπέθανες. ΠΡΩΤ. οὐκοῦν καὶ ὑπὲρ ἐμαυτοῦ σοι, ὦ Αἰακέ, ἀποκρινοῦμαι δικαιότερα. οὐ γὰρ ἐγὼ τούτων αἴτιος, ἀλλ' ἡ Μοῖρα καὶ τὸ ἐξ ἀρχῆς οὕτως ἐπικεκλῶσθαι. ΑΙΑΚ. ὀρθῶς· τί οὖν τούτους αἰτιᾷ;

XX.

* ΜΕΝΙΠΠΟΥ ΚΑΙ ΑΙΑΚΟΥ. 412

1. ΜΕΝ. Πρὸς Διονύσου τοῦ καταιβάτου, ὦ Αἰακέ, περιήγησαί μοι τὰ ἐν ᾅδου πάντα. ΑΙΑΚ. οὐ ῥᾴδιον, ὦ Μένιππε, ἅπαντα· ὅσα μέντοι κεφαλαιώδη, μάνθανε· οὑτοσὶ μὲν ὅτι Κέρ-

---

φιλοσοφεῖν] φιλοσοφεῖν 𝔄. ὥστε ΒΦΨ edd. vett., ὥστ' Ο (ita Ο), ὥστε μὲν 𝔄, ὥστε σὺ μὲν ΑΩF et recte quidem. ἐθέλῃς] ἐθέλοις 𝔄F, θέλῃς ΨΩ. ἐγὼ δὲ] ἐγὼ δὲ καὶ Ω.

XIX.

ΠΑΡΙΔΟΣ] ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Δ, Αἰακοῦ καὶ Πρωτεσιλάου (προτεσιλάου Ο) ΒΟ.

1. ἡμιτελῆ — δόμον] Il. β', 701. δόμον] δρόμον Ο, θάλαμον 𝔄. libri χήραν τε, sed Abreschius aliique: χήραν δὲ recte. syntaxi poetica μὲν — τε Lucianus abstinet. τὴν νεόγαμον Φ et v, νεόγαμον (om τὴν) ΒΟΔ𝔄Ψ, νεόγαμον τὴν ΩΜ. Μενέλαον] Ἀγαμέμνονα Μ. ὅστις ὑμᾶς] ὃς σὲ μετ' ἄλλων 𝔄. αἰτιατέον. — δικαιότερον] αἰτιατέον μοι ὦ βέλτιστε. ΜΕΝ. ἀλλὰ δικαιότατον 𝔄. σοῦ μόνου] σοῦ μόνον 𝔄. Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων] τε om Ψ, τε καὶ βαρβάρων om 𝔄. ἄμεινον om 𝔄. Δύσπαρι] δίσπαρι α. ποτὲ ἀπὸ plerique libri et v, ἀπὸ (om ποτὲ) 𝔄, sed ποτὲ ἐκ bene emendavit Cobetus (V. L. p. 278) falsus in eo, quod ἀπό et ἐκ putat confusa. immo hic ut alibi ποτέ et ἀπό confusa sunt, id quod 𝔄 codex ostendit. ἡμᾶς] ἡμῶν pr m Ψ. ἔνθα ἂν] ἂν om Ω. ἀδύνατόν ἐστιν] ἀδυνατοῦντας Ψ. ἀντιτάττεσθαι αὐτῷ] ἐπί τι τάττεσθαι Ψ.

2. ἐνταῦθα λαβεῖν] λαβεῖν ἐνταῦθα 𝔄. περὶ τοῦ Ἔρ.] περὶ τούτου τοῦ θεοῦ Ψ. ὑπὲρ τοῦ Ἔρ. Seager, probante Cobeto in V. L. p. 234, frustra. τὰ δίκαια] ταδίκαια Φ. τῷ Πάρ. — αἴτιος] αἴτιος Πάριδι γεγενῆσθαι ἴσως 𝔄. αἴτιος om Ψ. οὐδένα (om ἄλλον) D solus. nam οὐδένα ἄλλον ΒΟ𝔄ΨΩΦ et v. mallem igitur Schwidopius in Obs. L. III p. 21 conjectura abstinuisset. σὲ αὐτόν 𝔄 cum Schwidopio, σεαυτόν caeteri et v. ἐπεὶ] ἐπειδὴ 𝔄. Τρῳάδι] Τρῴαδι edd. vett. οὕτω Ω et v, οὕτως ΒΟΨ𝔄Φ. δι' ἣν] δι' ἧς Ψ. ἐν τῇ ἀποβάσει πρῶτος 𝔄, πρῶτος ἐν τῇ ἀποβάσει caeteri et v. ΠΡΩΤ.] personam om abc. οὐκοῦν καὶ] καὶ om 𝔄. ἀλλ' ἡ] ἀλλὰ ἡ ΒΦ. ὀρθῶς — τούτους] ὀρθῶς εἴρηκας· τί οὖν τοῦτον 𝔄.

XX.

Μενίππου καὶ Αἰακοῦ] καὶ φιλοσόφων τινῶν addit Δ, Αἰακοῦ καὶ Μενίππου ΒΟ ut solent. hic dialogus, quem ut Luciano ‚minime dignum' Jacobsius ad Porsoni Advers. p. 288 malo imitatori tribuebat,

βερός ἐστιν, οἶσθα καὶ τὸν πορθμέα τοῦτον, ὅς σε διεπέρασε, καὶ τὴν λίμνην καὶ τὸν Πυριφλεγέ-
413 θοντα ἤδη ἑώρακας εἰσιών. ΜΕΝ. οἶδα ταῦτα καὶ * σέ, ὅτι πυλωρεῖς, καὶ τὸν βασιλέα εἶδον
καὶ τὰς Ἐρινῦς· τοὺς δ' ἀνθρώπους μοι τοὺς πάλαι δεῖξον καὶ μάλιστα τοὺς ἐνδόξους αὐτῶν.
ΑΙΑΚ. οὗτος μὲν Ἀγαμέμνων, οὗτος δὲ Ἀχιλλεύς, οὗτος δὲ Ἰδομενεὺς πλησίον, οὗτος δὲ Ὀδυσ-
σεύς, εἶτα Αἴας καὶ Διομήδης καὶ οἱ ἄριστοι τῶν Ἑλλήνων. 2. ΜΕΝ. βαβαί, ὦ Ὅμηρε, οἶά
σοι τῶν ῥαψῳδιῶν τὰ κεφάλαια χαμαὶ ἔρριπται ἄγνωστα καὶ ἄμορφα, κόνις πάντα καὶ λῆρος
πολύς, ἀμενηνὰ ὡς ἀληθῶς κάρηνα. ΑΙΑΚ. οὗτος δέ, ὦ Μένιππε, Κῦρός ἐστιν, οὗτος δὲ Κροῖσος
ὁ δ' ὑπὲρ αὐτὸν Σαρδανάπαλλος, ὁ δ' ὑπὲρ τούτους Μίδας, ἐκεῖνος δὲ Ξέρξης. ΜΕΝ. εἶτα σέ,
414 ὦ κάθαρμα, ἡ * Ἑλλὰς ἔφριττε ζευγνύντα μὲν τὸν Ἑλλήσποντον, διὰ δὲ τῶν ὀρῶν πλεῖν ἐπιθυ-
μοῦντα; οἷος δὲ καὶ ὁ Κροῖσός ἐστι. τὸν Σαρδανάπαλλον δέ, ὦ Αἰακέ, πατάξαι μοι κατὰ κόρρης
ἐπίτρεψον. ΑΙΑΚ. μηδαμῶς· διαθρύψεις γὰρ αὐτοῦ τὸ κρανίον γυναικεῖον ὄν. ΜΕΝ. οὐκοῦν

---

genuinus est: ubique enim Luciani refert ingenium. sic quoque, ut recte Lehmannus, nonnulla ab Luciano vel melius expolita vel diligentius composita velis vel accuratius expensa.

1. πρὸς τοῦ Πλούτωνος 𝔄Ω edd. vett., πρὸς Πλούτωνος schol. Graev. et margo (sec. m.) Φ, uterque pro varia lectione (schol. ἐν ἄλλῳ, margo ἐν ἄλλοις τῶν ἀντιγράφων), sed πρὸς τοῦ Διονύσου X et lemma schol. Graev. πρὸς τοῦ (τοῦ om V) διονύσου κωλοάνου, κατωβάτου VΔN et marg. M, πρὸς διονύσου κωλοάνου (κωλιανοῦ Φ) οὐ κωτοβάτου BOΨΦ. vulgatum πρὸς τοῦ Πλούτωνος malis correctoribus deberi nunc satis docent codices et Luciani manum ex octo codicum mendis eruendam esse. G. Hermannus (ap. Voigtlaenderum p. 252) Schmiederi conjectura Κωλονάτου pro κωλοάνου explosa praefatus se literas κωλοάνου sanare non posse in librorum corruptelis trimetrum alicuius comici quaerendum esse putat, quem criticum Dübner p. 43 secutus dubitare ipse cogitur de fide talis versiculi: πρὸς τοῦ Διονύσου κωλοάνου κατωβάτου. sane e codd. nullum signum enotatur praeter hoc unum in cod. Ψ ap. Sommerbrodtium p. 9: πρὸς Διονύσου κωλοάν[8] οὐκωτοβάτου (sic). at in codd. plures formae exstant, κατωβάτου et aliae barbarae κωτοβάτου, denique huic ductibus literarum simile monstrum κωλοάνου vel κωλιανοῦ. ergo κωλοάνου (i. e. mera dittographia formae κωτοβάτου) plane delendum est. cujus rei signum in archetypo fuerant sive minuti unci ‚κωλοάνου' sive puncta supra vocem κωλοάνου (de utroque Bastius ad Greg. C. p. 937) sive puncta inferiora κωλοάνου (de qua re ego supra ad 18, 1) sive lineola transversa κωλοάνου, ut saepe, sive, ut toties, dittographia exstitit altero supra scripto: κωτοβάτου / κωλοάνου. deleto igitur portento κωλοάνου haec erit lectio vetusta: πρὸς διονύσου οὐ κωτοβάτου (vel κατωβάτου). hinc correxi: πρὸς Διονύσου τοῦ καταιβάτου, forma attica, quanquam vulgaris κατωβάτου servari potest. dicitur autem ita ὁ χθόνιος Διόνυσος quum alibi tum in Orphicis hymn. 53, 1 et v. 3. aliud nomen ejusdem dei fuit Ζαγρεὺς Διόνυσος, de quo Lobeckius in Aglaoph. p. 547 et Preller in l. Gr. Myth. p. 538. et de hoc ipso Zagrio Dionyso Luciani tempore isti, quos saepe (ut in Philopseude) risit, Neoplatonici multa solebant fabulari. vide sis Lobeckium in Aglaoph. p. 550 sqq. quod Menippo hic tribui jus jurandum confer cum Menippeo: πρὸς τῆς Στυγός infra XXI, 1. περιήγησαι] διήγησαι D. μοι] με 𝔄. ut verbi περιηγεῖσθαι vim declarent, verba περιήγησαί — ᾅδου adferunt Eustathius ad Dionys. p. 110, qui ea ‚rhetori' tribuit et Doxopatres in Rhet. Gr. II p. 512 ed. Walz. qui Menippo substituit Micyllum: ὁ Λουκιανός, inquit, εἰσάγει τὸν Μίκυλλον —. οὑτοσί] οὗτος Ω. ὅτι Κέρβ. ἐστιν] ὁ Κέρβερος· 𝔄. καὶ τὸν πορθμεα ὅσε διεπέρασε (sic, om τοῦτον) marg sec m O. διεπέρασε] διεκόμισε 𝔄. εἰσιών 𝔄ΨΩ, ἐσιὼν BOΦ et v. οἶδα ταῦτα] οἶδα πάντα 𝔄. Ἐρινῦς B𝔄ΨΩ, Ἐριννῦς v. τοὺς δ'] τοὺς δὲ B𝔄ΦΩ. τ. π. δεῖξον] τοὺς παλαιοὺς δεῖξον 𝔄, δεῖξον τοὺς πάλαι O. ἐνδόξους TDΔXBOΨΦ, ἐπισήμους 𝔄Ω et v. οὗτος δὲ Ἀχιλλεὺς BOΨΦΩ, Ἀχιλλεὺς δ' οὑτοσὶ 𝔄, οὗτος δ' Ἀχιλλεὺς (Ἀχιλεὺς a) v. δὲ Ἰδομ.] δὲ om 𝔄. οὗτος δὲ Ὀδυσσεὺς BO, ἔπειτα Ὀδυσσεὺς ΨΦ et v, εἶτα Ὀδυσσεὺς 𝔄Ω.

2. ὦ Ὅμηρε BMΨΩ, ὦ ὅρηρε O (ita O), ὅμηρε 𝔄Φ et v. ἔριπται Ω. λῆρος πολύς] λῆρος σαφής Ψ. ἀμενηνὰ κάρηνα Od. κ', 521. post κάρηνα continuo: οὗτος δέ, ὦ Αἰακέ, τίς ἐστι; edd. vett. et fortasse ΨΩ, sed haec om BO𝔄Φ. delevi. ΑΙΑΚ. οὗτος δὲ ὦ μένιππε κῦρός (κύρος Φ) ἐστίν BO𝔄Φ, ΑΙΑΚ. Κῦρός ἐστιν ΨΩ edd. vett. post κῦρός ἐστίν add: οὗτος ξέρξης BOΦ, om 𝔄ΨΩ et v. ὁ δ' ὑπὲρ αὐτὸν B𝔄ΦDd et qui ὁ δὲ O, ὁ δὲ παρ' αὐτῷ Ψ, καὶ ὁ παρ' αὐτῷ ΩM, καὶ παρ' αὐτῷ edd. vett. Σαρδανάπαλλος BOΨΦΩ, Σαρδανάπαλος v. ὁ δ' ὑπὲρ τούτους] ὁ δ' ὑπὲρ τοῦτον 𝔄, ὁ δ' ὑπὲρ αὐτὸν (αὐτῶν Δ) TNΔ. ἐκεῖνος δὲ Ξέρξης. ΜΕΝ. εἶτα σὲ Ω et v, καὶ Ξέρξης. ΜΕΝ. σὲ 𝔄, ΜΕΝ. εἶτα σὲ Ψ, ΜΕΝ. σὲ (caetera om) BOΦ. ὦ κάθαρμα] ὦ om Ω. ζευγνῦντα edd. vett. πλεῖν] πλεῦσαι 𝔄. τὸν Σαρδανάπαλλον δὲ BOΦΩ, τὸν δὲ Σαρδανάπαλλον 𝔄, τὸν Σαρδανάπαλον δὲ Ψ et v. κατὰ

ἀλλὰ προσπτύσομαί γε πάντως ἀνδρογύνῳ ὄντι. 3. ΑΙΑΚ. βούλει σοι ἐπιδείξω καὶ τοὺς σοφούς;
ΜΕΝ. νὴ Δία γε. ΑΙΑΚ. πρῶτος οὗτός σοι ὁ Πυθαγόρας ἐστί. ΜΕΝ. χαῖρε, ὦ * Εὔφορβε 415
ἢ Ἄπολλον ἢ ὅ τι ἂν ἐθέλῃς. ΠΥΘ. νὴ καὶ σύ γε, ὦ Μένιππε. ΜΕΝ. οὐκ ἔτι χρυσοῦς ὁ
μηρός ἐστί σοι; ΠΥΘ. οὐ γάρ· ἀλλὰ φέρ' ἴδω εἴ τί σοι ἐδώδιμον ἡ πήρα ἔχει. ΜΕΝ. κυά-
μους, ὦγαθέ· ὥστε οὐ τοῦτό σοι ἐδώδιμον. ΠΥΘ. δὸς μόνον· ἄλλα παρὰ νεκροῖς δόγματα.
ἔμαθον γὰρ, ὡς οὐδὲν ἴσον κύαμοι καὶ κεφαλαὶ τοκήων ἐνθάδε. * 4. ΑΙΑΚ. οὗτος δὲ Σόλων 416
ὁ Ἐξηκεστίδου καὶ Θαλῆς ἐκεῖνος καὶ παρ' αὐτοὺς Πιττακὸς καὶ οἱ ἄλλοι· ἑπτὰ δὲ πάντες εἰσὶν
ὡς ὁρᾷς. ΜΕΝ. ἄλυποι, ὦ Αἰακὲ, οὗτοι μόνοι καὶ φαιδροὶ τῶν ἄλλων. ὁ δὲ σποδοῦ πλέως
ὥσπερ ἐγκρυφίας ἄρτος, ὁ τὰς φλυκταίνας ἐξηνθηκὼς τίς ἐστιν; ΑΙΑΚ. Ἐμπεδοκλῆς, ὦ Μένιππε,
ἡμίεφθος ἀπὸ τῆς Αἴτνης παρών. ΜΕΝ. ὦ χαλκόπου βέλτιστε, τί παθὼν σαυτὸν ἐς τοὺς κρα-
τῆρας ἐνέβαλες; ΕΜΠ. μελαγχολία τις, ὦ Μένιππε. ΜΕΝ. οὐ μὰ Δί', ἀλλὰ κενοδοξία καὶ
τῦφος καὶ πολλὴ κόρυζα· ταῦτά σε ἀπηνθράκωσεν αὐταῖς κρηπῖσιν * οὐκ ἀνάξιον ὄντα· πλὴν 417
οὐδέν σε τὸ σόφισμα ὤνησεν· ἐφωράθης γὰρ τεθνεώς. ὁ Σωκράτης δὲ, ὦ Αἰακὲ, ποῦ ποτε ἄρα
ἐστίν; ΑΙΑΚ. μετὰ Νέστορος καὶ Παλαμήδους ἐκεῖνος ληρεῖ τὰ πολλά. ΜΕΝ. ὅμως ἐβουλόμην
ἰδεῖν αὐτὸν, εἴ που ἐνθάδε ἐστίν. ΑΙΑΚ. ὁρᾷς τὸν φαλακρόν; ΜΕΝ. ἅπαντες φαλακροί εἰσιν·
ὥστε πάντων ἂν εἴη τουτο γνώρισμα. ΑΙΑΚ. τὸν σιμὸν λέγω. ΜΕΝ. καὶ τοῦτο ὅμοιον· σιμοὶ
γὰρ ἅπαντες. 5. ΣΩΚ. ἐμὲ ζητεῖς, ὦ Μένιππε; ΜΕΝ. καὶ μάλα, ὦ Σώκρατες. ΣΩΚ. τί
τὰ ἐν Ἀθήναις; ΜΕΝ. πολλοὶ τῶν νέων * φιλοσοφεῖν λέγουσι. καὶ τά γε σχήματα καὶ τὰ 418
βαδίσματα εἰ θεάσαιτό τις, ἄκροι φιλόσοφοι μάλα πολλοὶ, τὰ δ' ἄλλα . . . . . ΜΕΝ. ἀλλὰ
ἑώρακας, οἶμαι, οἷος ἧκε παρὰ σὲ Ἀρίστιππος καὶ Πλάτων αὐτὸς, ὁ μὲν ἀποπνέων μύρου, ὁ δὲ

κόρης Ψ, κατακόρρης a. μηδαμῶς· διαθρύψεις γὰρ 𝔄 et v, μηδαμῶς· διαθρύπτεις γὰρ ΒΟΨΦ, μηδαμῶς διατρύπῃς Ω. ἀλλὰ om Ω et cum lacuna Ψ. προσπτύξομαί edd. vett, sed προσπτῦσαί 𝔄, προσπτύσομαί ΒΟΨΦΩ ut Hemsterhusius optime divinarat. πάντως ΒΟΦ et v, πάντως αὐτῷ 𝔄ΨΩ. ἀνδρογύνῳ ὄντι 𝔄Ω et v, ἀνδρογύνῳ γε ὄντι ΒΟΨΦ.

3. καὶ τοὺς ΨΩ et v, τοὺς (καὶ om) ΒΟ𝔄Φ. νὴ Δία γε libri omnes. πρῶτος οὗτός ΨΦΩ et v, οὗτός om ΒΟ𝔄. χαῖρε] χαίρετε ΩΜ. ἐθέλῃς 𝔄 et v, ἐθέλεις D, ἐθέλοις ΩΜ, θέλῃς ΒΟΨΦ. νὴ] νὴ δία Ο (ita O, sed solus). σύ γε] γε om 𝔄Ω. ἐστί om Ω. φέρ' ἴδω εἰ Ψ, φέρε ἴδω εἰ caeteri praeter 𝔄, qui: φαίην ἂν (sic). ἐδώδ. ἡ πήρα] ἡ πήρα ἐδώδιμον 𝔄. οὐ τοῦτο] οὔτι ΩΜ, οὔτοι (c. ras. in τοι) Ψ. ἄλλα] ἀλλὰ Β. ἴσον] εἰσι D. κύαμοι] κἀμοὶ (c. ras. in κὰ) Ψ.

4. Σόλων — Θαλῆς] ὁ Σόλων — Θαλλῆς Ψ. παρ' αὐτοῖς 𝔄ΩΜ, παρ' αὐτοὺς ΒΟΨΦ et v. possis: ὑπὲρ αὐτούς. ἄλλοι — πάντες] ἄλλοι πάντες· ἑπτὰ δὲ 𝔄. ἑπτὰ] ἔπειτα Φ. ὦ Αἰακὲ, οὗτοι] ΒΟ𝔄ΨΦΩΜ, οὗτοι, ὦ Αἰακὲ edd. vett. μόνοι καὶ φαιδροὶ libri omnes, nullus: καὶ φαιδροὶ μόνοι. πλέως ΒΟΦ et v, ἀνάπλεως ΨΩΜ, ἔμπλεως 𝔄. ὥσπερ] καθάπερ 𝔄Ω. ἐγκρυφίας] εγκραφεας 𝔄. ὁ τὰς φλυκταίνας ΒΟV, ὁ τὰς φλυκταίνας ὅλως Φ, (τὰς φλυκταίνας etiam TDY), ὁ ταῖς φλυκταναις (om ὅλος) 𝔄, ὁ ταῖς φλυκταίναις ὅλος (ὅλως Ψ) ΨΩ et v. σαυτὸν] σεαυτὸν 𝔄. ἐς τοὺς ΒΟ et v, εἰς τοὺς 𝔄ΨΦΩ. μὰ δί' ΒΟΔ𝔄Φ, μαδία a, μὰ δία ΨΩ et v. καινοδοξία Ψ. τῦφος — κρηπῖσιν Β𝔄ΨΩ, τύφος — κρηπίσιν ΟΦ et v. οὐκ ἀνάξιον 𝔄ΩVTUYd, οὐκ ἄξιον (ἀν supra) (sic) Φ, οὐκ ἄξιον ΒΟΨabc. πλὴν ΒΟ𝔄ΨΦ, πλὴν ἀλλ' Ω et v. τ. σ. ὤ.] ὤνησε τὸ σόφισμα ΩΜ, ὤνησε τὰ σοφίσματα 𝔄. ποῦ ποτε ἄρα ἐστιν ΒΟ𝔄Ω et qui ἐστίν· (abraso ν) Φ, ποῦ ποτ' ἐστὶν ἄρα Ψ, ποῦ ποτε ἄρα ἐστίν edd. vett.

ΑΙΑΚ. μετὰ Νέστορος — ἐνθάδε ἐστίν] haec om ΒΟ soli. τὰ πολλὰ] ταπολλὰ Φ. μετὰ — Παλαμήδους — ληρεῖ] et haec et Necyom. 18 et Verr. H. II, 17 fluxerunt e Platonis Apologia p. 41, A, quacum confer Pseudoxenoph. Apolog. p. 411. ἐβουλόμην] ἠβουλόμην Ψ. αὐτὸν om 𝔄. ἐνθάδε] ἐνθάδ' Ψ. εἴη τοῦτο γνώρισμα Ψ𝔄, τοῦτο εἴη γνώρισμα Ω, εἴη τὸ γνώρισμα (om τοῦτο) ΒΟΦ, εἴη τοῦτο τὸ γνώρισμα edd. vett. τοῦτο ΒΟ𝔄ΨΦΩ, τοῦθ' edd. vett. ἅπαντες] πάντες 𝔄.

5. τί τὰ] πῶς τὰ 𝔄. τά γε] τὰ 𝔄, τά τε d. σχήματα 𝔄, σχήματα αὐτὰ caeteri et v. possis etiam σχήματα αὐτῶν cum Hemsterhusio. certe αὐτά mendosum est. θεάσαιτο] θεάσοιτο ΒΟΦ.

ἄκροι φιλόσοφοι μάλα πολλοί· (φιλόσοφοι. μάλα πολλοί. abc) τὰ δ' ἄλλα ἑώρακας 𝔄ΦΩabc, sed ἄκροι φιλόσοφοι μάλα πολλοί. σω. μάλα πολλοὺς ἑώρακα. με. ἀλλ' ἑώρακας V, ἄκροι φιλόσοφοι. σω. μάλα (πάλα D) πολλοὺς ἑώρακα. με. ἀλλὰ ἑώρακας (ἕωρας T) ΒΟΨDTd. Hemsterhusius, quem Lehmannus et in adnot. p. 46 Duebner secuti sunt non plane assecuti, primum vidit verba absurda σω. μάλα πολλοὺς ἑώρακα delenda esse, sive

τοὺς ἐν Σικελίᾳ τυράννους θεραπεύειν ἐκμαθών. ΣΩΚ. περὶ ἐμοῦ δὲ τί φρονοῦσιν; ΜΕΝ.
εὐδαίμων, ὦ Σώκρατες, ἄνθρωπος εἶ τά γε τοιαῦτα· πάντες γοῦν σε θαυμάσιον οἴονται ἄνδρα
419 γεγενῆσθαι καὶ πάντα ἐγνωκέναι, καὶ ταῦτα * (δεῖ γὰρ, οἶμαι, τἀληθῆ λέγειν) οὐδὲν εἰδότα.
ΣΩΚ. καὶ αὐτὸς ἔφασκον ταῦτα πρὸς αὐτούς· οἱ δὲ εἰρωνείαν ᾤοντο τὸ πρᾶγμα εἶναι. 6. ΜΕΝ.
τίνες δέ εἰσιν οὗτοι οἱ περί σε; ΣΩΚ. Χαρμίδης, ὦ Μένιππε, καὶ Φαῖδρος, καὶ ὁ τοῦ Κλεινίου.
ΜΕΝ. εὖ γε, ὦ Σώκρατες, ὅτι κἀνταῦθα μέτει τὴν σαυτοῦ τέχνην καὶ οὐκ ὀλιγωρεῖς τῶν καλῶν.
ΣΩΚ. τί γὰρ ἂν ἄλλο ἥδιον πράττοιμι; ἀλλὰ πλησίον ἡμῶν κατάκεισο, εἰ δοκεῖ. ΜΕΝ. μὰ
420 Δί', ἐπεὶ παρὰ τὸν Κροῖσον καὶ τὸν Σαρδανάπαλλον ἄπειμι * πλησίον οἰκήσων αὐτῶν· ἔοικα γοῦν
οὐκ ὀλίγα γελάσεσθαι οἰμωζόντων ἀκούων. ΑΙΑΚ. κἀγὼ ἤδη ἄπειμι, μή καί τις ἡμᾶς νεκρῶν
λάθῃ διαφυγών. τὰ λοιπὰ δ' ἐσαῦθις ὄψει, ὦ Μένιππε. ΜΕΝ. ἄπιθι· καὶ ταυτὶ γὰρ ἱκανά,
ὦ Αἰακέ.

---

cis lacuna male expleta est, sive per errorem eadem vocabula bis scripta sunt. tum vero ille perspexit, post τὰ δ' ἄλλα aliquid deesse, sententiam puta prioribus oppositam. male tamen vir summus lacunam sic constitui jussit: μάλα πολλοί· τὰ δ' ἄλλα . . . . . ἑώρακας οἶμαι. immo sic ut supra posui, debebat: μάλα πολλοί· τὰ δ' ἄλλα . . . . . ΜΕΝ. ἀλλὰ ἑώρακας οἶμαι —. hanc enim rationem codices flagitant, quorum alii ultima ante lacunam τὰ δ' ἄλλα alii prima post lacunam με. ἀλλὰ servarunt. nimirum oculus librarii aberrarat ab τὰ δ' ἄλλα ad ἀλλά, qui uberrimus fons esse solet lacunarum. in iis autem quae desunt certo fuerat εἰσίν, quod verbum L. diligenter addit, ut modo § 4 dixit: ἅπαντες φαλακροί εἰσιν neque usquam omittit nisi ob causam rhetoricam, ut infra XXI, 2 med. caetera hoc similive modo suppleas: τὰ δ' ἄλλα [πίθηκοί εἰσιν οὐκ ὀλίγοι αὐτῶν καὶ ἀπ' ἄκρου χείλους φιλοσοφοῦσιν. ΣΩ. παράδοξα λέγεις.] ΜΕΝ. ἀλλὰ ἑώρακας —. confer Piscat. 32 init. et Pro Merc. Cond. 6 init. ἧκε] ἥκει 𝔄. παρὰ σὲ 𝔄 cum Hemsterhusio, παρὰ σοὶ caeteri et v. καὶ Πλάτων αὐτὸς] ἢ Πλάτων οὗτος 𝔄, καὶ Πλάτων ἐπὶ τούτῳ Ψ. μύρου] μύρων M solus, fortassis e Vitar. Auct. 12. φρονοῦσιν;] λέγουσιν; 𝔄. γοῦν Ο𝔄ΩΜ, οὖν (B)ΨΦ et v. ἐγνωκέναι, καὶ ταῦτα 𝔄Ω cum Solano, ἐγνωκέναι ταῦτα (καὶ m sec) Φ, ἐγνωκέναι ταῦτα ΒΟΨ et v. δεῖ γὰρ οἶμαι] οἶμαι γὰρ Ω. τἀληθῆ ΒΟΔΨΦΩ, τὸ ἀληθὲς 𝔄, τἀληθὲς edd. vett. ταῦτα] τοῦτο 𝔄, non male. ᾤοντο τὸ πρᾶγμα] τὸ πρᾶγμα ᾤοντο Ω. εὐδαίμων — εἶναι.] haec scripta sunt verissime. nunquam enim Socrates majorem hominum admirationem excitavit quam aetate Luciani, id quod mihi in oculos incurrit collectis qui de Socrate agunt locis M. Antonini, Maximi Tyrii, Aristidis, Apuleji, Gellii, Frontonis. nam etsi tum imperatore Stoico Stoicorum secta vel maxime florebat, summum tamen Socratis nomen etiam Zenonis Cleanthisque luminibus obstruxit, quum praesertim ille injustum supplicium tam fortiter pertulisset.

6. εἰσιν οὗτοι BΨΦ, οὗτοί εἰσιν 𝔄Ω et v, de O parum constat. περί σε Φ, περὶ σὲ v. ὦ Μένιππε] ὦ om 𝔄. μέτει τὴν σαυτοῦ (σεαυτοῦ M) τέχνην ΨΩΜ et v, μέτει τὴν τέχνην (om σαυτοῦ) 𝔄, μεγίστην ἀσκεῖς σαυτοῦ τέχνην ΒΟΦDY. nempe ex genuino ΜΕΤΕΙΤΗΝ primo natum est ΜΕΓΙΣΤΗΝ, deinde ne verbum male deficeret, ex margine intrusa est glossa ἀσκεῖς. ita recte Hemsterhusius probante Cobeto V. L. p. 293. οὐκ ὀλ. τῶν καλῶν] adluditur ad Plat. Sympos. p. 204, D. confer Abreschium Lect. Arist. p. 112. ἄλλο ἥδιον ΦΩ et v, ἄλλο Ψ (sic) [ἥδϊον supra scr.], ἥδιον (om ἄλλο) 𝔄, ἄλλο (om ἥδιον) BO. et ἥδιον Bekker non male delevit. μὰ Δί'] μὰ Δία 𝔄. ἐπεὶ παρὰ τὸν Κροῖσον καὶ τὸν (τὸν om 𝔄) Σαρδανάπαλλον (σαρδαναπάλλων Φ) ἄπειμι ΒΟ𝔄ΨΦ, ἐπὶ τὸν Κροῖσον γὰρ ἄπειμι καὶ Σαρδανάπαλλον ΩΜ, ἐπὶ τὸν Κροῖσον γὰρ καὶ Σαρδανάπαλον ἄπειμι edd. vett. οἰκήσων αὐτῶν] αὐτῶν οἰκήσων 𝔄. ἔοικα γοῦν] ΣΩΚΡ. ἔοικας οὖν 𝔄. γελάσασθαι Ω. οἰμωζόντων ἀκούων ΒΟΦΩ et v, οἰμωζόντων αὐτῶν ἀκούων 𝔄, οἰμωζόντων ἐκείνων (om ἀκούων) Ψ solus quod Sommerbrodtius probabat conferens D. Mort. 22, 3: μόνος ᾄδων οἰμωζόντων ἐκείνων. νεκρῶν] νεκρῶν ων (sic) Ψ, νεκρὸς 𝔄. λάθῃ] λάθοι Ψ. διαφυγὼν] [δια supra scr.] φυγὼν (δια sec m) Ψ. τὰ πολλὰ libri omnes, certe ΒΟ𝔄Φ, puto etiam ΨΩ, quod mendosum est. τὰ λοιπὰ ego correxi in Quaest. L. p. 128 comparatis geminis in Gallo 33, Jov. Trag. 4, Pseudosoph. 12 idque multis probavi, sed τἄλλα scripsit Courierius ad Asinum p. 234 et docuit etiam ἄλλα et πολλά in codd. saepe confusa esse. δ' ἐσαῦθις] δὲ ἐς αὖθις B, δὲ εἰσαῦθις Φ, δ' εἰσαῦθις 𝔄Ω. ΜΕΝ. ἄπιθι 𝔄ΨΩ et v, ἄπιθι om BO, ΜΕΝ. ἄπιθι om Φ. ταυτὶ] ταῦτα 𝔄.

XXI.

ΜΕΝΙΠΠΟΥ ΚΑΙ ΚΕΡΒΕΡΟΥ.

1. ΜΕΝ. Ὦ Κέρβερε, συγγενὴς γάρ εἰμί σοι, κύων καὶ αὐτὸς ὤν, εἰπέ μοι πρὸς τῆς Στυγὸς οἷος ἦν ὁ Σωκράτης, ὁπότε κατῄει παρ' ὑμᾶς· εἰκὸς δέ σε θεὸν ὄντα μὴ ὑλακτεῖν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνθρωπίνως φθέγγεσθαι, ὁπότ' ἐθέλοις. ΚΕΡΒ. Πόρρωθεν μέν, ὦ Μένιππε, * ἐδόκει 421
ἀτρέπτῳ τῷ προσώπῳ κατιέναι καὶ προσίεσθαι τὸν θάνατον ἑκὼν καὶ τοῦτ' ἐμφῆναι τοῖς ἔξω τοῦ στομίου ἑστῶσιν ἐθέλων· ἐπεὶ δὲ κατέκυψεν εἴσω τοῦ χάσματος καὶ εἶδε τὸν ζόφον, κἀγὼ ἔτι διαμέλλοντα αὐτὸν δακὼν τῷ κωνείῳ κατέσπασα τοῦ ποδός, ὥσπερ τὰ βρέφη ἐκώκυε καὶ τὰ ἑαυτοῦ παιδία ὠδύρετο καὶ παντοῖος ἐγίγνετο. 2. ΜΕΝ. οὐκοῦν σοφιστὴς ὁ ἄνθρωπος ἦν καὶ οὐκ ἀληθῶς κατεφρόνει τοῦ πράγματος; ΚΕΡΒ. οὐκ· ἀλλ' ἐπείπερ ἀναγκαῖον αὐτὸ ἑώρα, κατε-

---

XXI.

Μένιππος Κέρβερος Δ.

1. ὁ Σωκράτης om Ψ. ὁπότε]. ὅτε 𝔄. παρ' ὑμᾶς ΑΨΩΜ, [γρ. παρ] πρὸς ὑμᾶς F (p m), πρὸς ἡμᾶς Φ, πρὸς ὑμᾶς BO𝔄 et v. ἀνθρωπίνως ΑFΩΜ, ἀνθρωπικῶς BOΨ𝔄Φ et v, fortassis recte. ὁπότ' ἐθέλοις BOΨΑΦ et v, ὁπότε θέλοις 𝔄, ὁπότε ἐθέλοις F, ὁπότε θέλεις Ω. ὦ Μένιππε, ἐδόκει BODX𝔄Ψ et pr m Φ et schol. Graev., ὦ Μένιππε, παντάπασιν ἐδόκει ΑFΩ et sec m Φ et v. ἀτρέπτῳ] ἀτρέστῳ T solus. τῷ προσώπῳ BO𝔄ΩΦDAFXa et schol. Graev., τῷ φρονήματι Ψ, προσώπῳ (om τῷ) edd. vett. praeter a. προσώπῳ προσιέναι καὶ οὐ πάνυ δεδιέναι τὸν θάνατον ΑFΩ schol. Graev. (in γρ.) et edd. vett., προσώπῳ προσιέναι οὐ πάνυ δεδιέναι τὸν θάνατον (om καὶ) 𝔄, sed προσώπῳ προσίεσθαι τὸν θάνατον (omissis verbis καὶ οὐ πάνυ δεδιέναι) BODU(V)ΨΦ et eodem modo sed καὶ addito: προσώπῳ καὶ προσίεσθαι τὸν θάνατον Δ. vetusta scriptura προσίεσθαι τὸν θ. Hemsterhusio aliisque bene probata est, quod nondum sufficit: neque enim ne sic quidem haec intelligi possunt. itaque vulgata προσιέναι καὶ ita usus sum, ut ipse κατιέναι καὶ conicerem: προσώπῳ κατιέναι καὶ προσίεσθαι τὸν θάνατον —. nam προσιέναι ferri nequit praesertim ante verba καὶ προσίεσθαι, sed opus est verbo κατιέναι, quod et supra § 1: ὁπότε κατῄει legitur et infra § 2: κατεληλυθέναι (prope ab vero abest Schmiederi conjectura: προσώπῳ προσιέναι καὶ προσίεσθαι τὸν θάνατον). τὸν θάνατον δοκῶν libri omnes, absurda sed vetere eorum conjectura, qui pro vero προσίεσθαι glossam οὐ πάνυ δεδιέναι legerant. J. F. Gronovius et T. Hemsterhusius v. δοκῶν judicarunt delendum esse. at non videtur fieri posse, ut istuc δοκῶν omnibus codd. temere illatum sit. immo medii aevi conjectores pariter atque hodierni literarum et ductuum similitudinem sequi consuerant. ergo pro ΔΟΚΩΝ aliud quid indagandum est, quod primo ad literas simile sit, tum vero ita comparatum, ut eo restituto librorum scripturam ἐθέλων servare liceat. id vero duumviris illis non contigit, qui verbo δοκῶν temere expulso etiam ἐθέλων vel in ἐθέλειν vel in ἤθελεν pari temeritate mutare coacti sunt. denique Bekker probante Dindorfio conjecit: ἀτρέπτῳ τῷ προσώπῳ προσίεσθαι τὸν θάνατον ἑκὼν —, quae hoc modo conjungi non posse certum est, nisi (ut supra ostendi) post προσώπῳ verba κατιέναι καὶ inserta fuerint. quo facto egregia et palmaris est Bekkeri emendatio ΕΚΩΝ pro ΔΟΚΩΝ, praesertim quum sic ἐθέλων optime habeat nec temere mutandum sit. ego vero Bekkeri illud ἑκών eo magis probo, quo saepius alibi exstat: ἑκών τι προσίεται. vide sis vel D. Mort. 8 med: οὐκ ἀηδῶς τὴν θεραπείαν προσίετο. cf. etiam infra § 2: οὐκ ἄκων —. τοῦτ' 𝔄ΨΟΩ et v, τοῦτο BΦAF. ἑστῶσιν ἐθέλων] ἑστῶσι θέλων 𝔄. ἐπεὶ δὲ] ἐπειδὴ δὲ 𝔄, ἐπειδὴ F. κἀγὼ] καὶ ἐγὼ 𝔄. αὐτὸν om 𝔄. τῷ κωνείῳ] τῷ κωνίῳ BO, του[ω] κωνειου[ω] Ω. δακὼν τῷ κωνείῳ] haec verba cohaerent. Cerberus (sive ut in Demon. 45 Charon) mordere dicitur moribundos i. e. mori cogere. ergo Socratem cicuta mortuum non dente (ut alios) momordit sed cicuta. talis verborum lusus frequens est Aristophani, quod Dübnerum p. 16 non fugit. τοῦ ποδὸς] τοὺς[τοῦ] πόδας[ὸς] Φ (omnia pr m). ὥσπερ] ὁ δ' ὥσπερ Δ solus, pulchro anacolutho, quod olim et Lehmannus et ego probavimus, Bekker etiam recepit. frustra: nam ‚aves non addicunt'. ἐκώκυε] ἐκώκυεν Φ. ἐγίγνετο Dindorfius, ἐγίνετο 𝔄ΨΩAF, ἐγένετο BOΦ et v.

2. ἀναγκαῖον αὐτὸ] αὐτὸ ἀναγκαῖον 𝔄. ὡς δῆθεν] δῆθεν ὡς 𝔄. οὐκ ἄκων] οὐ κακὸν Φ. θαυμάσονται οἱ θεαταὶ BOa, θαυμασομένων τῶν θεατῶν 𝔄, θαυμάσωνται οἱ θεαταὶ ΨΦΩAF et v. πάντων γε τῶν τοιούτων εἰπεῖν (εἰδεῖν a) ἂν edd. vett., πάντων γε τῶν τοιούτων εἰπεῖν (om ἄν) BO (ita O) Ψ, πάντων τῶν τοιούτων εἰπεῖν ἂν (om γε) Ω, πάντων καὶ τούτων εἰπεῖν[ἂν] (sic) Φ, πάντων γε τούτων εἰπεῖν ἂν

θρασύνετο ὡς δῆθεν οὐκ ἄκων πεισόμενος, ὃ πάντως ἔδει παθεῖν, ὡς θαυμάσονται οἱ θεαταί. καὶ ὅλως περὶ πάντων γε τῶν τοιούτων εἰπεῖν ἂν ἔχοιμι, ἕως τοῦ στομίου τολμηροὶ καὶ ἀνδρεῖοι, τὰ δ' ἔνδοθεν ἔλεγχος ἀκριβής. ΜΕΝ. ἐγὼ δὲ πῶς σοι κατεληλυθέναι ἔδοξα; ΚΕΡΒ. μόνος,
422 ὦ * Μένιππε, ἀξίως τοῦ γένους, καὶ Διογένης πρὸ σοῦ, ὅτι μὴ ἀναγκαζόμενοι ἐσῄειτε μηδ' ὠθούμενοι, ἀλλ' ἐθελούσιοι, γελῶντες, οἰμώζειν παραγγείλαντες ἅπασιν.

AF, πάντων εἰπεῖν τοῦτ' ἂν 𝔄. nihil temere novandum puto: suppleo autem tacite e superioribus σοφιστῶν. τάδ' edd. vett., τὰ δὲ ΒΟΨ𝔄ΩΦ, τὸ δὲ AF. μόνος] μόνον 𝔄. ἐσῄειτε ΒΟΨΦΩ et v, εἰσίητε 𝔄, εἰσῄειτε AF. μηδ' ὠθούμενοι om 𝔄 solus, μὴ δὲ ὠθούμενοι habent AF. ἀλλ' ἐθελ.] ἀλλὰ ἐθελούσιοι ΒΦ, ἀλλ' ἑκούσιοι 𝔄. ἅπασιν om Ψ. Socratis morientis fortitudini, quam noster cum aliis quibusdam putat fictam fuisse, longe anteponit robur Diogenis et Menippi, quorum mors fuerit voluntaria. nam etsi plerique philosophi, ut Pythagoras (ap. Cic. De Senectute c. 20), ut ipse Socrates injussu dei emori suos vetuerunt: ii tamen quos Stoici mox imitati sunt, Cynici jam inde ab ipso Antisthene (de quo vide Athenaeum IV p. 157, b) hoc genus mortis non erubuerunt defendere. hinc multi cynici mortem sibi consciverunt, veluti Metrocles (Diog. L. VI, 6, 95) et Proteus, qui Olympiae se combussit laudatus ideo ab Theagene Cynico ap. Luc. De M. Peregr. 4, sed ab Luciano parum constanter reprehensus (ibid. c. 21 sqq.). mavult enim L. inconstans videri quam Socrati non insultare nec solum honeste viventi, sed etiam intrepide morienti. denique fieri potest, ut ipse Menippus περὶ ἐξαγωγῆς saturam conscripserit. certe in Varronis Menippea περὶ ἐξαγωγῆς (p. 194 sqq. ed. R.) mors voluntaria manifesto defensa erat.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim Pauli ad Corinthios epistolam alteram explicabit ter p. h. diebus Lunae, Martis et Mercurii h. XI; 2) privatim Evangelium Joannis interpretabitur quinquies p. h. hora XII; 3) publice historiam passionis et resurrectionis Domini secundum evangelium Joannis comparatis caeteris evangeliis exponet diebus Jovis et Veneris h. XI.

Dr. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Rector, 1) privatim Introductionem historicam et criticam in canonicos VTi libros tradet quinis p. h. scholis hora IV—V; 2) privatim Psalmos interpretabitur quinquies p. h. hora III—IV; 3) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur, die Lunae h. h. VI—VIII vesp.

Dr. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies p. h. hora IX, 2) privatim historiam dogmatum quinquies h. X tradet; 3) publice in Seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim vitam Jesu Christi secundum quatuor evangelia quinquies p. h. hora VIII—IX enarrabit; 2) privatim theologiam dogmaticam docebit quinquies p. h. hora IX—X; 3) publice introductionem in theologiam dogmaticam bis p. h. die Jovis h. V—VII tradet.

In ordine juridico.

Dr. Hugo Boehlau, P. P. O., privatim 1) jus Germanicum privatum docebit quinis p. h. scholis h. V; 2) juris Mecklenburgici privati praecepta tradet ter p. h. h. III; 3) jus feudale tam commune quam Mecklenburgicum exponet ter p. h. h. III.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O, 1) theoriam processus civilis Imperii Germanici docebit senis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii hora XI—I; 2) procedendi in concursu creditorum modum secundum novas imperii Germanici leges tractabit die Jovis hora XI—I; 3) conversatorium offert de processu civili die Veneris hora XI—I.

Dr. Franciscus Bernhöft, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. IX, 2) pandectarum partem II (obligationes) quinis p. h. scholis h. X docebit; 3) practicum quod vocant civile binis p. h. scholis instituet.

Dr. Guilielmus Kahl, P. P. E., privatim 1) jus ecclesiasticum quaternis p. h. scholis docebit hora IV; 2) juris et ecclesiastici et civilis de matrimonio praecepta exponet bis p. h. hora IV; 3) processum criminalem Germanicum tradet quater p. h. hora VIII.

In ordine medico.

Dr. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pathologiam et therapiam specialem ternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico quinis diebus h. X moderabitur.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis hora III—IV, 2) publice generationis et evolutionis historiam diebus Mercurii et Saturni hora III—IV, 3) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) quotidie hora IX—X docebit; 4) privatissime exercitationes physiologicas habebit bis per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam ternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dimid., 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur hora VIII; 2) mulierum morbos ter p. h. h. IX, 3) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.

Dr. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. hora XII—I docebit; 2) privatissime exercitationes anatomicas quotidie horis matutinis moderabitur.

Dr. Carolus Gaehtgens, P. P. O., 1) pharmacologiam et artem formulas medicamentorum scribendi sexies p. h. docebit h. IV; 2) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio quater horis definiendis moderabitur.

Dr. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., 1) chirurgiam specialem ternis diebus docebit privatim; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Jovis, Saturni h. XI et dim.—I.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam generalem quotidie hora VIII docebit; 2) cursum anatomes et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dim.

Dr. Julius Uffelmann, P. P. E., 1) privatam et publicam hygienam quater per hebdomadem privatim, 2) infantum morbos quater per hebdomadem privatim, 3) „diaeteticam" bis per hebdomadem publice tractabit.

Dr. Guilielmus Brummerstaedt cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ternis p. h. horis docebit.

Dr. Paulus Schiefferdecker, 1) osteologiam et syndesmologiam docebit ter per hebdom. privatim; 2) histologiam specialem una cum exercitationibus practicis tractabit quater per hebdomadem privat.; 3) anthropologiam auditoribus omnium ordinum profuturam semel per hebdom. privat.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, 1) privatim ternis diebus h. XI Aeschyli Prometheum interpretabitur; 2) publice exercitationes Seminarii philologici more consueto moderari perget, in quo selecti loci Juvenalis et Lucianei quidam dialogi legentur.

Dr. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit 1) familias plantarum naturales demonstrationibus vegetabilium medicinalium illustrandas, ternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI.

Dr. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter p. hebd. Theocriti carmina et epigrammata interpretabitur; 2) bis p. hebd. Vergilii carmina minora explicabit; 3) privatissime topographiam veteris Italiae enarrabit.

Dr. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam saeculi XVII et XVIII narrabit quinis diebus h. XII; 2) privatim historiam reipublicae Romanae ab anno 133 ante Christum n. usque ad annum 30 ante Chr. n. bis p. h.; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet bis p. h.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam philosophiae antiquae quater p. hebd. hor. IV diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris enarrabit; 2) logicen et metaphysicen quater p. hebd. hor. V diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris, 3) aestheticen explicabit bis p. h. IV et V die Mercurii.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim linguam veterem Germaniae inferioris docebit simulque poema „Heliand" interpretabitur ter per hebd. h. X; 2) privatim historiam litterarum Provincialium tradet bis per hebd. h. IX; 3) privatissime exercitationes instituet de lingua theodisca medii aevi bis per hebd. horis adhuc definiendis; 4) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo „Helmbrecht" poema Wernheri tractabitur.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebd. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebd. moderabitur; 3) publice de praeparatis chemicis officinarum bis per hebdomadem disseret.

Dr. Hermannus Grenacher, P. P. O., 1) morphologiae animalium partem priorem zoologiam generalem, anatomiam comparatam conspectumque systematis animalium vertebris carentium amplectentem sexies p. h. hora IV tractabit privatim ; 2) exercitationes zoologicas et zootomicas quotidianas instituet privatissime.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinquies p. hebd.; 2) publice seminarii physici exercitationes moderari perget.

Dr. Richardus Foerster, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) de antiquitatibus publicis quae dicuntur Graecorum disseret diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora IX; 2) de dialectis graecis aget diebus Mercurii et Saturni hora IV; 3) antiquitates Pompeianas illustrabit diebus Mercurii et Saturni hora V; 4) publice in societate philologa Terenti Phormionem interpretandam proponet et scriptiones sodalium recensebit die Jovis hora X; 5) exercitationes archaeologicas moderabitur die Veneris hora X.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., 1) privatim geometriam analyticam diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora XII docebit; 2) privatim theoriam integralium definitivorum iisdem diebus hora XI tractabit; 3) exercitationes seminarii mathematici moderabitur die Mercurii hora XI et XII.

Dr. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. O., 1) privatim grammaticam linguae sanscriticae praecipua linguarum et graecae et latinae ratione habita ter p. h. tradet; 2) privatim vaticinia prophetarum Haggai, Zachariae et Maleachi ter p. h. explicabit; 3) privatim grammaticam linguae arabicae non sine interpretandi exercitationibus bis p. h. docebit; 4) privatim grammaticam linguae chaldaicae simul cum interpretatione chaldaicarum V. T. partium bis p. h. tradet; 5) gratis lectionem Deuteronomii quae dicitur cursoria bis p. h. moderabitur.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., privatim 1) physiologiam plantarum bis p. h. docebit; 2) practicum agrario-chemicum quater per hebdomadem reget.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. E. 1) privatim mineralogiae elementa tradet quater p. h.; 2) privatim geologiae et geographiae physicae capita selecta docebit bis p. h. hor. IV; 3) conversatorium mineralogicum-geologicum offert semel p. h. horis VI et VII privatim habendum; 4) exercitationes mineralogicas et geologicas instituet publice die Saturni horis antemeridianis.

Dr. Carolus Weinholtz privatim 1) scientiae ideisticae fundamenta evolvet; 2) dialecticam ideisticam enucleabit.

Dr. Julius Robert 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam literarum franco-gallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de linguae gallicae inde a saeculo XII variationibus disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner grammaticam linguae Anglicae historicam ter per hebdomadem docebit.

Dr. Hermannus Kretzschmar socios seminarii homiletico-catechetici modos liturgicos docebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave judiciis academicis et secretarii** officiis destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas veluti Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Joannes Bachmann, Th. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Fridericus Philippi,** Th. Dr.
Jurisconsultorum **Franciscus Bernhöft,** J. U. Dr.
Medicorum **Theodorus Thierfelder,** M. Dr.
Philosophorum **Richardus Foerster,** Ph. Dr.

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXX—LXXXI

AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE

AESCHYLO G. HERMANNI

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEFATUS EST.

ACCEDUNT EMENDATIONES.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Librum postumum edere plerumque nihil aliud est, nisi tempus, quod ipsius editoris libris proferendis vix sufficit, operi tribuere alieno. Sed literarum amor, praesertim si pietatis officium accedit, molestias omnes potest vincere. Tale verae pietatis monimentum post mortem G. Hermanni condidit Aeschyli Hermanniani editor M. Hauptius, vir eximia laude dignus, ne dicam admiratione. Nam ego sic censeo, qui criticus in Aeschylo artem exercere velit, Hermanni editione carere posse neminem. Inprimis vero Hermannus, felix ille tragicorum atque Pindari interpres praeclaro exemplo nos monet, ne tanquam meri syllabarum aucupes nugas, quae summis poetis indignae sint, temere effutiamus. Sed ad Hauptium revertor. Qui, ut in Praefat. p. IV ipse ait, Hermanni observationes accurate composuit, nihil admiscuit de suis conjecturis remque ita instituit, non ut Hauptii liber existeret, sed totus esset Hermanni. Neque tamen fieri potuit, ut talem Aeschylum ederet, qualem ipse Hermannus editurus fuisset. Nam Supplices tantum seni paullo ante mortem ipsi licuit retractare, non item caeteras Aeschyli fabulas: quod facere si licuisset, omnia hujus poetae carmina pariter atque Supplicum novis et egregiis inventis ipse ornaturus fuisset. Hauptii autem labor eo mire adauctus est, quod Hermannus paullo ante obitum Aeschyli sui editionem amico mandavit. Moriens enim singillatim praecipere non potuit, qua ratione amicus officium exsequeretur, sed confidere se dixit Hauptium pro amore suo diligenter omnia curaturum esse. Vixdum Hermanni Aeschylus, opus ardenter a plurimis expetitum lucem viderat, quum XXV minimum libri libellique Aeschylei brevi intervallo ab philologis evulgarentur: tantopere Hermanni editione studia criticorum excitata erant atque incensa. Tulit ergo Hauptius tanti laboris fructum, quo tamen ipse vix mediocriter gavisus est. Quod quidem in Opusc. III p. 508 ipse testatur: ,non soleo, inquit, me eis inmiscere, qui ad emendandas Aeschyli tragoedias convolant.' Gaudebat ille quidem magnorum criticorum consensione ut A. Meineki, ut F. Ritschlii contemnebatque juvenem quendam, quem merito dixeris leonis mortui asellum calcitronem, sed offendebatur editorum quorundam iniquitate. Quasi enim Haupti praefationi aut nihil crederent aut eam ne legissent quidem, ita nonnulli de variis Aeschyli locis cum Hermanno mortuo subrustice expostulant et exspectatione haud raro se ajunt frustratos esse: quae culpa ipsorum est, non Hermanni, quem senem spe sua citius indignantur emortuum esse. Atqui verissime dicta esse omnia, quaecunque Hauptius scripsit in praefatione, si quis alius, ego testari possum. Hermannus enim quum juvenis codd. Guelferb., Lips., Viteb. et Augustanum ipse excussisset fructu exiguo: Medicei potius libri antiquissimi nova collatione opus esse intellexit. Mox autem Florentiae majorem hujus codicis partem, i. e. Persas et Oresteam bene contulit C. F. Weberus et collationem suam magistro dedit muneri annis ante Hermanni mortem triginta. Qui non multo post primum de his quatuor tragoediis absolvit commentarios suos, reliquarum autem certas collationes diutissime frustra exspectavit. Quod quum longius fieret, sic quoque ad Prometheum et ad Septem adv. Th. scripsit adnotationes, scripsit


autem, ut ego ab ipso Hermanno accepi ineunte anno h. s. XXXV to sive annis ante mortem quatuordecim easque paullo post ex parte retractavit, ut recte Hauptius in Praefat. p. XV. Medicei tamen libri collatione nova etiamtum carebat. Denique autumno anni MDCCCXLVII h. e. uno fere anno ante mortem praeclaram accepit Medicei collationem Supplicum, Promethei, Persarum et Septem adv. Th., quam Tycho Mommsenus confecerat criticus de Pindaro egregie meritus. Enimvero Hermannus antea Bionis et Moschi editionem in se receperat eoque ultimos vitae menses soli Aeschylo impendere prohibitus est. Quare unam modo fabulam, Supplices Mommseni collatione adjutus retractavit, in Persis ipse Weberi tantum collatione usus est, denique in Prometheo et Septem adv. Th. Hauptius demum Medicei lectiones suo quamque loco videtur inseruisse. Profecto Aeschylus scriptor est tantopere corruptus, ut nisi multorum opera conjuncta satis certo emendari nequeat. Itaque meas conjecturas, quas olim Hauptianae editionis marginibus adscripsi, de locis ‚Promethei‘ tandem aliquando edam nonnullis tamen omissis, quas alii interim ab se quoque inventas edere praeoccuparunt. Quodsi Hermanno contigisset Prometheum totam retractare et ad Medicei normam exigere: tum vero aut eadem partim quae ego aut potius multo meliora certioraque talis tantusque vir reperturus fuisset. Sed primum de loco mendoso Persarum v. 13: πᾶσα γὰρ ἰσχὺς Ἀσιατογενὴς | ᾤχωκε, ΝΕΟΝ δ' ἄνδρα βαΰζει error quidam meus videtur corrigendus esse. Neque enim verbum βαΰζει carere potest Subjecto, quod in corruptela νέον lateat necesse est. Dixi ego amicis scribi posse: — ᾤχωκε, γυνὴ δ' ἄνδρα βαΰζει, opinione justo audaciore. Hodie autem lenius et confidentius repono: — ᾤχωκε, ΝΥΟΣ δ' ἄνδρα βαΰζει, h. e. ‚nova nupta maritum cum lamentis desiderat.‘ Nam quod poetae latini uxorem juvenilem dicere solent ‚nurum‘, ut ostendit Hauptius ad Ovid. Metam. II, 366, id totum e graeca poesi petitum est. Vide schol. ad Eurip. Hec. v. 321: νύμφη ἡ ἄρτι εἰς γάμον ἐρχομένη, ἥτις ποιητικῶς νυὸς λέγεται. Nunc transeo ad Prometheum. V. 117. Dochmios commendat v. 115 bacchiacus. Verum dochmius et creticus, sicut in locis Seidleri De VV. Dochm. p. 165, junguntur intra dochmiorum systemata, extra autem dochmiaco opus est dimetro. Et hic quidem inter πάγον et πόνων excidisse videntur haec ipsa verba τίς ὤν; quae sententia quoque requirit, hoc modo: ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον [τίς ὤν;] | πόνων ἐμῶν θεωρός, ἢ τί δὴ θέλων; Ceterum Dindorfius metri vitio bene offensus suum ipse senarium Aeschylo audacter obtrudebat. V. 215: ὡς οὐ κατ' ἰσχὺν οὐδὲ πρὸς τὸ καρτερὸν | χρείη, δόλῳ δὲ τοὺς ὑπερέχοντας κρατεῖν. Librorum vitium τοὺς ὑπερέχοντας alii aliter sanare student. Ac Porsoni quidem aoristus τοὺς ὑπερσχόντας h. l. vel minime aptus est. Multo praestat Hermanni conjectura τοὺς ὑπερτέρους, sed tamen aliud quiddam videtur latere. Mihi in mentem venerat τοὺς ὑπειρόχους, Homericum vocabulum neque indignum Aeschylo, quum praesertim ὑπέροχος in Prometheo v. 430 inveniatur. V. 270: οὐ μήν τι ποιναῖς γ' ᾤόμην τοίαισί με | κατισχνανεῖσθαι πρὸς πέτραις πεδαρσίοις, | τυχόντ' ἐρήμου τοῦδ' ἀγείτονος πάγου. Equidem deleto γ' post ποιναῖς corrigo τοιαῖσί γε h. m: οὐ μήν τι ποιναῖς ᾠόμην τοίαισί γε —. Barbarum esse με Elmslejus quoque viderat scribens ille τοιαισίδε. Nimirum passive dictum est κατισχνανεῖσθαι, prorsus ut πημανεῖσθαι, de quo recte Elmslejus ad Ar. Acharn. v. 849 (842). Denique hic v. 272 aut ita τυχόντ' servandum est, non ut με sed τινά intelligatur, aut potius cum Hartungo scribendum τυχών. V. 315: — τάχ' ἂν σου κ. μ. ἀ. | θ. κλύοι Ζεύς, ὥστε σοι τὸν νῦν χόλον | παρόντα μόχθων παιδιὰν εἶναι δοκεῖν. Quum hic Ζεύς praecedat, scribae χόλον dederunt: χόλος enim de Jovis ira supra v. 29 et infra v. 378 dictum est. Pro isto χόλον, quae sane vera vitii sedes esse videtur, Doederlinus ὄχλον inepte conjecit, quasi hic de turba malorum sermo sit ac non potius de gravitate. Equidem margini haec adscripsi: ‚pro χόλον scribo ὄτλον, ut ὄτλον μόχθων i. e. ‚aerumnarum onus‘ cohaereant, sicut est παιδείας ὄτλος in Sept. adv. Th. v. 18.‘ Eodem modo legi voluit Meinekius, nondum ille in edit. sua p. 17, sed mox

in Philologo XV p. 139, qui postremo (teste Hauptio in Opusc. II p. 189) opinionem illam abjecit. Et Hauptius nobis collocationem verborum non male opponit. Itaque aqua mihi haeret laudoque Hermanni silentium. [Longe alia conjectura mea fuerat pristina. Servabam enim illud χόλον, proximorum autem παρόντα μόχθων (ita M, non μόχθον, ut codicilli), horum inquam loco παρόντ' ἄμοχθον corrigebam, i. e. ,ita ut tibi praesens (Jovis) ira ludus malorum expers esse videretur.' Sed de h. l. viderint acutiores.] V. 372—374. Primum duo versus 372 qui desinit in χόλον et 374 qui a καίπερ incipit, minime alio versu interrumpi possunt. Tum θερμοῖς — βέλεσι appositio est ad dativum ἀγρίαις γνάθοις. Ergo v. 373 post v. 371 (post γύας) ita transponendus est: ποταμοὶ — γνάθοις | τῆς — γύας, | θερμοῖς ἀπλάτου βέλεσι πυρπνόου ζάλης. | τοιόνδε Τυφὼς ἐξαναζέσει χόλον, | καίπερ κεραυνῷ Ζηνὸς ἠνθρακωμένος. V. 383—385. Stichomythiae legem hic male turbatam esse vidit Reisigius, cui ante v. 385 unus versus Promethei videbatur deesse. Ceterum non ante sed post hunc versum (post εὐηθίαν) unus excidit, quem hariolando uncis inclusum supplebo: Ω. ἐν τῷ προθυμεῖσθαι δὲ καὶ τολμᾶν τίνα | ὁρᾷς ἐνοῦσαν ζημίαν; δίδασκέ με. | Π. μόχθον περισσόν, κουφόνουν τ' εὐηθίαν. | [νοσεῖς δὲ κάρτα, κοὐ προμηθεῖσθαι θέλεις.] | Ω. ἔα με τῇδε τῇ νόσῳ νοσεῖν —. Hic ob Oceani responsum νόσῳ illud νοσεῖς arbitror prope necessarium esse. Et προμηθεῖσθαι servat scholiasta vetus ad v. 383, qui explicat ἐν τῷ προνοεῖσθαι. Non tamen ideo viri summi v. 383 ἐν τῷ προμηθεῖσθαι scribere debebant. Nam neque Oceanus nunc vult prudenter agere, neque Προμηθεύς suum ipse opus, τὸ προμηθεῖσθαι potest castigare. Ergo v. 383 ἐν τῷ προθυμεῖσθαι non erat mutandum, sed alterum fluxit ex eo versu, qui post v. 385 intercidit. V. 425 sqq. Epodus est et epodum olim in El. D. M. p. 730 ipse Hermannus bene agnoverat. Mox v. 430 libri: ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον νώτοις ὑποστενάζει. Hic γᾶν (sive γᾶς) excidisse primus vidit Hermannus. Praeterea ego pro κραταιὸν corrigo κρατύνων et ἐπιστενάζει pro ὑποστενάζει. Scribe: ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος κρατύνων | [γᾶς] οὐράνιόν τε πόλον νώτοις ἐπιστενάζει. V. 534. ἀλλά μοι τόδ' ἐμμένοι] Prorsus necessarium est ἀλλά, sed pro τόδ' malim τοῦτ' cum Hermanno. V. 540. Post διακναιόμενον deest epitritus tertius. Ego [χαλκευμάτων] excidisse opinor, conlato superiore versu 19, qualis notio ob δερκομένα requiritur, quoniam μόχθους nemo potest adspicere, potest ,vincula ferrea'. V. 542. ἰδίᾳ γνώμᾳ σέβει] Nullus dubito ἀντίᾳ γν. σ. corrigere, quod exposcunt prima hujus chori verba v. 528 sq. Vide Agam. v. 477 et Eurip. Suppl. v. 200. In pedestri sermone ἐναντία γνώμη dicitur millies. V. 547. ἰσόνειρον] Reisigius ἀντόνειρον conjiciebat metro perspecto. Ego vero malim ὡς ὄνειρον i. e. ἄκικυν, ὡς ὄνειρον. Comparo post Stanleium Eur. Phoen. v. 1722: πόδα τίθει | ὥστ' ὄνειρον ἰσχύν. V. 548. ἀλαὸν γένος ἐμπεποδισμένον; οὔποτε] Post ἀλαόν verbum finitum deesse Brunckius aliique recte viderunt. Optime vero ἀλαὸν [δέδεται] supplet Hermannus ac tum pro οὔποτε corrigit οὔπω, quod in poetis non semper ,nondum' sed haud raro οὔπως (,wohl nicht') significat. V. 553. τόδ' ἐκεῖν' ὅτε τότ' ἀμφί] ita Mediceus. Infeliciter Brunckius et post eum caeteri: τόδ' ἐκεῖνό θ' ὅτ' ἀμφί —. Neque enim ferri possunt ὅτ' ἀμφὶ — ὅτε τὰν — prope continua. Ego corrigo: τόδ' ἐκεῖνά θ' ὅσ' ἀμφὶ λ. Hymenaeum dicit carmen nuptiale neque supplendum μέλη, sed ἐκεῖνα ὅσα — ὑμ. hymenaeus est unus. V. 563—609. Jonis carmen maxima ex parte antistrophicum esse primus vidit Hermannus tum juvenis ad Aristot. De Poet. p. 143 et mox idem criticus multa hujus carminis menda certo persanavit. Pauca, de quibus ego dubito, alio l. (De monodiis I p. 12 sq.) in medium adtuli. V. 613. πυρὸς βροτοῖς δοτῆρ' ὁρᾷς Προμηθέα.] Scholiasta ad h. l. vetus: δεῖ προσθεῖναι τὸ ā τῷ δοτῆρα διὰ τὴν τομήν. In dissertatione ,De caesuris' negavi me cum scholiasta consentire, addidi tamen hoc scholium esse gravissimum. Ibidem conjeci trimetros, qui quidem non canerentur, a bono actore in scena ita pronuntiatos fuisse, ut metrum nec nimis urgeret nec prorsus omitteret neve ad prosam numerosam temere

aberraret, sed ita potius ut cum numero toto metri partem apte conjungeret. V. 618. Jo (v. 607) scire vult, quae sibi mala porro impendeant, cui Prometheus (v. 610) haec se omnia dicturum respondet eaque infra (v. 703 sqq.) enarrat. At (v. 616) Prometheus cur ipse sua mala patiatur dici nunc posse negat. Haec enim, quae spectatores jam antea audierant, non erant hic putide repetenda. Jo tamen (v. 617) precibus instat. Tum demum Prometheus (v. 620) malorum suorum auctorem nominat, de caeteris autem (v. 622) tacet constanter. Venio ad Promethei verba v. 618: λέγ' ἥντιν' αἰτεῖ· πᾶν γὰρ οὖν πύθοιό μου (ita Mediceus). Omnes fere Brunckium secuti sunt, qui versu 610 deceptus πᾶν γὰρ ἂν πύθοιό μου conjecerat. Brunckio v. 616 et inprimis v. 622 adeo repugnant, ut inde pateat sententiam requiri contrariam. Scripserat Aeschylus: λέγ' ἥντιν' αἰτεῖ· πᾶν δ' ἂν οὐ πύθοιό μου h. e. ‚aliquid ex me audies, omnia non audies'. Compara superiora v. 522, ubi Prometheus ad chorum: τοῦτ' οὐκέτ' ἂν πύθοιο· μηδὲ λιπάρει. V. 681. ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν αἰφνίδιος μόρος | τοῦ ζῆν ἀπεστέρησεν. Sermo est de Argo Jonis custode. In Arund. et G. ἐξαίφνης supra scriptum est. Frustra critici servant omnes notionem αἰφνίδιος, quae (pariter atque ἐξαίφνης) mera glossa est ad v. ἀπροσδόκητος olim adscripta. Haec glossa fallente exitu αἰφνίΔΙΟC genuinam scripturam expulit. Tu scribe: ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν ἐκ Διός μόρος —. Ita enim illud ἐκ Διός poni solet, ut supra v. 668, infra v. 760 itemque in Agamemnone et Eumenidibus. Argum Mercurius occidit (Supplic. v. 290) sed ut inter omnes constat, occidit Jovis jussu. Vide vel Lucian. D. Deor. III circa finem, ubi ad Mercurium Jupiter: ἐκεῖνον (sc. τὸν Ἄργον) ἀπόκτεινον —. V. 689. οὔποτ' οὔποτ' ηὐχόμην ξένους Med., sed pro ηὐχόμην melius ηὔχουν scholiasta vetus et octo codicilli. Tu certo corrige: οὔποτ' οὔποθ' [ὧδ' ἐπ] ηὔχουν ξένους —. Eodem modo ἐπαυχῶ dictum est in Soph. Electr. v. 65. Nam ‿—‿— intra dochmios non est penthemimeres trochaicum sed ipsius forma dochmii, qua Pindarus quoque et Euripides utuntur. Ergo hic versus dochmiacus est dimeter ut proximus. V. 692. libri: πήματα λύματα δείματ' ἀμφήκει κέντρῳ ψύχειν ψυχὰν ἐμάν. Scribe: π. λ. δείματα θ' ὥστ' | ἀ. κ. ψύχειν ψυχὰν ἀμάν (sive ἁμάν). Nisi enim ὥστε praecederet, opus esset futuro ψύξειν. Tum ἀμάν est σπονδεῖος μείζων, qui in clausula requiritur. Jure autem Hermannus ψύχειν probat rejecta Meineki conjectura ψήχειν. Nam illud et convenit proximo verbo πέφρικα et in junctis ψύχειν ψυχάν a poeta ipso alliteratio quaesita est. V. 695. libri: πέφρικ' εἰσιδοῦσα (ἐσιδοῦσα M) πρᾶξιν Ἰοῦς. Pro πέφρικ' Hermannus in adnot. p. 119 verissime corrigit πέφρικά σ', quo accusativo praeter Pindarum Homerus Jl. λ', 383 et Ar. Nub. v. 1117 utuntur. Πέφρικά σ' tum metro commendatur, tum vero propter eandem chori sententiam infra v. 896 sqq. prorsus est necessarium. V. 761. ὡς τοίνυν ὄντων τῶνδε μαθεῖν σοι πάρα. Sic libri etiam M μαθεῖν σοι, ita tamen ut literae ν σοι sint in litura. Editores post Turnebum transponunt σοι μαθεῖν. At σοι nihil est aliud nisi glossa, qua ejecta ego conicio: ὡς τοίνυν ὄντων τῶνδε συμμαθεῖν πάρα, i. e. ‚conscire licet'. Συμμαθεῖν habet Soph. Ajace v. 869. V. 763. Recte Hermannus πρὸς αὐτὸς αὑτοῦ edidit et sic ipse Med. Alteram lectionem αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ respuit nostramque exposcit concinnitas. Vide initium v. 762 πρὸς τοῦ —; et compara Agam. v. 1046 sq. Dindorfium longe aliter sentientem Hauptius in Opusc. T. II p. 185 sqq. doctissime optimeque refutavit. V. 771. Ad Jonis verba, οὐδ' ἔστιν αὐτῷ τῆσδ' ἀποστροφὴ τύχης; Prometheus respondet in Mediceo: οὐ δῆτα πλὴν (ν sec. m.) ἔγωγ' ἂν ἐκ δεσμῶν λυθείς. Sed pro isto πλὴν multi codd. πρὶν exhibent et pars eorum λυθῶ pro λυθείς. Proxime ab vero Porsonus abfuit, qui servato λυθείς participio et scripturam πρὶν recepit et obelum ante ἔγωγ' adposuit. Hic igitur criticus solus bene judicavit, ἔγωγ' esse depravatum. Ego non dubito sic corrigere: οὐ δῆτα, πρὶν λέξω γ' ἂν ἐκ δεσμῶν λυθείς. Ad conjunctivum aoristi λέξω supple e v. 770 ἀποστροφήν. Pari jure Aeschylus πρὶν δείξω dicere potuit, quo verbo infra v. 918 de eadem re usus est. V. 835. 36. Longa est protasis v. 830—36, quam non ante v. 837

ἐντεῦθεν sequitur apodosis. Inest difficilis menda, de qua ego ita sentio. Versus 836 in libris recte scriptus est, sed in v. 835 pro ἡ corrigendum erat ὦ toto loco sic interpuncto: προσηγορεύθης· „ὦ Διὸς κλεινὴ δάμαρ | μέλλουσ' ἔσεσθαι, τῶνδε προσσαίνει σέ τι;“ i. e. „o tu, quae Jovis clara uxor futura es, an horum aliquid tibi blanditur?“ Quae sunt ipsa Dodonaei oraculi sive Jovis verba Jo amasiam alloquentis. Similiter Venus aliam Jovis amasiunculam, Europam affatur ap. Horat. Od. III, 27, 73: ‚Uxor invicti Jovis esse nescis: | mitte singultus —.‘ V. 862. 63. Sermo est de liberis Aegypti et Danai fratrum. Inest sane vitium, quod critici loco quaesierunt alieno. Neque versus excidit nec praeter duo verba θηλυκτόνῳ Ἄρει quidquam corruptum est. Quis uno in versu ferat duo dativorum paria? quis non potius videat alterum par vitio creatum esse? Restitue accusativum θηλύκτονον Ἄρη. Hoc est: ‚Argus excipiet [non sponsos sed] ab mulieribus commissam caedem occisorum vi nocturna.‘ Δαμέντων non est genetivus absolutus sed ab his ipsis verbis θηλύκτονον Ἄρη suspensus est. V. 889. ἦ σοφὸς, ἦ σοφὸς ἦν, ὃς — libri quae Hermannus recte servat, etiam illud ἦν, quod Monkius inepte delebat. V. 896. libri μήποτε, μήποτέ μ' ὦ Μοῖραι — cum duplici metri vitio. Primum pro μ' corrige κἄμ' (‚me quoque, sicut Jo‘) favente loco gemino (superiore v. 694). Deinde inter ὦ et Μοῖραι pes deest creticus, quem Paleius ita supplet: ὦ [πότνιαι] Μοῖραι usitato Parcarum epitheto. Ut in re incerta sane interim scribamus: μήποτε, μήποτε κἄμ' ὦ | πότνιαι Μοῖραι —. V. 900 sq. Post παρθενίαν libri metro pergunt invito: εἰσορῶσ' Ἰοῦς γάμῳ δαπτομέναν | δυσπλάνοις (δυσπλάγχνοις M) Ἥρας ἀλατείαις πόνων. Pro istis γάμῳ δαπτομέναν cum Schuetzio ipse scripsit Hermannus μέγα δαπτομέναν metroque restituto feliciter adfecit emendationem, totam non perfecit. Nam ne sic quidem proximus v. 902 intelligi potest. Immo praeterea genetivi Ἰοῦς et Ἥρας (vel potius Ἥρᾳ) transponendi sunt hoc modo: εἰσορῶσ' Ἥρᾳ μέγα δαπτομέναν | δυσπλάνοις Ἰοῦς ἀλατείαις πόνων. Haec demum luce sunt clariora mireque conveniunt loci gemelli Prometh. v. 592 et v. 601 atque Suppl. v. 548. Enimvero antithetici versus nunc sibi invicem more respondent Aeschyleo: μήτε τῶν γέννᾳ μεγαλυνομένων atque εἰσορῶσ' Ἥρᾳ μέγα δαπτομέναν. Quodsi hic verba εἰσορῶσ' Ἥρᾳ praecesserunt, in oculos incurrit Weilii conjecturam ἀμαλαπτομέναν ipsi metro adversari. V. 903 sqq. Multis de causis certum est hisce versibus contineri epodum, sicut olim in El. D. Metr. p. 730 ipse Hermannus perspexerat. Contra Elmslejus, C. Lachmannus et postea in editione sua Hermannus quoque quum haec non epodum sed antistrophica esse voluissent: coacti sunt compluria temere mutare sanaque ultro corrumpere. Altera enim epodi pars v. 905 ἔρως — 910 φύγοιμ' ἄν mendis non laborat nisi levissimis. Verum primi versus gravioribus vitiis premuntur. Libri: ἐμοὶ δ' ὅτι μὲν ὁμαλὸς ὁ γάμος | ἄφοβος, οὐ δέδια μηδὲ κρεισσόνων | θεῶν ἔρως —. Equidem scribo: ἐμοὶ δέ τοι γένοιθ' ὁμαλὸς | ὁ γάμος, ἄφοβος, εὔδιος | μηδὲ κ. θ. | ἔρως —. Jambicum dimetrum duo dimetri sequuntur trochaici. Chori puellae nuptias sibi exoptant pares metu expertes atque tranquillas. Quod εὔδιος conjeci, id h. l. Jonis nuptiis oppositum Aeschylo non videtur indignum esse. V. 912. ἦ μὴν ἔτι Ζεύς, καίπερ αὐθάδη φρονῶν | ἔσται ταπεινὸς οἷον ἐξαρτύεται | γάμον γαμεῖν. Pro eo quod est οἷον Robortelli editio habet τοῖον, id quod nonnullis arrisit. At recte Hermannus servat οἷον altera lectione tacito rejecta. Vide meas Quaestt. Lucian. p. 117 sq., ubi p. 118 exempla e poetis dedi tragicis. V. 921. τινάσσων τ' ἐν χεροῖν πύρπνουν βέλος Mediceus, variatur tamen in aliis codd. ἐν χειρὶ (vel χερὶ vel χερσὶ) πύρπνοον β. Optime Hermannus emendationem recepit Porsoni: — τινάσσων χειρὶ πυρπνόον βέλος. Weilio in mentem venit scribere: τινάσσων πυρπνόον χεροῖν βέλος. At cohaerent τινάσσων χειρί. V. 972 sq. Quinque versus 970 τῆς σῆς — usque ad v. 974 χρεών in libris continuantur Prometheo. Ineptissime. At Hermannus cum Erfurdtio vidit duo versus 972 sq. Mercurii esse, hos dico: κρεῖσσον γὰρ οἶμαι τῇδε λατρεύειν πέτρᾳ, | ἢ πατρὶ φῦναι Ζηνὶ πιστὸν ἄγγελον. Attici οἶμαι saepius ponunt

ironice, prorsus ut lingua latina ‚credo' frequentat. Non omnes tamen Hermannum ducem sequuntur in re tam manifesta. Aliud est enim edere Aeschylum, aliud intellegere. V. 1061. ἥτουδ' εὐτυχῇ M pr. m. et in margine m. rec. εἰ τάδ', caeteri libri partim εἰ τάδ' εὐτυχῇ, partim εἰ τάδ' εὐτυχεῖ, partim εἶτα δ' εὐτυχῇ. Hanc mendam jure dixeris scopulum summorum criticorum naufragiis infamem. Non quo mihi videar solus sapere, sed quia turpe est in tali causa tacere, libere dicam, quid ego mihi velim. Jam dudum sic conjeci: τί γὰρ ἐλλείπει μὴ παραπαίειν, | εἰ ταῦτ' αὐχεῖ; τί χαλᾷ μανιῶν; Possis etiam lenius: εἰ τάδ' ἐπαυχεῖ —. Compara Eurip. Androm. v. 462: μηδὲν τόδ' αὔχει. Mercurius debet Promethei orationem proxime superiorem castigare. Ac profecto ταῦτ' (sive τάδ') respicit ad ferocia Promethei dicta v. 1047 sqq: πρὸς ταῦτ' —. Postremo Dindorfi conjecturam ἡ τοῦδε τύχη; aliis argumentis jam Hermannus refutavit. Adde quod absurdum est τύχη, ubi dicendum erat ἡ τοῦδε φρήν et quod τοῦδε h. l. aperte falsum est, quum huc irrepserit e v. 1063 ταῖς τοῦδε —. V. 1090. σκιρτᾷ δ' ἀνέμων πνεύματα πάντων | εἰς ἄλληλα στάσιν ἀντίπνουν | ἀποδεικνύμενα· ξυντετάρακται —. Ita libri. At vero ἀντίπνουν prorsus idem vitium est, quod supra v. 921 (ubi est πύρπνουν) correximus. De h. l. sciens prudensque omitto conjecturas aliorum infelices. Certa est enim emendatio nostra: εἰς ἄλληλα στάσιν ἀντιπνοήν τ' | ἀποδεικνύμενα· Hermannus noster de h. l. plane tacuit. Atqui supra ad v. 921 diserte vir summus dixerat, formam non contractam πυρπνόος tragicos praetulisse. Ergo etiam v. 1090 hanc ille mendam sustulisset, si nostram fabulam potuisset totam retractare. — Haec ego scripsi aegrota admodum et morti vicina uxore mea longe carissima, G. Hermanni filia tertia. Ille quoque jam senex primariam matronam socrum meam morte amisit acerbissima. Ac tamen ipse Hermannus hanc mortem sicut omnia forti tulit animo, ita ut aliis in luctu illius tanta fortitudo tum admirationi fuerit, mihi in meo luctu nunc solatio esse debeat atque exemplo.



INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim epistolam ad Hebraeos explicabit quinquies per hebdomadem hora XI; 2) privatim Evangelium Matthaei interpretabitur quinquies p. h. hora XII.

Dr. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim Vaticinia Jesajae interpretabitur, quinis p. h. scholis hora III; 2) privatim historiam cantici evangelici in ecclesia Megapolitana adumbrabit, binis p. h. scholis die Martis et Jovis hora IV; 3) publice Jesajae quae contra exteras gentes edita sunt oracula (c. XIII seq.) explicabit, bis p. h. die Mercurii et Veneris hora IV; 4) publice in Seminario homiletico exercitationes sodalium moderabitur, binis scholis die Lunae h. VI—VIII vesp.

Dr. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinquies p. h. h. IX, 2) privatim historiam dogmatum quinquies p. h h. X tradet et 3) publice in Seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Theodorus Schulze, P. P. O., 1) privatim doctrinam Jesu Christi et apostolorum explicabit quinquies p. h. hora VIII—IX; 2) privatim theologiam dogmaticam docebit quinquies p. h. hora IX—X; 3) publice introductionem in theologiam dogmaticam binis lectionibus die Mercurii hora V—VII tradet; 4) privatissime sed gratis exercitationes dogmaticas moderari perget, in quibus locos formulae Concordiae explicandos proponet, die Jovis hora VI—VIII.

In ordine juridico.

Dr. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) jus Germanicum privatum docebit quinquies h. XII; 2) praecepta juris privati Mecklenburgici exponet ter per hebd. h. III; 3) jus feudale tam commune quam Mecklenburgicum tradet ter per hebd. h. III.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., 1) theoriam processus civilis Imperii Germanici docebit senis p. h. scholis h. XI—I; 2) processus summarios nec non procedendi in concursu creditorum modum binis per h. scholis tractabit h. XI—I; 3) conversatorium offert de processus civilis praeceptis binis p. h. scholis h. XI—I.

Dr. Franciscus Bernhöft, P. P. O., 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. c. tradet; 2) pandectarum partem III (jus hereditarium) quaternis p. h. scholis h. XI docebit; 3) Gai institutionum librum IV binis et 4) publice studiosis juris et philosophiae Ciceronis orationem in Verrem de praetura urbana singulis p. h. scholis h. c. interpretanda proponet.

Dr. Guilielmus Kahl, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) jus ecclesiasticum nec non juris et ecclesiastici et civilis de matrimonio praecepta docebit senis p. h. h. IX; 2) processum criminalem Germanicum tradet quater p. h. h. X.

Dr. Ernestus Zitelmann, P. P. O., 1) historiam et institutiones juris Romani explicabit octonis per hebd. horis, die Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—I, die Martis et Jovis h. XII—I; 2) exercitationes practicas instituet ternis per hebd. horis die Martis h. V—VII, die Jovis h. V—VI.

In ordine medico.

Dr. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem ternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico quinis diebus h. X moderabitur.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis hora III—IV, 2) publice generationis et evolutionis historiam diebus Mercurii et Saturni h III—IV, 3) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) quotidie h. IX—X tradet; 4) privatissime exercitationes physiologicas moderabitur bis per hebd. ternis horis.

Dr. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—II, 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., h. t. Rector, 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur hora VIII, 2) mulierum morbos ter p. h. h. IX, 3) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.

Dr. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. hora XII—I docebit; 2) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. IX—XII moderabitur.

Dr. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., 1) chirurgiam specialem tradet ternis diebus h. IX—X; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Jovis, Saturni h. XI et dim.—I.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam generalem quotidie hora VIII docebit; 2) cursum anatomes et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dim.

Dr. Otto Nasse, P. P. O. designatus, 1) publice de medicamentis, quae ad cordis vasorumque motus pertinent disseret semel p. hebd. die Lunae h. IV—V; 2) privatim de alimentis hominum disseret die Jovis h. V—VII; 3) privatim chemiam physiologicam docebit die Martis h. V—VII, die Mercurii h. XII—I; 4) privatim exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio quotidie horis definiendis moderabitur.

Dr. Julius Uffelmann, P. P. E., 1) privatim hygienen privatam et publicam ter per hebd., 2) infantum morbos quater per hebd. privatim, 3) disciplinam quae diaetam spectat tam sanorum quam aegrotorum, bis per hebdomadem publice tractabit.

Dr. Guilielmus Brummerstaedt cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ternis p. h. horis definiendis moderabitur.

Dr. Paulus Schiefferdecker, 1) osteologiam et syndesmologiam tractabit ter per hebd. privatim; 2) histologiam organorum corporis humani una cum exercitationibus practicis quater per hebd. privatim; 3) anatomiam corporis humani auditoribus omnium ordinum explicabit semel per hebd. privatim.

Dr. Fridericus Neelsen Tuberculoseos, Scrofuloseos, Syphilidis iisque similium affectionum pathologiam et anatomiam bis per hebd. exponet.

Dr. Theodorus Gies 1) gratis fracturas et luxationes bis per hebd. docebit; 2) privatim varia vulnera eorumque curas semel per hebdomadem tractabit.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, 1) privatim ternis diebus h. XI Ranas Aristophanis explicabit; 2) in Seminario philologico partim regendo sodales docebit Lucreti de rerum natura libros primum et secundum atque Medeam Euripidis bene interpretari.

Dr. Joannes Roeper, P. P. O., privatim 1) familias plantarum naturales demonstrationibus vegetabilium medicinalium illustrandas, ternis diebus h. XI, 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI docebit.

Dr. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter p. h. hymnos Homericos interpretabitur; 2) ter p. hebd. Ciceronis ad Atticum epistolas explicabit; 3) privatissime de Geographis graecis minoribus disputabit.

Dr. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., privatim 1) historiam gentis Germanicae a Caroli V electione usque ad annum 1789 docebit quinis diebus h. XII; 2) historiam Graecorum a bello Peloponnesio usque ad Alexandri Magni tempora deducet binis diebus h. XI; 3) publice Seminarii historici exercitationes moderari perget binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam philosophiae antiquae quater p. h. h. IV—V diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris enarrabit; 2) paedagogicen ter p. h. V—VI diebus Mercurii, Jovis, Veneris explicabit; 3) psychologiam ter p. h. III—IV diebus Lunae Martis, Mercurii leget.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim Godofredi Argentoratensis poëma Tristan interpretabitur ter per hebd. hora X—XI; 2) privatim grammaticam linguae franco-gallicae historicam tradet bis per hebd. hora IX—X; 3) privatissime exercitationes cum sodalibus instituet de literarum germanicarum historia recentiorum temporum bis per hebd. horis adhuc definiendis; 4) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo carmina saeculi XI et XII et Goethii „Dichtung und Wahrheit" tractabuntur.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebd. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebd. moderabitur; 3) publice de praeparatis chemicis officinarum bis per hebdomadem disseret.

Dr. Hermannus Grenacher, P. P. O., 1) morphologiae animalium partem priorem zoologiam generalem, systema et anatomiam comparativam animalium vertebris carentium amplectentem senis p. h. horis (IV p. m.) privatim enarrabit; 2) exercitationes zoologicas et zootomicas horis definiendis instituet privatissime.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinquies p. h. hora V; 2) exercitationes physices practicae instituet; 3) publice exercitationes Seminarii physici moderari perget.

Dr. Richardus Foerster, P. P. O., privatim 1) historiam artis graecorum enarrabit diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora VIII; 2) praefatus de vita, poesi, ingenio Pindari carmina explicabit iisdem diebus hora X; 3) publice exercitationes Seminarii philologici moderabitur bis p. hebd.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim algebram superiorem docebit diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora XI; 2) privatim introductionem in analysin infinitorum tractabit diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora XII; 3) publice Seminarium mathematicum diriget die Mercurii h. XI et XII.

Dr. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. O., 1) privatim grammaticam linguae hebraicae ter p. h. docebit; 2) privatim grammaticam linguae sanscriticae praecipua linguarum et graecae et latinae ratione habita ter p. h. tradet; 3) privatim grammaticam linguae arabicae una cum interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet; 4) privatim prophetarum Targumim (ed. de Lagarde) bis p. h. interpretabitur; 5) gratis lectionem quae dicitur cursoria, librorum Josuae et Judicum bis p. h. habebit.

Dr. Hermannus Paasche, P. P. O., 1) privatim oeconomiae politicae partem primam docebit quinquies per hebd. h. defin.; 2) privatim artem statisticam explicabit et exercitationibus illustrabit quater p. h.; 3) privatissime et gratis exercitationes oeconomopoliticas moderari perget die Lunae hora V—VII.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) privatim physiologiam plantarum bis p. h. docebit; 2) practicum agrario-chemicum quater p. h. reget.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. E., 1) privatim mineralogiae elementa tractabit exercitationibus et demonstrationibus illustrans, sexies p. h. hora IX—X; 2) publice geologiam chemicam leget bis p. h.; 3) societatem mineralogicam privatissime sed gratis bis p. h. reget.

Dr. Carolus Weinholtz privatim 1) logicam ideisticam ex compendio suo docebit; 2) principia juris methodoideistica enucleabit; 3) de scientiarum fundamentis disseret.

Dr. Julius Robert 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam literarum franco-gallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae inde a saeculo XII disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner 1) syntaxin linguae franco-gallicae docebit bis per hebd. privatim; 2) capita selecta ex Bartschii libro: „Altfranzösische Chrestomathie“ explicare perget semel p. h. gratis; 3) exercitationes anglicas moderabitur semel p. h. gratis.

Dr. Hermannus Kretzschmar 1) studiosos theologiae cantica, quae in libro continentur, qui dicitur „cantionale Mecklenburgiense“ et 2) studiosos omnium ordinum principia artis canendi docebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii officiis** destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas velut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Fridericus Schatz, M. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Johannes Bachmann,** Th. Dr.
Jurisconsultorum **Guilielmus Kahl,** J. U. Dr.
Medicorum **Hermannus Aubert,** M. Dr.
Philosophorum **Martinus Krause,** Ph. Dr.

INDEX
LECTIONUM
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXXIV

AB DIE XVI M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

NOVAE RECENSIONIS ARISTOPHANEAE
SPECIMEN

F. V. FRITZSCHIUS
PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

De loco Aristophanis in Nub. v. 1085 sqq.

De clausulis comoediae latinae Marius Victorinus apud Rufinum (de m. c.) p. 381 Gaisf. sic iudicat: ‚quod ad clausulas i. e. minuscula cola pertinet, quot genera versuum sunt, totidem membra pro clausulis poni possunt et solent in canticis — collocari et praecipue apud Plautum et Naevium et Afranium‘. addit, hos maxime membris versuum colis ab his separatis usos reperiri in clausulis. de Terentio idem praeclare confirmat Bentleius in schediasmate p. XI ed. Lips. (p. 83 ed. R.): ‚illud, inquit, porro notandum, in tetrametris solis apud nostrum, numquam in trimetris, clausulis locum esse‘. quae res quum eadem constantia valeat iam de Aristophane, hoc loco (v. 1089 συνηγοροῦσιν —) non sine vitio clausulae dimetrorum sequuntur trimetros, non tetrametros, ut oportebat. ecce vero aliud vitium. numquam in Aristophane (Equitum quendam locum male divisum sciens omitto) tetrametros sequuntur trimetri ac tum demum dimetri, sed semper sine ullis trimetris continuo systemata dimetrorum. ergo hi quatuor versus 1085—1088 principio non trimetri fuerant sed haud dubie dimetri. nec tamen ausus sum hic dimetros meos recipere, quum omnes critici in iisque Hermannus metricorum princeps hoc vitium tacite quasi rem haud dubiam propagent: inchoavit enim Hermannus metricae artis emendationem, non absolvit. quare ad v. 1088 non in textu sed in adnotatione indicabo, quomodo dimetros pro trimetris censeam restituendos esse. nam in Aristophane longam seriem tetrametrorum ubique continuo subsequuntur dimetri eiusdem generis, veluti supra v. 1007 dimetri anapaestici, in Ranis autem v. 971 iambici dimetri et sic porro. atque eodem fere modo clausulae in canticis Plauti habere solent post tetrametros potissimum dimetros generis eiusdem, quam rem Plautis ab novis Graecorum comicis, ut Menandro, didicerat, Menander ab Aristophane. quo magis hunc Plauti usum studui aperire, quem usum F. Ritschlius in Plauti sui canticis recte instituendis si minus nescivit at neglexit saepenumero.

v. 1085 tres primae cum recenti schol. metrico (de codd. parum constat) trimetrum habent ἢν δ' — κακόν; initio ἢν δ' εὐρύπρωκτος ᾖ libri omnes tuentur. iusta versum distinctione v. 1085—1088 e trimetris dimetri sponte nascuntur praeterquam v. 1086, ubi dimeter pro ποτὲ alteram lectionem ποτ' ἂν poscit et hoc loco, qui medela eget fortiore. delendum est enim vocabulum εὐρύπρωκτος utpote glossa. ita post verbum alterius τὸ μὴ εὐρύπρωκτος εἶναι alter respondet: ἢν δ' ᾖ. quod non potest non significare: ἢν δ' (εὐρύπρωκτος) ᾖ. ac videri potest iniustus iste, qui nunc taetram rem et spurcam defendit, vocem εὐρύπρωκτος, qua supersedere poterat, de industria non iterasse.

v. 1086 tres primae τί — ποτέ habent trimetrum. τί μὲν οὖν ἂν ἔτι tres primae, Mn aliique libri, τί μὲν οὖν ἄν τι m Bekkeri, Brunckii, Harleianus, Dobraei quartus et codex Porsoni, τί μὲν οὖν ἔτι (om. ἂν) RV soli: ubi οὖν ἂν sive ἂν οὖν, quod utrumque bene atticum est, recte legitur, alterum sive ἂν sive οὖν in codd. quibusdam saepe obliteratum est. tum τούτου ποτὲ tres primae, RVMn aliique, ποτὲ τούτου Dorvillianus, sed τούτου ποτ' ἂν m Bekkeri, Baroccianus, Harleianus, Cantabr. quartus, Leidensis et codex Porsoni, quam scripturam, ut supra dictum est, metrum exposcit. ita uno in enuntiato ἂν vocula et repetita est attice et bis eleganter conlocata. nam in tali iteratione prius ἂν haud procul initio ponendum est, ut hic τί μὲν οὖν ἂν —, alterum autem ut ποτ' ἂν sub finem. contra si (ut hic vulgo) ἂν semel legitur, nunquam attici ita conlocant: τί μὲν οὖν ἔτι μεῖζον πάθοι τούτου ποτ' ἄν;

v. 1087 ἢν τοῦτο] τοῦτ' ἢν R male. tres primae trimetrum habent τί δῆτ' — ἐμοῦ;

v. 1088 recte τί δ' ἄλλο; ἄδικ. tres primae et omnes libri praeter unum R qui habet: ἄδικ. τί δ' ἄλλο; male tum tres primae trimetrum habent σιγήσομαι — φράσον. at constat versus e monometro eoque aptissimo σιγήσομαι et ex dimetro τί δ'— φράσον. restat, ut dimetri ab me olim redintegrati v. 1085—1088 infra ponantur:

ΑΔΙΚ. ἢν δ' ἡ, τί πείσεται κακόν;
ΔΙΚ. τί μὲν οὖν ἂν ἔτι μεῖζον πάθοι
τούτου ποτ' ἄν; ΑΔΙΚ. τί δῆτ' ἐρεῖς,
ἢν τοῦτο νικηθῇς ἐμοῦ;
ΔΙΚ. σιγήσομαι.
τί δ' ἄλλο; ΑΔΙΚ. φέρε δή μοι φράσον·
συνηγοροῦσιν —

v. 1090. codex Ernesti pro πείθομαι habet εὖ λέγεις cum glossa: πείθομαι, καλῶς λέγεις.

v. 1091 (1093 ed. meae) τί δαί;] τί δέ; R Baroccianus et Cantabr. primus, male. de re schol. ineptit. immo Agathonem peti Bergler aliique viderunt, cf. mea ad Thesmoph. v. 704 et 807 (p. 310).

v. 1093 καὶ δημαγωγοῦσ' tres primae, mn Bekkeri et alii plurimi, καὶ δημαγωγοῦσι δ' M, δημαγωγοῦσι δ' Cantabr. primus et codex Ernesti, δημαγωγοῦσ' (item om. καὶ) Barocc., Dorvillianus, sed δημαγωγοῦσι δ' ipse R, quod omnes merito receperunt. denique quatuor versus 1090—1094 om. V, cuius scriba ab alio ἐξ εὐρυπρώκτων ab aliud ἐξ εὐρυπρ. aberraverat. in caeteris codd. et edd. vet. hi versus repositi sunt omnes, ordine tamen perverso. ita enim quum reliqui tum ipse R conlocat:

ΔΙΚ. ἐξ εὐρυπρώκτων; Αδικ. πείθομαι
τί δέ; τραγῳδοῦσ' ἐκ τίνων;
ΔΙΚ. ἐξ εὐρυπρώκτων. Αδ. εὖ λέγεις.
δημηγοροῦσι δ' ἐκ τίνων;

at verba συνηγοροῦσιν et δημηγοροῦσιν non solum specie et originatione arcte cohaerent verum etiam re ipsa et significatione: ambo enim ad artem spectant rhetoricam, ambo ab eo quod est τραγῳδοῦσ' tantum distant quantum mera rhetorica abest ab tragoedia. concinnitatis vero nemo studiosior fuit Aristophane. ergo ipse poeta haud dubie hoc ordine usus est: συνηγοροῦσι, δημηγοροῦσι et tum demum τραγῳδοῦσ'. et hoc quidem iam in Euphrosyne l. l. p. 10 observavi et addidi verbotenus: ‚Vidit errorem Reisigius, non sustulit'. iam tum enim hos versus ita transposueram, ut eos nunc supra edidi. Reisigius autem, qui praeiverat, p. 67 ita transposuit, ut prius scriberet πείθομαι et

postea εὖ λέγεις, quorum sedem ego mutavi. alterutro quidem ordine in posterum uti necesse est sive meo sive Reisigiano. Hermannus (p. 147 sec.) etsi de necessitate rei ambigebat, tamen honoris causa nominavit Reisigium, caeteri vulgatam confusionem tacite revocaverunt.

v. 1096. tres primae, schol. metricus recens et editores Hermanno priores trimetrum habent καὶ τῶν — σκόπει sequente dimetro. verum Hermannus iam in ed. pr. p. 188 vidit, καὶ τῶν — ὁπότεροι et πλείους — σκοπῶ duo esse dimetros sequente monometro τί δῆθ' ὁρᾷς; verissime igitur: ‚trimetri, inquit, locum non habent in systemate dimetrorum'. itaque Hermannum certatione secuti sunt omnes uno excepto Reisigio, qui (mirum dictu) vulgatam revocavit.

v. 1099. πλείονας] in uno Ernesti codicillo est πλείους, quo Reisigium mire abutentem Hermannus recte castigavit.

v. 1100. tres primae et schol. metricus recens habent trimetrum καὶ τουτονὶ — κἀκεινονί. sed vulgatam καὶ τουτονὶ pauci libri in his Mmn exhibent, plerique et optimi tuentur τουτονὶ (om. καὶ) ut RV, Barocc., Harleianus, Cantabr. primus et quinque alii. Brunckius tres dimetros in duo senarios mutavit, quasi in dimetrorum systemate locus sit senariis. optime iam Bentleius deleto καὶ (ante τουτονὶ) dimetrum restituit: τοὺς εὐρυπρώκτους. τουτονί —.

v. 1101. versum γοῦν οἶδ' ἐγὼ κἀκεινονὶ om RV male.

v. 1103. monometrum τί δῆτ' ἐρεῖς om. V male. compara v. 1098 τί δῆθ' ὁρᾷς; tum in Pluto v. 1161 est καὶ τί ἔτ' ἐρεῖς; et in Vesp. 805 τί ἔτ' ἐρεῖς; et supra 1087 ipsum τί δῆτ' ἐρεῖς;

v. 1104 ἡττώμεθ' tres primae et codd. perpauci, ἡττήμεθ' RVMmn Dorvill. Barocc. Cantabr. primus et tertius, Harleianus, Parisin. A et alii libri septem. tum quatuor versus usque ad πρὸς ὑμᾶς iusto dant tres primae et Dorvillianus, Cantabr. tertius et Parisinus, personam ante ὦ κινούμενοι habent libri sex Phidippidae, πρὸς τῶν θεῶν codd. quinque, et ante ὦ κινούμενοι eandem personam novit et probat schol. RVAld. inepte quidem.

ibid. ὦ κινούμενοι libri omnes quod saepius legitur apud Aristophanem de pathicis, alii tamen malunt ὦ βινούμενοι praeeunte Dindorfio.

v. 1106 δέξασθέ μου θοἰμάτιον] Hermannus (sic) scholiastae explicationem a Brunckii iniuria optime defendit probante Dindorfio. de omni hac re ego ipse ad Thesmoph. p. 240 uberrime exposui. adde quos l. Kockius apte contulit Lucian. Hermotim. 23 et Horat. Carm. III. 16. 22.

v. 1085—1107] quo modo hi versus in ipsis codicibus dividantur latet. de ea re in recentibus Bekker solus ingenue fatetur ab se omissa esse quae de versibus continuandis dicenda erant sive dici potuerant (Praefat. p. VII). in Aldina v. 1085—1089 ἦν δ' — φράσον quatuor sunt senarii, praeterea duo versus 1096 et 1101 sunt senarii, ceteri autem dimetri. Aldinam ubique secutus Brunckius unum senarium v. 1099 ipse Hermannus, quem omnes editores ad hunc diem imitati sunt, Brunckio refutato v. 1085—1089 Aldinam expressit. restat ut et Hermanni divisionem versuum et nostram infra ponamus tironum potissimum causa. tetrametri iambici quinquaginta praecedunt, quorum postremus hic est ἕξει τινὰ γνώμην λέγειν τὸ μὴ εὐρύπρωκτος εἶναι. continuo autem v. 1085—1107 in Hermanni editione altera versus ita scripti sequuntur ita etiam divisi

ΑΔΙΚ. ἢν δ' εὐρύπρωκτος ᾖ, τί πείσεται κακόν;
ΔΙΚ. τί μὲν οὖν ἂν ἔτι μεῖζον πάθοι τούτου ποτέ;
ΑΔΙΚ. τί δῆτ' ἐρεῖς, ἢν τοῦτο νικηθῇς ἐμοῦ;
ΔΙΚ. σιγήσομαι. τί δ' ἄλλο; ΑΔΙΚ. φέρε δή μοι φράσον·
συνηγοροῦσιν ἐκ τίνων;
ΔΙΚ. ἐξ εὐρυπρώκτων. ΑΔΙΚ. πείθομαι.
τί δαί; τραγῳδοῦσ' ἐκ τίνων;
ΔΙΚ. ἐξ εὐρυπρώκτων. ΑΔΙΚ. εὖ λέγεις.
δημηγοροῦσι δ' ἐκ τίνων;
ΔΙΚ. ἐξ εὐρυπρώκτων. ΑΔΙΚ. ἆρα δῆτ'
ἔγνωκας, ὡς οὐδὲν λέγεις;
καὶ τῶν θεατῶν ὁπότεροι
πλείους, σκόπει. ΔΙΚ. καὶ δὴ σκοπῶ.
ΑΔΙΚ. τί δῆθ' ὁρᾷς;
ΔΙΚ. πολὺ πλείονας, νὴ τοὺς θεούς,
τοὺς εὐρυπρώκτους, τουτονὶ
γοῦν οἶδ' ἐγώ, κἀκεινονί,
καὶ τὸν κομήτην τουτονί.
ΑΔΙΚ. τί δῆτ' ἐρεῖς;
ΔΙΚ. ἡττήμεθ', ὦ κινούμενοι,
πρὸς τῶν θεῶν,
δέξασθέ μου θοἰμάτιον, ὡς
ἐξαυτομολῶ πρὸς ὑμᾶς.

itaque in Hermanni editionibus quinquaginta tetrametros excipiunt primum quatuor trimetri ac tum demum dimetrorum systemata. constans autem Aristophanis mos postulat, nulli ut trimetri ante dimetros interponantur. ubi autem novus sententiarum nascitur ordo, ibidem dimetri debent incipere, h. e. nostro loco continuo post tetrametrum

ἕξει τινὰ γνώμην λέγειν, τὸ μὴ εὐρύπρωκτος εἶναι.

his de causis locum ita restitui ut tetrametros dimetri soli sequantur. versu 1086 delevi glossam εὐρύπρωκτος quae trimetrum peperit. itaque mea sententia Aristophanes sic locutus est:

ΑΔΙΚ. ἢν δ' ᾖ, τί πείσεται κακόν;
ΔΙΚ. τί μὲν οὖν ἂν ἔτι μεῖζον πάθοι
τούτου ποτ' ἄν; ΑΔΙΚ. τί δῆτ' ἐρεῖς
ἢν τοῦτο νικηθῇς ἐμοῦ;
ΔΙΚ. σιγήσομαι.
τί δ' ἄλλο; ΑΔΙΚ. φέρε δή μοι φράσον·
συνηγοροῦσιν ἐκ τίνων;
ΔΙΚ. ἐξ εὐρυπρώκτων. ΑΔΙΚ. εὖ λέγεις.
δημηγοροῦσι δ' ἐκ τίνων;
ΔΙΚ. ἐξ εὐρυπρώκτων. ΑΔΙΚ. πείθομαι.
τί δαί; τραγῳδοῦσ' ἐκ τίνων;
ΔΙΚ. ἐξ εὐρυπρώκτων. ΑΔΙΚ. ἆρα δῆτ'
ἔγνωκας, ὡς οὐδὲν λέγεις;
καὶ τῶν θεατῶν ὁπότεροι
πλέονες σκόπει. ΔΙΚ. καὶ δὴ σκοπῶ.

ΑΔΙΚ. τί δῆθ' ὁρᾷς;
ΔΙΚ. πολὺ πλείονας, νὴ τοὺς θεούς,
τοὺς εὐρυπρώκτους. τουτονὶ
γοῦν οἶδ' ἐγὼ κἀκεινονὶ
καὶ τὸν κομήτην τουτονί.
ΑΔΙΚ. τί δῆτ' ἐρεῖς;
ΔΙΚ. ἡττήμεθ', ὦ κινούμενοι,
πρὸς τῶν θεῶν, δέξασθέ μου
θοἰμάτιον ὡς
ἐξαυτομολῶ πρὸς ὑμᾶς.

v. 1108—1133. hos versus, qui in primis Nubibus verbotenus positi erant, sed ab secunda editione procul abhorrent, a primo editore hic temere intrusos esse ego (De retract. fab. I p. 10—12) primum demonstravi eaque supra ad v. 879—885 partim repetii. Aristophanes vero si alteram editionem ipse perfecisset, continuo post v. 1107 (πρὸς ὑμᾶς) inseruisset chorum, nam antistropham eius chori, qui post v. 885 deest necdum a poeta scriptus est, et Hermannus et ego l. l. certatim coniecimus. minime tamen inde sequitur post v. 1108 coniecturae ope ‚haud dubie addendum esse ΧΟΡΟΥ' quae Bergkii (p. XX ed. rec.) opinio fuit. supra enim post v. 855 optimi codices et ipse scholiasta partim ΧΟΡΟΥ partim ΧΟΡΟΣ addunt, hic vero neutrum reperitur in ullo subsidio critico. quid, quod ante v. 1108 ΧΟΡΟΥ addendum esse primus editor diserte negavit, quippe qui huius chori loco epirrhema v. 1118 sqq. e primis Nubibus huc transtulerit. ita Bergkio ante v. 1108 ΧΟΡΟΥ inserenti omnes versus 1108—1133 delendi fuissent, quo nihil est absurdius. ceterum in prima editione, abs qua v. 886—1107 plane abfuerunt, continuo se excipere poterant hi duo versus 878 κἀκ—δοκεῖς et v. 1108 τί δῆτα; princeps autem Nubium II editor quum bene vidisset post v. 117 deesse chorum, v. 1118 sq. epirrhema h. e. partem chori e priore fabula sumptam huc transtulit. at cur cito trimetros v. 1108—1115 indidem sumtos epirrhemati praemisit? fortasse hoc facinus ille sciens prudensque commisit, ne necesse esset fabulam novis additamentis interpolare, id quod numquam facere ausus est. nam versus ille 1116 χωρεῖτε νῦν — μεταμελήσειν intelligi nequivisset, nisi trimetri cito praemitterentur. atque a primo editore sicubi peccatum est, non interpolando ille sed aut addendo peccavit aut omittendo, cuius rei exemplum mox ad v. 1118 adferemus. sed ad singulos versus transgredior.

v. 1108 interrogatio τί δῆτα; numquam ab novae rei initio, sed ubique in media ponitur oratione. tu vide ut his utar Nub. v. 1292, Eqq. 437, Eccles. 640, Eurip. Jone v. 253. tum πότερον tres primae, Mmn, Dorvillianus et Arundelianus, sed πότερα RV, Barocci, Harleii, Cantabr. primus et tertius cum uno Parisino recte. porro ἐπάγεσθαι tres primae, mn et (qui transponit ἐπάγεσθαι τοῦτον) M Bekkeri, ἐπάγεσθαι ipse R, Cantabrigensis tertius, secundus, quartus et quintus et Monacensis, sed ἀπάγεσθαι V Cantabr. primus et sextus codexque Arundelianus. scripturam ἀπάγεσθαι quum Kuster Ernestusque probassent, post Brunckium editores omnes receperunt. non dixerim tamen cum Hermanno (p. 190 pr.) ita ‚haud dubie scribendum esse'. nam e primis Nubibus locus male hic inculcatus est, id quod ego primus et solus docui. quodsi (ut paulo ante conieci) versus 878 et noster 1108 continuo ordine sese in primis Nubibus exceperant, sane ἀπάγεσθαι legendum erit, ut ego quoque edidi. sin autem in Nub. I Strepsiades modo dixerat se abiturum esse, tunc vero rectissime habebit τί δῆτα; πότερα τοῦτον ἐπάγεσθαι —. adde quod altera lectio ἀπάγεσθαι simillima est correctori. equidem ut et

ipse ἀπάγεσθαι ederem, mira et critico indigna ratione adductus sum, sola humanitate. nolebam primo editori, qui v. 1108—1133 iam satis superque peccavit, novum peccatum obtrudere. ille enim probata scriptura ἐπάγεσθαι hunc ipsum versum e media rerum sede sublatum pessime ab initio posuisset egissetque stultissime.

v. 1109. σοι tres primae, RVMmn aliique. in paucis libris pro eo σου vel τοῦ vel τὸ vel δὴ inventum est. correctores dativum non intellectum mutari voluerant.

v. 1111 στομώσεις tres primae, n Bekkeri et alii libri cum schol. ad v. 1159 et Suida sub οἷα recte, sed στομώσῃς RVMm, Cantabr. primus, tertius, quintus cum sexto, duo Parisini, Monacensis cum Suida 5. στομώσῃς. ibidem θάτερα tres primae, RVMmn et libri longe plurimi cum Suida 5. στομώσῃς et schol. Ald. ad v. 1150, sed θατέραν Cantabr. tertius et duo Parisini, quod vitium e proximis τὴν δ' ἑτέραν manavit.

Pollucem II, 100, qui hoc ipso l. utitur, comparanti videri potest iuvenis equorum amans et abhorrens ab Socrate similis esse dici equo ἑτερογνάθῳ.

v. 112. οἷαν δικιδίοις libri omnes cum Suida 5. στομώσῃς, qui sic explicat δυνατὴν καὶ ἔμπειρον εἰς τὸ λέγειν δίκας, sed οἷον δικιδίοις optime correxit Teuffelius, id quod cum Meinekio, Dindorfio et Kockio recepimus. confer varr. lectt. v. 1113.

v. 1113 στόμωσον om. m Bekkeri. tum οἷαν tres primae cum Suida l. l. et libri omnes praeter RV, qui οἷον hic exhibent.

v. 1115. Phidippidae personam (Φει) praefigunt tres primae, Mmn et libri omnes praeter Dorvillianum, in quo persona deest, et praeter R (fortassis etiam V): certe in R hic versus Strepsiadi datur, sed proxima χώρει — μεταμελήσειν Phidippidae. at Ravennatem ipse R refutat scholio hocce: ‚ἀπὸ κοινοῦ τὸ κομιεῖ'. haec enim qui scripsit, ante ὠχρὸν personam legerat Phidippidae. ita supra v. 1072 idem R in textu dat καχασμῶν, sed in scholio vet. —χλισμῶν. solet autem scholii scriptura antiquior esse quam contextus, id quod de RV tenendum est per totum Aristophanem. Strepsiadis personam unus mortalium defendit Dindorfius p. 184 Ox., quae non est cur quisquam refellat. caeteros non latuit hunc versum necessario tribuendum esse Phidippidi. tum ὠχρὸν μὲν οὖν οἶμαι καὶ tres primae, ὠχρὸν μὲν οὖν οἶμαί γε καὶ m Bekkeri et libri plerique, atqui tamen οἴομαί γε n, ὠχρὸν μὲν καὶ ἤδη καὶ (sic) M, sed ὠχρὸν μὲν οὖν ἔγωγε καὶ RV, quorum Dindorfius locum Vesp. v. 953 comparavit. priori lectione, quae οἶμαι habet, ideo uti non licet, quod οἶμαι ex v. 1116 temere inlatum est. altera lectio ἔγωγε requirit personam Strepsiadis ab hoc l. alienam, attamen vetustior est, ut emendatio qua opus est ab literis ΕΓΩΓΕ debeat proficisci. hinc ego id quod supra repositum est ἐγᾦδα iam olim in Euphros. l. l. p. 11 correxi. nam ἐγᾦδα et saepius οἶδα (velut in Soph. Electr. 354 et v. 400) prorsus ita ut in latina lingua ‚sat scio' mediae orationi solent interponi.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Ioannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiam Veteris Foederis enarrabit quinquies p. h. hora XII—I; 2) privatim Vaticinia Veteris Testamenti Messiana explicabit, quinis p. h. scholis hora XI—XII; 3) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur, die Lunae hh. VI—VIII vesp.

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies h. IX; 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinquies h. X tradet, et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Sat. h. XI et h. XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim de vita et doctrina apostolorum disseret quinquies p. h. hora VIII—IX; 2) privatim theologiam fundamentalem sive apologeticam docebit quinquies p. h. hora IX—X; 3) privatissime sed gratis exercitationes systematicas binis p. h. scholis die Iovis h. V—VII instituet.

Dr. Carolus Fridericus Noesgen, P. P. O., 1) privatim theologiam symbolicam quinquies p. h. h. III--IV docebit; 2) privatim evangelium Ioannis quinquies p. h. h. IV—V interpretabitur.

In ordine iuridico.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., 1) ius criminale Germanicum tradet senis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii horis VIII—X; 2) conversatorium offert de iure criminali die Iovis horis VIII—X; 3) electa et difficiliora iuris criminalis capita tractabit die Veneris h. VIII—X.

Dr. Franciscus Bernhoeft, P. P. O., h. t. Decanus, 1) institutiones iuris Romani tradet quater p. h. h. c.; 2) historiam iuris Romani docebit quater p. h. hora XII; 3) practicum quod vocant civile instituet die Martis h. V—VII.

Dr. Ioannes Merkel, P. P. O., 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et iura in re) senis p. h. scholis h. VIII—IX (die Veneris VII—IX); 2) ius hereditarium ternis p. h. scholis h. VII—VIII; 3) ius familiarum die Iovis VII—VIII docebit.

Dr. Victor Ehrenberg, P. P. O., 1) ius mercaturae cum iure cambiali et maritime senis p. h. scholis docebit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XI—XII, die Mercurii h. XI—I; 2) ius privatum Mecklenburgicum tradet quater p. h. diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII—I.

Dr. Edgar Loening, P. P. O. tradet 1) ius publicum Germanicum quinis p. h. scholis X—XI; 2) ius publicum Mecklenburgicum ternis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii IX—X; 3) encyclopaediam iuris universalis binis p. h. scholis diebus Martis et Veneris XI—XII.

In ordine medico.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem diebus Martis, Iovis, Saturni h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret die Mercurii h. X; 3) exercitationes practicas in clinico medico quinis diebus h. X moderabitur.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iovis h. III—IV; 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) cotidie hora IX—X tradet; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilelmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam diebus Martis, Iovis et Saturni hora IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris horis XII—I et dim. moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis reget.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora IX; 2) operationes quae in arte obstetricia adhibentur ope corporum artificialium exercendas moderabitur ter p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quater p. h. hora VIII moderabitur; 4) de partubus et aegrotis policlinicis disseret bis p. h. hora VIII.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., h. t. Rector, 1) pathologiam generalem (capite ad tumores spectante excepto) cotidie hora VII docebit; 2) cursum anatomiae et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora III—V; 3) exercitatiorum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata una cum Dr. Neelsen moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., h. t. Decanus, 1) de alimentis hominum disseret die Martis h. III—V; 2) pharmacognosim die Mercurii et Saturni h. XI—I; 3) privatissime exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio quotidie moderabitur.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., 1) orthopaediam tradet diebus Mercurii et Veneris h. IX—X; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Iovis, Saturni h. XI et dimid. — I; 3) cursum operationum chirurgicarum moderabitur quotidie h. V—VII.

Dr. Albertus de Brunn, P. P. O., 1) privatim osteologiam et syndesmologiam tradet dd. Lunae, Mercurii, Veneris h. VII; 2) anatomiam topographicam dd. Martis, Iovis, Saturni h. VII; 3) anatomiae systematicae partem II docebit quotidie h. XII; 4) de anatomia generali disseret nec non exercitationes microscopicas habebit dd. Lunae, Mercurii, Veneris, Saturni h. XI.

Dr. Iulius Uffelmann, P. P. E., 1) hygienen privatam et publicam ter per hebdomadem privatim; 2) hygienen infantium bis per hebdomadem privatim; 3) hygienen scholarum semel per hebdomadem publice tractabit.

Dr. Guilelmus Brummerstaedt, mulierum morbos ternis p. h. horis docebit.

Dr. Fridericus Neelsen, 1) tumorum et pathologiam et histologiam bis per hebd. docebit.; 2) exercitatiorum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata una cum Dr. Alb. Thierfelder moderabitur.

Dr. Theodorus Gies, fracturas et luxationes bis per hebdomadem docebit.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim Aeschyli Prometheum interpretabitur bis p. h. h. XI.

Dr. Ioannes Roeper, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

Dr. Fridericus Guilelmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam saeculi XVII et XVIII narrabit quinis diebus h. XII; 2) privatim historiam reipublicae Romanae ab anno 133 ante Chr. nat. usque ad annum 14 post Chr. nat. bis p. h. h. XI; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet bis p. h.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) Logicen et Metaphysicen ter p. hebd. diebus Mercurii, Iovis et Veneris hora III—IV; 2) Aestheticen ter p. hebd. diebus Lunae, Martis et Mercurii hora V—VI; 3) historiam philosophiae qualis recentioribus temporibus exculta est quater p. hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris h. IV—V docebit.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim syntaxin linguae theodiscae docebit quater p. h. diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora IX; 2) privatim historiam litterarum Provincialium tradet bis p. h. diebus Martis et Veneris h. X; 3) exercitationes Seminarii germano-philologici moderari perget, quibus libri ex seminarii bibliotheca perlustrabuntur deinde „Erec“ poema Hartmanni ab Aue tractabitur, bis p. h. diebus Mercurii et Saturni horis IX—XI.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam anorganicam quinquies per hebd. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. hebd. moderabitur.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem primam docebit quinquies p. h. hora VIII; 2) dioptricam systematis ex superficiebus sphäricis centratis compositi tractabit bis p. h.; 3) exercitationes physices practicae quaternis per hebdomadem diebus instituet hora III—VI; publice 4) exercitationes Seminarii physicalis moderari perget die Saturni horis X et XI.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., privatim 1) theoriam functionum ellipticarum docebit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora XI; 2) privatim calculum differentialem et integralem tractabit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora XII; 3) publice exercitationes Seminarii mathematici moderari perget.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., privatim 1) syntaxin linguae hebraicae bis p. h. docebit; 2) lectionem quae dicitur cursoria librorum Exodi et Numerorum bis p. h. moderabitur.

Dr. Hermannus Paasche, P. P. O., privatim 1) oeconomiae politicae practicam partem docebit diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris hora XII; 2) de reditibus publicis disseret quater per hebd. h. def.; 3) de pecunia et rebus creditis disseret diebus Martis et Iovis hora VI.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim geologiam tractabit sexies p. h. horis VII—VIII et IX—X diebus Lunae Martis et Mercurii; 2) privatim petrographiam docebit ter p. h. horis XI—XII diebus Lunae, Martis et Mercurii; 3) privatim crystallographiam moderabitur bis p. h. horis constituendis; 4) excursiones geologicas ducet die Saturni horis postmeridianis.

Dr. Alexander Goette, P. P. O., 1) privatim zoologiam tractabit quinis horis dierum Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. XI; 2) privatim exercitationes zootomicas quinis horis p. h. moderabitur; 3) privatissime instructiorum studia in instituto zoologico curabit quotidie.

Dr. Gustavus Koerte, P. P. O., 1) Atticae antiquae inprimis urbis Athenarum topographiam tradet quaternis diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. V; 2) de artium monumentis ad cyclum Thebanum spectantibus disseret una cum exercitationibus archaeologicis binis diebus Lunae et Martis h. VIII 3) Philostratorum „imagines“ interpretabitur binis diebus Iovis et Veneris h. VIII.

Dr. Carolus Goebel, P. P. O., 1) phytologiam generalem quinquies per hebd. hor. VII; 2) determinationem plantarum duabus per hebd. hor.; 3) plantarum inferiorum historiam duab. p. h. h. docebit.

Dr. Fridericus Leo, P. P. O., 1) publico officio seminarii philologici sodalibus interpretandam proponet Euripidis Alcestin die Lunae h. VI; Senecae patris opus rhetoricum die Iovis h. IV; sodalium disputationes moderabitur die Lunae h. VII; sodalium non ordinariorum exercitationibus de Vergili eclogis praeerit die Ven. h. X; 2) privatim Thucydidis historiam enarrabit diebus Lunae, Mercurii, Iovis h. XI; 3) privatim Plauti Menaechmos tractabit dieb. Lunae, Martis, Iovis h. X.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E. 1) plantarum culturae qualis nunc fit rusticarum elementa tradet quaternis horis p. h.; 2) de animalibus, quorum in re rustica usus est, alendis aget binis horis p. h.

Dr. Carolus Weinholtz, 1) logicam ideisticam ex compendio suo; 2) differentias notionum ideisticarum et empiricarum docebit.

Dr. Iulius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam litterarum francogallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae a saeculo XII disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner, 1) capita selecta ex Bartschii libro „Altfranzösische Chrestomathie“ bis p. h. privatim explicabit; 2) exercitationes Anglicas moderabitur semel p. h. gratis.

Dr. Hermannus Kretzschmar, socios seminarii theologici cantica liturgica docebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii** officiis destinatum h. XI—XII cotidie patebit, **musea** autem suo quodque tempore commilitonibus aliisque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cotidie h. XI—XII, zoologicum item cotidie patebit adituris arcessito instituti zoologici ministro. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales velut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur
Albertus Thierfelder, Med. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Ioannes Bachmann,** Th. Dr.
Iurisconsultorum **Franciscus Bernhoeft,** I. U. Dr.
Medicorum **Otto Nasse,** M. Dr.
Philosophorum **Eugenius Geinitz,** Ph. Dr.

INDEX
LECTIONUM
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXXIV/V

AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE NUMERIS DOCHMIACIS
PARTICULAM TERTIAM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Quum ante hos decem annos Aeschyli parodum sive primum carmen in tragoedia Septem adv. Thebas v. 78—162 ed. Herm. primum ederem, hoc maxime propositum erat, ut G. Dindorfi commenta refutarem. Nam ego ipse etsi coniecturas quasdam novas addidi paene invitus: tamen ne iustam illius chori recensionem proponere auderem, quum rei difficultas tum brevitas temporis impedimento fuit. Sed meum fuerat in locis mendosis coniecturas addere meliores, quam Dindorfius, qui suas opiniones aliis nusquam invidit. Itaque ut primum plus otii nactus sum, primam editionem meam curis secundis diligentius retractavi. Male nata expunxi, supplevi omissa, initiata perfeci; tamen hoc est perficere, quae in codice Laurentiano desunt, ea cum summo erroris periculo adicere. At verendum erat, ne solus sapere mihi viderer, quum tot summi critici de hoc carmine apertissime errassent. Hanc ob causam mea recensio diu in scriniis meis latuit. Quam ne nunc quidem evulgassem, nisi mihi de dimetro dochmiaco scribendum esset, in qua disputatione hic ipse chorus momenti est longe maximi.

Quum hanc disputationem rite absolvero, curabo ut de hoc ipso Aeschyli choro etiam adnotatio critica addatur. Ita intelligi poterit, me in carmine (ut potui) restituendo summam adhibuisse diligentiam. Restat, ut chorum ipsum Aeschyli infra ponamus.

ΧΟΡΟΣ ΠΑΡΘΕΝΩΝ.

Προῳδός.

[Δαιμόνια] θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη·
μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών·
ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας,
αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ',
ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.
δι' ⏑ ⏑ – βοᾷ πεδί' ὅπλων κτύπος,
πρὸς οὖς χρίμπτεται, ποτᾶται· βρέμει δ'
ἀμαχέτου δίκαν ὕδατος ὀροτύπου.
ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαί τ', ὀρόμενον
κακὸν ἀλεύσατε.
βοᾷ ὑπὲρ τειχέων ὁ λευκασπίστωρ
ὄρνυται λεὼς εὐπετὴς
ἐπὶ πόλιν διώκων.
τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει
θεῶν ἢ θεᾶν;

πότερα δῆτ᾽ ἐγὼ ποτιπέσω βρέτη
δαιμόνων; ἰὼ μάκαρες εὔεδροι
ἀκμάζει βρετέων
ἔχεσθαι· τί μέλλομεν ἀγάστονοι;
ἀκούετ᾽ ἢ οὐκ ἀκούετ᾽ ἀσπίδων κτύπον;
πέπλων καὶ στεφέων,
εἰ μὴ νῦν, πότ᾽ ἀμφὶ λιτάν᾽ ἕξομεν;
κτύπον δέδορκα· πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός.
τί ῥέξεις; προδώσεις, παλαίχθων
Ἄρης, τὰν τεὰν γᾶν;
ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδ᾽ ἔπιδε πόλιν,
ἅν ποτ᾽ εὐφιλήταν ἔθου.
θεοὶ πολιάοχοι, χθονὸς [ἐπίρροθοι]
ἴδετε πάντες [ὧδ᾽], ἴδετε παρθένων
ἱκέσιον λόχον δουλοσύνας ὕπερ.
κῦμα γὰρ [μέγα] περὶ πτόλιν δοχμολόφαν ἀνδρῶν
καχλάζει πνοαῖς Ἄρεος ὀρόμενον.

Στροφὴ α΄.

Ἀλλ᾽ ὦ Ζεῦ πάτερ, παντελὲς [ἐν μάχαις]
πάντως ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν.
Ἀργεῖοι γὰρ πόλισμα Κάδμου
κυκλοῦνται. φόβος δ᾽ ἀρήων ὅπλων·
διάδετοι δέ τοι γένυος ἱππίας
κινύρονται φόνον χαλινοί.
ἑπτὰ δ᾽ ἀνάκτορες πρέποντες στρατοῦ
δορυσσῷ σάγᾳ πύλαις ἑβδόμαις
προσίστανται πάλῳ λαχόντες.
σύ τ᾽, ὦ Διόγενες φιλόμαχον κράτος
ῥυσίπολις γενοῦ, Παλλάς, ὅ θ᾽ ἵππιος
ποντομέδων ἄναξ
ἰχθυβόλῳ μαχανᾷ, Ποσειδᾶν,
ἐπίλυσιν φόβων, ἐπίλυσιν δίδου.

Ἀντίστροφος α΄.

Σάν τ᾽, Ἄρης, πόλιν Κάδμου ἐπώνυμον,
φεῦ φεῦ, φύλαξον κήδεσαί τ᾽ ἐναργῶς.
Κύπρις θ᾽, ἅ καὶ γένους προμάτωρ,
ἄλευσον· σέθεν μὲν ἐξ αἵματος
γεγόναμεν, λιταῖς σὲ δὲ θεοκλύτοις
ἀΰτοῦσαι πελαζόμεσθα.
[ἑπτὰ δ᾽ ἀνάκτορες πρέποντες στρατοῦ
δορυσσῷ σάγᾳ πύλαις ἑβδόμαις
προσίστανται πάλῳ λαχόντες.]
καὶ σὺ, Λύκει᾽ ἄναξ, στρατῷ δαΐῳ

Λύκειος γενοῦ, σύ τ' Ἄρτεμι φίλα
Λατογενὲς κόρα
[οἰκτιζομένα] στόνων ἀϋτᾶς
εὐτύκασον ‿ – ⏑́ ‿ ‿ τόξα σου.

Στροφὴ β'.

ἒ ἒ ἒ ἒ,
ὄτοβον ἁρμάτων ἀμφὶ πόλιν κλύω
ὦ πότνι' Ἥρα.
ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χνόαι.
Ἄρτεμι φίλα ἒ ἕ.
δοριτίνακτος αἰθὴρ δ' ἐπιμαίνεται.
τί πόλις ἄμμι πάσχει; τί γενήσεται;
ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός;

Ἀντίστροφος β'.

ἒ ἒ ἒ ἒ,
ἀκροβόλων δ' ἐπάλξεων λιθὰς ἔρχεται.
ὦ φίλ' Ἄπολλον.
κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων.
ὡς Διόθεν [μόλοι]
πολεμόκραντον ἁγνὸν τέλος ἐν μάχᾳ.
σύ τε, μάκαιρ' ἄνασσ' Ὄγκα, πρὸ πόλεως
ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύου.

Στροφὴ γ'.

Ἰὼ παναλκεῖς θεοί,
ἰὼ τέλειοι τέλειαί τε γᾶς τᾶσδε πυργοφύλακες
πόλιν δορίπονον μὴ προδῶθ' ἑτεροφώνῳ στρατῷ.
κλύετε παρθένων κλύετε πανδίκως
χειροτόνους λιτάς.

Ἀντίστροφος γ'.

Ἰὼ φίλοι δαίμονες,
λυτήριά τ' ἀμφιβάντες πόλιν, δείξαθ' ὡς φιλοπόλεις,
μέλεσθέ θ' ἱερῶν δημίων, μελόμενοι δ' ἔλθετε·
φιλοθύτων δέ τοι πόλεος ὀργίων
μνήστορες ἔστε μοι.

De numeris dochmiacis

particula III. *)

Quum Thaletas Creticus amphimacrum pedem sive creticum e trochaico metro erutum primus inveniret: ipsi trochaei in dipodias hoc modo dividi solebant:

οἱ γέροντες | οἱ παλαιοὶ | μεμφόμεσθα | τῇ πόλει

(Aristoph. Acharn. v. 646).

Floruit Thaletas circiter anno septingentesimo ante Christum, triginta fere annis prius quam florere Alcaeus inciperet. Cretici numeri inventor servavit ille quidem dipodias trochaicas, sed post unumquemque rhythmum adhibuit silentium unius temporis (σιωπήν). Thaletam ipse Aeschylus ducem sequitur in Suppl. 405:

φρόντισον | καὶ γενοῦ | πανδίκως
εὐσεβὴς | πρόξενος | et sic porro.

Creticum initio non quinque, sed ut dipodiam trochaicam senorum temporum fuisse testatur Heliodorus ap. schol. ad Hephaest. p. 77 Gaisf. (ed. sec.): Ἡλιόδωρος δέ φησι κοσμίαν εἶναι τῶν παιωνικῶν τὴν κατὰ πόδα τομήν, ὅπως ἡ ἀνάπαυσις διδοῦσα χρόνον ἐξασήμους τὰς βάσεις ποιῇ καὶ ἰσομερεῖς ὡς τὰς ἄλλας, οἷον· οὐδὲ τῷ Κνωκάλῳ οὐδὲ τῷ Νυρσύλᾳ (lyrici ambigui versus, sive Stesichori, sive ut Bergkio videtur Alcmanis). Postquam autem cretici numeri plane sui iuris facti sunt, creticus pes non iam sex sed quinque tempora habere coepit, nisi quod in tetrametro caesura totius versus secundum pedem uno auxit tempore. Nam primitus caesuram habuerant cretici post pedes singulos, quemadmodum (ut primus optime docuit Seidler De Vv. D. p. XX et p. 137) bacchiaci pedes singuli ubique una cum verbo terminantur. Omnino de graecis poetis fortassis recte iudicavit Hephaestio c. XIII p. 82 τὸ δὲ βακχιακὸν σπάνιόν ἐστιν, ὥστε εἰ καί πού ποτε ἐμπέσοι ἐπὶ βραχὺ εὑρίσκεσθαι —. Quid quod Hermanno in El. D. M. p. 292 dubium visum est, num Graeci usi sint versibus bacchiacis: qui aliquid vidit, verum ipsum non assecutus est. Nam id quod e superiore loco Heliodori sine dubio sequitur qui videntur bacchiaci esse ut

τί ῥέξεις; | προδώσεις | παλαίχθων |

initio fuerunt antispasti, ut

⏑ –́ –́ ⏑ | ⏑ –́ –́ ⏑ | ⏑ –́ –́ ⏑ |

cum ultimae antispastorum syllabae silentio. At Plautus iustos baccheos, ut tetrametros

⏑ –́ –́ | ⏑ –́ –́ | ⏑ –́ – ⏑ –́ –

canticis tantum non ubique inseruit. Quo auctore id Plautus fecerit nescimus. Fortasse tamen comici novi ut Menander id praeiverant, quos poetas Hephaestio parum legerat. Hinc antispasti singuli ponuntur, plures non possunt sese excipere, nisi quando omnes antispastorum syllabae longae solvuntur, cujusmodi exemplum Hermannus in Epit. D. M. p. 80 ed. sec. ex Aeschylo attulit. Saepe antispastus aliis numeris antecedit, qui si a brevi syllaba incipiunt, ultima antispasti syllaba non potest corripi, sed longa esse debet.

---

*) Particula prima continetur Indice aestivo a. 1874, secunda Indice hiberno a. 1874/75.

Velut iambica penthemimeris ubicumque cum antispasto consociatur, ultima antispasti syllaba producenda est hoc modo

⏒ ⏕́ –́ – | ⏑ –́ ⏑ – ⏒

vide Seidlerum De M. D. p. 28. Si quae loca obstare videntur, corrupta sunt, ut Aeschylus Pers. 280

ἔκτισαν εὔνιδας ἠδ’ ἀνάνδρους,

quam degeneratum esse liquet e strophico v. 277

ἔθεσαν, αἰαῖ, στρατοῦ φθαρέντος

neque Aeschylus pro hoc versu ponere potuit logaoedicum. Tam difficile graecis poetis visum est plures antispastos continuare, quod nisi solutis omnibus antispasti syllabis effici non potuit. Quare ipsos antispastos mutarunt nunc ut pro brevi syllaba antispasti ultima constanter longam ponerent, nunc ut ultima hac ne uterentur quidem, sed silentium unius morae substituerent, id est ut pro antispasto ponerent bacchium. Tandem ratio inita est, quemadmodum ex antispasto ⏑ –́ –́ ⏑ novus existere numerus posset isque dochmiacus. Dividebatur antispastus in iambum et trochaeum ⏑ –́ | –́ ⏑, cui si alter trochaeus in longam desinens adderetur, tales antispasti iure continuari sic potuerunt

⏑ –́ –́ ⏑ – – | ⏑ –́ –́ ⏑ – –.

Ac profecto tales versus intra dochmiorum systemata reperiuntur, sed plerumque singuli, qui systematis sunt clausulae, ut

ἐπὶ πόλιν διώκων

(Aesch. Sept. v. 90).

Vixit autem dochmiorum inventor circa sexcentesimum annum ante Ch. n., hoc est toto saeculo post Thaletam Creticum, cuius invento callide usus est. Thaletas Creticum novum tunc metri genus ita repererat, ut trochaicae dipodiae

–́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ⏑

ultimam rescinderet et silentio pausaque compensaret

–́ ⏑ – | ´ ⏑ –.

Hoc dochmiorum inventor plane imitatus est in antispasti parte altera, quae est trochaica. Mutavit antispasti unum trochaeum ⏑ –́ | –́ ⏑ in dipodiam trochaicam eiusque ultimam resecuit atque unius syllabae brevis silentium introduxit. Hinc dochmiaci versus in ipso fine plerumque habent caesuram, veluti dimeter

⏑ –́ –́ ⏑ – | ⏑ –́ –́ ⏑.

Hermannus Epit. D. M. p. 86 optime vidit dochmium ex antispasto natum ipsumque genus esse antispasti, sed quintam syllabam longam antispasto adjectam minime enucleavit, nam dochmios dixit ‚constare ex antispasto hypercatalecto‘. Respondit Dindorfius (De Metris p. 45) hoc antispasti ‚genus foedum esse et inauditum!‘ Sane dignissima res fuit, de qua Hermannus diligentius cogitaret. Nunc Dindorfius aliique ne illud quidem concesserunt, dochmium antispastum esse, sed ipsi ad nugas maluerunt descendere. Creticus quum e dipodia trochaica ortus sit, cujus posterior tantum pes non item prior potest spondeus esse: sequitur, mediam cretici syllabam non esse aucipitem neque cretico substitui molossum. Quid ergo est, quod dochmios in molossum exeuntes (hoc est, ⏑ –́ –́ – –) certae fidei esse Seidlerus demonstravit? Omnino dochmii plerumque in creticum desinunt (⏑ –́ –́ ⏑ –), neque qui in molossum exeunt nisi raro inveniuntur, sed inveniuntur tamen. Hic cavendum est, ne Thaletae creticus pes incautos decipiat oblitos nos nunc non in cretico metro sed in numeris versari dochmiacis. Sed dochmius

quod in fine una syllaba longa auctus est similiter atque creticus oriens, eo minime ipse quoque in creticum mutatur sed non desinit esse antispastus. Qui quum saepe in longam exeat ⏑ –́ –́ –, tum in iis antispastis, qui intra dochmios ante iambicam penthemimerim locati sunt, ultima antispasti syllaba semper fere producitur, veluti προσίστανται πάλιν λαχόντες. Contra iambica pars ubi praecedit, in brevem syllabam exire potest, si antispastus sive dochmius a longa incipiens continuo sequitur, ut in Prometheo v. 580 et antistr. v. 600. Purus antispastus saepe ante choriambum ponitur (ut in Arist. Nub. 18 καὶ ταύτην σοφώτατ᾽ ἔχειν) et ante creticum (ut ibid. v. 514 πρὸς ὑμᾶς ἐλευθέρως). At si plures continuantur puri antispasti numerum ipsum perdunt nascente alio numero, qui haud absimilis est dactylo logaoedico. Quare in continuis his versibus brevis syllaba antispasti ultima silentio reticetur pausa interposita: quo facto ad speciem ex antispastis fiunt bachii, ut τί ῥέξεις; | προδώσεις | παλαίχθων | —. Ceterum ultimam syllabam antispasti ancipitem esse ex eaque re hocce dochmiacum genus ⏑ –́ –́ – – explicandum esse docuit Seidler De V. D. p. 28, in cuius sententia mallem Hermannus El. D. M. p. 241 plane acquiesset. In summa tamen re Hermannus atque Seidler prorsus consentiunt: dochmium enim nihil aliud esse demonstrant nisi antispastum. Eodem modo quum alii ex veteribus judicarunt tum auctor fide dignus Hephaestio c. X περὶ ἀντισπαστικοῦ p. 60 — καὶ ἔστιν ἐπίσημα ἐν αὐτῷ τάδε· πενθημιμερὲς μὲν, τὸ καλούμενον δοχμιακὸν, οἷον — (sequitur dimeter dochmiacus). Tum testatur Etymologus M. p. 285, 25 Δοχμιακός· εἶδος μέτρου ἀντισπαστικοῦ· ἔστι δὲ μονόμετρον ὑπερκατάληκτον· — Ex eodem fonte atque Etymologus haec hausit et scholiasta Hephaestionis p. 60 ἰστέον ὅτι τὸ δοχμιακὸν σύγκειται ἐξ ἀντισπάστου καὶ συλλαβῆς, ὡς πρὸς τὸν μετρικὸν χαρακτῆρα. οἱ μέντοι μετρικοὶ (sic. at voluit ῥυθμικοὶ) τὸ πᾶν μέτρον ὡς μίαν συζυγίαν λαμβάνοντες δοχμιακὸν ὀνομάζουσι διὰ τὴν τοιαύτην αἰτίαν· (sequitur eadem rei expositio, quae apud Etymologum invenitur). Sed omittamus testimonia, rem ipsam videamus. Dochmiorum formas Seidler enumeravit octo et quadraginta, ex quibus triginta circiter formas Hermannus docuit vere usurpatas esse. Tanta varietas in nullum aliud numerorum genus cadit nisi ejus numeri, unde vere petita est, in antispasticum (id est ⏑ –́ –́ ⏑), cuius formas constat diversissimas esse. Deinde si dochmii continui recitantur, numerus sponte auribus ita insinuatur, ut ubique antispastum audiamus paene inviti. Denique primam dochmii speciem antispasticam fuisse veteres auctores docent exemplis. Nam Hephaestio p. 61 hanc dimetri formam posuit

⏑ –́ –́ ⏑ – | ⏑ –́ –́ ⏑ –

et vetus scholiasta ad Aeschyli Septem v. 100 item hanc monometri ⏑ –́ –́ ⏑ –. Ex Eurip. Phoeniss. v. 315 et Cicero in Oratore c. 65 dochmium prorsus eodem modo describit. Ceterum Aristides Quintilianus p. 39 ostendit etiam glyconeos versus ‚dochmiorum‘ nomine olim adpellatos esse. Dicit manifesto glyconeos polyschematistos, quos ipsos quoque initio ante choriambum habere antispastum hoc modo

⏑ –́ –́ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ –

et tantam formarum varietatem ex ipso antispasti more natam esse infra demonstrabo.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Ioannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Psalmos interpretabitur, quinis p. h. scholis hora XII—I; 2) privatim Vaticinia Obadjae Ioelis Amosi et Michae explicabit, quater p. h. hora XI — XII; 3) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur binis p. h. scholis, die Lunae hora VI—VIII.

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies p. h. h. IX, 2) privatim historiam dogmatum quinquies p. h. h. X tradet, et 3) exercitationes catecheticas in Seminario die Sat. h. XI et XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) theologiam biblicam veteris et novi Testamenti quinquies p. h. hora VIII—IX, 2) privatim theologiam dogmaticam quinquies p. h. hora IX—X tradet; 3) privatissime sed gratis exercitationes systematicas binis p. h. scholis die Iovis h. V—VII instituet.

Dr. Carolus Fridericus Nösgen, P. P. O., 1) privatim epistolarum Pauli ad Timotheum et Titum exegesin fundamentaque theologiae pastoralis in iisdem jacta quinis p. h. scholis hor. III—IV demonstrabit; 2) privatim evangelium Lucae quinis p. h. scholis hor. IV—V interpretabitur.

In ordine iuridico.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., h. t. Rector, 1) theoriam processus civilis Imperii Germanici docebit senis p. h. scholis hh. XI—I; 2) processus summarios nec non procedendi in concursu creditorum modum binis per h. scholis tractabit hh. XI—I; 3) conversatorium proponit de processus civilis praeceptis binis p. h. scholis hh. XI—I.

Dr. Franciscus Bernhöft, P. P. O., 1) pandectarum partem primam (praecepta generalia et iura in re) senis p. h. scholis h. c. tradet; 2) pandectarum partem tertiam (ius hereditarium) quaternis p. h. scholis h. XI docebit; 3) exercitationes exegeticas binis p. h. scholis die Martis h. V—VII instituet.

Dr. Ioannes Merkel, P. P. O., h. t. Decanus, 1) institutiones iuris Romani explicabit quaternis p. h. horis die Lunae, Martis, Mercurii, Iovis h. IX—X; 2) historiam iuris Romani docebit ternis p. h. horis die Lunae, Martis, Mercurii X—XI; 3) praecepta iuris Romani de ordine iudiciorum privatorum tradet die Lunae h. XI—XII et die Iovis h. X—XI; 4) exercitationes iuris civilis practicas instituet binis p. h. horis die Veneris IX—XI.

Dr. Victor Ehrenberg, P. P. O., 1) ius privatum Germanicum exponet quinis p. h. scholis h. IV; 2) iuris feudalis tam communis quam Mecklenburgici praecepta tradet bis p. h. die Lunae et Veneris h. III; 3) ius maritimum bis p. h. die Martis et Iovis docebit h. III; 4) ius societatum, quae »Actiengesellschaften« appellantur, semel p. h. tractabit die Mercurii h. III.

Dr. Edgar Loening, P. P. O., 1) theoriam processus criminalis Imperii Germanici quinis p. h. scholis docebit h. IX—X; 2) ius ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum tractabit quinis p. h. scholis h. X—XI; 3) exercitationes iuris criminalis et processus criminalis practicus instituet binis p. h. horis definiendis.

In ordine medico.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem diebus Martis, Iovis et Saturni h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret die Mercurii h. X; 3) exercitationes practicas in clinico medico moderabitur diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris et Saturni h. X.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iovis h. III—IV; 2) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) cotidie hora IX—X tradet; 3) publice generationis et evolutionis historiam exponet diebus Mercurii et Saturni hora III—IV; 4) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilelmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hor. XII—I et dim.; 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quater p. h. moderabitur hora VIII; 2) de partubus et aegrotis policlinicis disseret bis per hebd. hora VIII; 3) mulierum morbos ter p. h. hora IX; 4) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., h. t. Decanus, 1) anatomiam pathologicam specialem (morbis exceptis hepatis, lienis, glandularum lymphaticarum) cotidie hora VIII docebit; 2) cursum anatomiae et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dim.; 3) exercitatiorum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata una cum Dr. Neelsen moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., 1) chemiam physiologicam et pathologicam docebit diebus Iov. h. III—V, Veneris h. IV—V; 2) pharmacologiam diebus Lunae et Martis h. IV—VI tractabit; 3) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio cotidie moderabitur; 4) colloquium de rebus physiologicis et pharmakologicis offert d. Mercurii h. VI—VIII.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., 1) chirurgiam specialem tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Iovis, Saturni h. XI et dim. —I.

Dr. Albertus de Brunn, P. P. O., 1) privatim osteologiam et syndesmologiam tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. III; 2) privatim anatomiae systematicae partem primam docebit cotidie h. XII; 3) privatissime exercitationes anatomicas cotidie hora IX—I moderabitur; 4) privatissime histologiam specialem organ. corp. hum., nec non exercitationes practicas tractabit quater per hebdomadem.

Dr. Iulius Uffelmann, P. P. E., 1) infantium morbos quater per hebdomadem privatim; 2) hygienen ter per hebdomadem privatim; 3) disciplinam diaeteticam bis per hebdomadem privatim tractabit et 4) cursum practicum hygienes bis per hebdomadem moderabitur privatissime.

Dr. Fridericus Neelsen, P. P. E., 1) hepatis, splenis glandularum lymphaticarum, sanguinis pathologiam specialem docebit bis per hebd.; 2) exercitatiorum studia et experimentis et exquisitionibus pathologicis dicata una cum Dr. Alb. Thierfelder moderabitur.

Dr. Guilelmus Brummerstaedt, cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ternis per hebdomadem horis docebit.

Dr. Theodorus Gies, chirurgiam minorem cum operationibus in cadaveribus instituendis, diebus Martis et Iovis hora IV—V tractabit.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim Pindari carmina Olympica interpretabitur bis p. h. h. XI.

Dr. Ioannes Roeper, P. P. O., lectiones non habebit.

Dr. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., privatim 1) historiam medii aevi usque ad exitum generis Staufici enarrabit quinis diebus h. XII; 2) historiam Graecorum a bello Peloponnesio usque ad Alexandri Magni tempora deducet binis diebus h. XI; publice 3) Seminarii historici exercitationes moderari perget binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam paedagogices, qualis recentioribus temporibus exculta est, ter p. h. diebus Mercurii, Iovis, Veneris h. III—IV; 2) historiam philosophiae antiquae quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris h. IV—V; 3) Religionis philosophiam ter p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. V—VI tradet.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim Godofredi Argentoratensis poëma »Tristan« interpretabitur diebus Martis, Iovis, Veneris hora IX; 2) privatim tertiam partem grammaticae linguarum romanarum tradet, quae pertinet ad verborum formationem diebus Martis et Veneris h. X; 3) privatissime cum sodalibus exercitationes instituet de Germanorum arte poëtica et eorum historia literarum bis p. hebd. horis adhuc definiendis; 4) exercitationes Seminarii germanici moderari perget, quibus liber quintus ex Wolframi poëmate Parzival legetur deinde Iacobi Grimmii praefatio ad lexicon theodiscum tractabitur diebus Mercurii et Saturni horis IX—XI.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebd. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebd. moderabitur; 3) publice de praeparatis chemicis officinarum bis per hebd. disseret; 4) publice colloquim chemicum diriget bis per hebd.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinquies per hebd. hora V; 2) exercitationes physices practicae solito more instituet; publice 3) exercitationes Seminarii physicalis moderari perget binis horis.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., privatim 1) introductionem in analysin infinitorum leget diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora XII; 2) algebren superiorem tractabit iisdem diebus hora XI; 3) introductionem in theoriam functionum hyperellipticarum die Mercurii hora XI et XII; publice 4) exercitationes seminarii mathematici diriget bis per hebd. horis defin.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., 1) privatim vaticinia prophetarum Haggai, Zachariae et Maleachi ter p. h. explicabit; 2) privatim grammaticam linguae arabicae non sine interpretandi exercitationibus bis p. h. docebit.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., 1) mineralogiae elementa tractabit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. IX—X ac Saturni h. VIII—X; 2) geognosiam Germaniae septemtrionalis docebit die Mercurii h. VIII—X; 3) capita electa geographiae physicae diebus Lunae et Iovis h. VI—VII legit; 4) exercitationes mineralogicas et geologicas in instituto per omnes dies habebit.

Dr. Alexander Goette, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim vertebratorum historiam naturalem tractabit quinquies h. IV—V; 2) privatim de evertebratorum evolutionis historia disseret quaternis horis diebus Mercurii et Saturni h. XI—I; 3) privatissime et gratis instructiorum studia in instituto zoologico moderabitur cotidie.

Dr. Gustavus Koerte, P. P. O., 1) artium plasticarum apud Graecos historiam usque ad Alexandri Magni tempora enarrabit privatim quaternis scholis; 2) mythologiam Graecam tractabit privatim quaternis scholis; 3) exercitationes archaeologicas moderari perget privatissime sed gratis binis scholis.

Dr. Carolus Goebel, P. P. O., 1) systema plantarum quinque per hebd. hor. docebit; 2) laboratorio botanico praeerit.

Dr. Fridericus Leo, P. P. O., 1) seminarii philologici sodalibus interpretandum proponet libellum de sublimitate die Lunae h. VI; Tibulli carmina die Iovis h. IV; sodalium disputationes moderabitur die Lunae h. VII; sodalium non ordinariorum exercitationibus de Aristophanis Ranis praeerit die Veneris h. X; 2) privatim Sophoclis Electram enarrabit diebus Lunae, Mercurii, Iovis h. XI; 3) Horati carmina tractabit diebus Lunae, Iovis h. X; 4) de publicis Atticorum titulis exercitationes instituet die Martis h. X.

Dr. Guilielmus Stieda, P. P. O. design., 1) oeconomiae politicae partem specialem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. XI; 2) artis statisticae partes historicam, theoreticam, practicam tractabit d. Martis, Mercurii et Iovis h. XI; 3) privatissime exercitationes oeconomicas et statisticas moderabitur die Veneris h. V—VII.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., privatim practicum agrario-chemico-physiologicum quinquies p. h. regit.

Dr. Carolus Weinholtz, privatim, 1) scientiam ideisticam docebit; 2) differentias notionum ideisticarum et empiricarum docebit.

Dr. Iulius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam litterarum francogallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae inde a saeculo XII disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner, 1) bis p. h. Li dis dou vrai aniel ex editione Tobleri interpretabitur; 2) exercitationes Anglicas semel p. h. moderabitur.

Dr. Hermannus Kretzschmar, socios seminarii theologici cantica liturgica docebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii** officiis destinatum cotidie h. X—XI patebit, **musea** autem suo quodque tempore commilitonibus aliisque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cotidie h. XI—XII, zoologicum item cotidie patebit adituris arcessito instituti geologici ministro. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales velut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Carolus Birkmeyer, I. U. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Augustus Dieckhoff,** Th. Dr.
Iurisconsultorum **Ioannes Merkel,** I. U. Dr.
Medicorum **Albertus Thierfelder,** M. Dr.
Philosophorum **Alexander Goette,** Ph. Dr.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXXV

AB DIE XV M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE NUMERIS DOCHMIACIS

PARTICULAM QUARTAM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

Accepi a scriptore
11. Aprile 1885

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Transeo ad Aristidem Quintilianum p. 39 μιγνυμένων δὲ τῶν γενῶν τούτων εἴδ ῥυθμῶν γίνεται πλείονα, δύο μὲν δοχμιακά, ὧν τὸ μὲν συντίθεται ἐξ ἰάμβου καὶ παίωνος διαγυίου —. εὐφυέστεραι γὰρ αἱ μίξεις αὗται κατεφάνησαν. δόχμιοι δὲ ἐκαλοῦντο διὰ τὸ ποικίλον καὶ ἀνόμοιον καὶ μὴ κατ' εὐθὺ θεωρεῖσθαι τῆς ῥυθμοποιΐας. Hic ego juvenis initio corrigere volueram παίωνος διγυίου. Sed quum διάγυιος forma saepius Aristides utatur, animadvertit veteres rhythmicos vitiose locutos διάγυιος dixisse pro δίγυος. Quod ipse Aristides docet paulo superius de paeone epibato disputans, ubi diserte scribit διάγυιος μὲν οὖν εἴρηται οἷον δίγυιος· δύο γὰρ χρῆται σημείοις. Itaque verba συντίθεται ἐξ ἰάμβου καὶ παίωνος διαγυίου sic interpretanda sunt: ,ex iambo et cretico bimembri'. Quod dochmii syllaba ultima bimembris dicitur conferendum est cum cretico Thaletae

´. ◡ — |

qui aequalis fuit ditrochaeo, id est bimembris

´ ◡ — ◡.

Hoc ad ultimam dochmii syllabam Aristides jure transtulit, propterea quod post singulos dochmios pausa est unius temporis per caesuram hoc modo

◡ ⊥ ⊥ ◡ — | ◡ ´ ´ ◡ .

Breviter Aristides rhythmicus ea adtingit, quae Etymologus M. s. Δοχμικός sive schol. Hephaest. p. 61 uberius exposuere interpretante Seidlero de Vv. D. p. 401. Rhythmici veteres unoquoque pede in duas partes diviso eos numeros ,rectos' (ὀρθούς) vocabant, quorum partes aut aequales essent aut in quibus unius tantum morae discrimine ab altera parte altera differret. Hinc nata sunt rectorum numerorum nomina τὸ ἴσον γένος, τὸ διπλάσιον et τὸ ἡμιόλιον. At in dochmiaco rhythmo prior pars tres, altera quinque complectitur moras ideoque hic numerus non rectus, sed obliquus (δόχμιος) vocatus est. Hoc modo intelligi vult Aristides rhythmicus (τὸ δοχμιακὸν συντίθεται ἐξ ἰάμβου καὶ παίωνος κ. τ. λ.). Nominis δόχμιος rationem reddere voluit et genus numeri definire. Caeteroquin Aristides rhythmicus plane consentiebat cum schol. Heph. p. 60 οἱ μέντοι ῥυθμικοὶ τὸ πᾶν μέτρον ὡς μίαν συζυγίαν λαμβάνοντες δοχμιακὸν ὀνομάζουσιν. Numquam in mentem Aristidi illud venerat, quod metrici nostri opinantur, dochmium ex iambo et cretico (paeone) compositum esse. Dactylum rhythmici in has partes distribuebant

⊥ | ◡ ◡

ut aequale genus rhythmi cognoscerent, non quo dactylum

´ ◡ ◡

exstitisse umquam negarent aut in duas partes discerperent. Rhythmici igitur, adde etiam metricos antiquos, ad unum omnes docuerunt, dochmium genus esse antispastici numeri idque ,obliquum' jure meritoque vocari. At latini scriptores, qui numeros orationis solutae interpretabantur, neque quid esset numerus amplius ipsi noverunt,

ubique a rhythmis ad sola metra aberraverunt. Itaque quum ab Thrasymacho commendari vidisset dochmium in clausulis ut pedem severum et stabilem: discere ipsi et alios docere cupiverunt, quid sibi vere vellet ‚dochmius'. Ab antispastico pede rhythmico procul abhorrebant, iambus autem et creticus quid essent, probe tenebant. Hinc Quintilianus graecis technicis male acceptis IX. 4. 97 ita scripsit: ‚est et dochmius, qui fit ex — vel iambo et cretico'. Rhythmus dochmiorum qualis sit, sic quoque partim intelligi potest: quare multi doctores hanc Quintiliani definitionem sequuntur. Quod minime reprehendo. Scio enim et saepe expertus sum, quantopere juvenes philologi oderint doctrinam rhythmicam, quam ut obscuram nebulosamque respuunt et abominantur. Metricam doctrinam amant, quae certis legibus nititur optimeque illustrata est. Quare ego quoque hoc dedi auditorum coronae, ut brevitati consulerem et superiorem Quintiliani errorem sequerer adderemque, Seidlerum et Hermannum docuisse dochmium esse antispastum, id quod longum est demonstrare. Sed ab rhythmicis veteribus numerus dochmiacus teste scholiasta ad Aeschyli Septem v. 101 et iterum ad v. 121 ὁ ὀκτάσημος ῥυθμὸς appellatus est. Duabus autem partibus constitutis nascuntur tempora sive tria et quinque ut in iambo et cretico, sive ut in bacchio et iambo quinque et tria tempora. Sic enim veteres rhythmici verba ὁ ὀκτάσημος ῥυθμὸς interpretabantur, ut hunc numerum ostenderent inaequalem esse. At vero latini rhythmici verba ὁ ὀκτάσημος ῥυθμὸς pessime ita acceperunt, dochmium tradi e bacchio et iambo compositum esse. Ita enim Quintilianus IX. 4. 97 ‚est et dochmius, inquit, qui fit ex bacchio et iambo'. Hoc vero unus mortalium comprobavit Dindorfius De Metris p. 45 gravi errore. Nam e tanto tamque ingenti numero dochmiacorum versuum ne unus quidem dochmius monstrari potest, qui ictus habeat tam perversos et ridiculos

⏑ –́ –́ ⏑ –́.

Quamobrem neque ex iambo et cretico neque e bacchio et iambo hic versus compositus est, sed dochmius una species est antispasti, una numerorum compages. Verissime enim schol. vetus ad Aeschyli Septem v. 128 de ipsis agens dochmiis — ῥυθμοὶ γάρ εἰσι. βαίνονται δὲ οἱ ῥυθμοί, διαιρεῖται δὲ τὰ μέτρα, οὐχὶ βαίνεται. Ceterum appellatio ὁ ὀκτάσημος ῥυθμὸς etiam eos erroris convincit, qui ad dochmiacum numerum id transferunt, quod ubique iactant μακρὰ τρίσημος. Sed mitto nugas Westphali atque Rossbachi (Metrik p. 562 sq.) praesertim ab Christio (Metrik p. 465) bene refutatas. Aliud genus numerorum, qui ob inaequalitatem initio item ‚dochmii', postea ‚glyconei' dicti sunt, apud Graecos semper rhythmi manserunt, sed in Romanorum poesi ab rhythmis ad mera abierunt metra et ab Catullo imprimisque Horatio civitate latina feliciter donati sunt. Quod non eodem modo in eis accidit ‚dochmiis', qui nunc soli id nomen sibi vindicant atque a nobis hic patrocinantur. Qui quum rhythmi permanserint neque in mera metra unquam conversi sint, a latinis scriptoribus nusquam nominantur, nisi quando agunt de numeris in oratione soluta, poetae ab his rhythmis longe abhorrent. Tantum enim abest, ut Plautus dochmios unquam usurpaverit, ut interrogatus, quidnam esset dochmius id se fateretur penitus nescire. Dochmiaci numeri in scaena Graecorum regnant, sed in magna versantur varietate ac Protei instar ex aliis alias possunt formas adsumere. Quare non mirum est, diutissime hoc numeri genus viros doctos omnes latuisse, in his magnos metricos Brunckium, Porsonum et ipsum Hermannum iuvenem, qui etsi alterum dochmiorum genus recte dixit antispasticum, male tamen addidit alterum atque vocavit trochaicum. Hic tum A. Seidler dochmium e tenebris tandem in lucem protulit. Multis enim carminibus melicis tractatis recondita quoque metra tenebat sciebatque rhythmos ipsos

etiam metra quaedam esse ac potius metrorum particulas. Tum Hermannus primus et in Pindaro et in melicis tragicorum docuit, Graecorum poetas longe optimos esse et rhythmorum doctrinae et metrorum magistros: id quod Seidler imitatus est scenicis poetis dochmiorum causa diligentissime pervestigatis. Denique Seidler magnum se criticum exhibuit, sine qua arte in literis nostris nulla salus est. At rhythmici novitii neque exercent nec vero callent divam criticam, quam negant ullo modo ad sese attinere.

Praeterea Aristides l. l. testatur, glyconeum versum olim ‚dochmii' nomine adpellatum esse, eum puta glyconeum, qui uno versu choriambo praemissum habet antispastum. Cui versui nunc antiquissimo testimonio est locus Corinnae (ap. Hephaest. p. 111 ed. pr.) hac forma

– ´ ´ – | –́ ⏑ ⏑ – .

Sed hic ipse versus iam multo ante Corinnam inventus est, quum vulgaris glyconeus primum hac forma

⏑ ¦ ´ ⏑ ⏑ | ´ ⏑ ⏑

deinde sic

⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ –

ab Alcaeo et Sappho primum repertus esset. Postquam autem dochmius quem quidem nos dicimus in lucem prodiit, genus illud glyconei non iam ‚dochmiacum' dici poterat, sed ad glyconeos relatum dictumque est ‚glyconeus polyschematistus'. Quod nos ipsi Graecorum poetae ut Sophocles et Euripides docuere, qui communi glyconeo eum, qui ex antispasto et choriambo constat, in antistrophis opponunt et utrumque parem versum esse existimant. Hoc praeclare Hermannus docuit in El. D. M. p. 129 sq., multis locis adlatis, quibus alia ex Euripide addere licet. Verum enimvero eam opinionem, quae de dochmii nostri origine apud Etymologum et alios est, ad glyconeos versus adcommodare omnino non licet, ideo quod in neutro glyconeorum genere duae partes ita fingi possunt, ut numero trino cum quinque temporibus comparato integer versus glyconeus oriatur. Quare hoc imperiti rhythmici commentum plane missum faciamus. Recte vero doctiores rhythmici ita judicant, ut est apud Aristidem l. l. δόχμιοι δὲ ἐκαλοῦντο διὰ τὸ ποικίλον καὶ ἀνόμοιον καὶ μὴ κατ' εὐθὺ θεωρεῖσθαι τῆς ῥυθμοποιΐας. Hoc enim in glyconeum versum pariter atque in dochmium cadit, in quo utroque inest antispastus quasi quidam formarum varietatis fons inexhaustus. Nam (quemadmodum supra dixi) ut constantium rhythmorum genera (τὸ ἴσον, τὸ διπλάσιον et τὸ ἡμιόλιον) ‚ὀρθοὶ ῥυθμοί' nominati sunt, ita oppositi rhythmi et valde mutabiles ‚δόχμιοι' (obliqui) ῥυθμοὶ recte dici potuerunt. Quae quum ita sint, dochmius una est numerorum compages ⏑ –́ –́ ⏑ –, unus pes, non plures. Omnino autem, quicunque syllabas habent quinque, non sane metrici sunt pedes, sed mere rhythmici ad unum omnes. Diomedes aliique hunc adferunt quem ipsi ὑποδόχμιον adpellant –́ ⏑ –́ ⏑ – . Alios quinque syllabarum pedes Christius (Metrik p. 72 ed. pr.) adtulit, quem locum tirones inspiciant. Ergo dochmius est quoddam genus antispasti non illud quatuor sed quinque syllabarum. Inventori dochmiorum videndum erat, ut hic pes, qui si in brevem syllabam exiret continuari nequit in longam syllabam desineret. Iam vero quisque antispastus ex iambo constat et trochaeo ⏑ –́ | –́ ⏑. Itaque ut longam in fine acquireret, primus inventor ab Thaleta pro uno trochaeo adsumsit ditrochaeum ⏑ –́ | –́ ⏑ – ⏑, sed eum (ne versus in brevem exiret) unius temporis silentio minuit hoc modo

⏑ –́ –́ ⏑ – | .

Omnino autem primus dochmiorum inventor, poeta caeteroquin ignotus, aliorum opibus tam callide usus est, ut aliena inventa in suam rem sciret convertere. Nam praeterquam quod Thaleta exemplum praceunte dochmios in creticum cum pausa desinere iussit: dochmiis similem ac paene eandem variationem indidit, qua in glyconeo polyschematisto pedes in metra variari noverat surrepto cum hac ipsa re etiam nomine δόχμιος, id quod ab Hermanno pulchre observatum est. Illud ego addiderim dimetrum dochmiacum, quod genus primo solum exstitit, pari ferme compositionis arte ad similitudinem pentametri elegiaci exactum esse, cui et ipsi querimoniam primum inclusam esse constat. Atque hoc unusquisque sua sponte perspiciet, qui aliquod carmen dimetrorum legerit et magna voce recitarit. Sumat is mihi atque adeo eligat divinum illud Aeschyli carmen centum paene versuum in Septem adv. Thebas v. 78—162. Multos ibi versus inveniet his elementis conflatos

´ ⏑ ⏑ – | ´ – ⏑ –

ῥυσίπολις γενοῦ | Παλλὰς ὅ θ' Ἵππιος.

Pone bis pro cretico choriambum

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

iam videbis, quanta pentametri elegiaci et dochmiaci dimetri sit similitudo: cognati enim hi numeri sunt, filius est dochmius pentametro versu parente. Sed dochmiorum auctor inventorem pentametri ita imitatus est, ut eum arte et elegantia multum superaret. Nam in distichis saepe ter repetitum est hoc hemistichium

´ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – |

quem sonum caesura et pausa magis insignem reddit. Magna hinc est aurium offensio et cantilena plena taedii. Ne aversaremur cautum est hac initii variatione

´ ⏑⏑ – ⏑⏑ – | ´ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ .

At vero dochmiorum numeri melle sunt dulciores et (quamquam habent συνάφειαν) centum tamen versus continuo ordine iungi possunt sine ulla nausea. In pentametro elegiaco ne nauseandum sit, semper praepositus est hexameter pentametro neque ulli umquam pentametri plures coniuncti sunt.

Sed hic de glyconeo aliquid cumuli loco addendum est. Nam ut dochmius antispasticus est, ita etiam alter glyconeus sive polyschematistus eo pede regitur, a quo semper incipit id est ab antispasto. Testimonium est ipsum horum utriusque commune nomen δόχμιος. Quod nomen hi numeri non solum ideo acceperunt, quia multum variant, verum etiam quod tanta variatio utrobique ab antispasto proficiscitur, pede variationum magno artifice et fonte quodam perenni. Unus igitur Gaisfordus ad Hephaest. p. 355 recte iudicavit, glyconeum polyschematistum ex antispasto varie formato compositum esse et choriambo. Qui hunc versum e duabus tantum partibus, non (ut placuit Hermanno) e tribus constare perspexit. Primariam enim formam hanc potius fuisse

⏑ –́ ´ – | –́ ⏑ ⏑ –

et antispastum totum arcte cohaerere dilucide ostendi potest. Hinc non de anacrusi disyllaba (ipso initio polyschematisti) seorsim disputandum est, sed una opera de toto quatuor syllabarum antispasto. Qua ratione τὸ δωδεκαμήχανον partim effectum esse supra diximus. Nam sola anacrusis longe pauciores mutationes subire potest quam antispastus quatuor syllabis in unum pedem conflatis. Profecto autem dimetrum hunc versum esse apparet. Primum enim antispastus ex ictibus iustis ubique agnoscitur et in tanto polyschematistorum numero omnes ut dimetri ad aures accidunt, neque ullus est,

qui legi quasi trimeter recte possit, ut taceam, tria κῶλα (κόμματα potius) in tam minuto versu ne per se quidem ferenda esse. Deinde Eupolideum versum, cuius κῶλον prius ipse glyconeus polyschematistus est, non magis recte Hermannus in El. D. M. p. 578 et Gaisfordus ad Hephaest. p. 358 e senis pedibus constare opinati sunt. Immo Eupolideum versum ab vetustis metricis recte pro tetrametro habitum esse ex eo elucet, quod in parabasi, in qua sola Eupolideus reperitur, nulli umquam versuum generi locus concessus est nisi tetrametrorum. Ergo ut Eupolideus versus est tetrameter, sic glyconeum nostrum nihil aliud nisi dimetrum esse adparet. Optime igitur Hephaestio p. 106 et p. 56 polyschematistum pariter atque vulgarem glyconeum δίμετρον ἀκατάληκτον appellavit. Verum enim et dochmius genus antispasti, et glyconei alterius prior pars ambo mere sunt rhythmica neque hic pes ἀντίσπαστος sed βακχεῖος (κατὰ ἴαμβον) ab rhythmicis nominantur. Longe aliter visum est Hermanno (in El. D. M. p. 525 sive in Epitome p. 191 et p. 198 ed. sec.) qui glyconeum polyschematistum e tribus partibus hoc modo

⏓ –́ | – ⏓ | –́ ⏑ ⏑ –

compositum esse voluit. A qua opinione plerisque probata equidem tam longe absum, ut antispastum naviter defendam. Restat, ut antispastum ne a communi quidem glyconeo plane alienum fuisse demonstremus. Nam Hephaestio p. 56 et Iuba apud M. Victorinum p. 117 et M. Plotius p. 290 glyconeum monoschematistum quasi antispastum cum diiambo ita dimensi

⏑ –́ –́ ⏑ | ⏑ –́ ⏑

ad antispasticos numeros retulerunt. Illud inprimis tenendum est, Hephaestionem et Iubam hic non metricam doctrinam professos esse, sed unice personam suscepisse magistri rhythmici. Atqui rhythmicus, qui artem tractat musicam, metrum saepe non moratur, sed leges metri violare non dubitat. Et hic quidem aliquid veri subesse novae doctrinae Hephaestionis antispastus glyconei polyschematisti documento est. Optime enim Hermannus in El. D. M. p. 529 magna locorum nube ostendit, communi formae glyconei parem haberi opponique in antistrophis eam formam, quam ipse falso sic metitur

⏑ – | –́ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ .

Debebat tenere antispastum hoc modo

⏑ –́ –́ ⏑ | –́ ⏑ ⏑

neque communem formam hanc servare

⏓ –́ | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ –,

sed potius formas sequi Hephaestionis

⏑ –́ –́ ⏑ | ⏑ –́ ⏑ –.

Nam diiambum choriambo in antistropha opponi posse res est nota in vulgus. Sed duo genera glyconei communis probe discernenda sunt, in quorum altero tantummodo Hephaestionis praeceptum versatur. Horum alteri sunt glyconei melici, qui habent antispastum et semper cani solebant, quales glyconei in choris Sophoclis, Euripidis et Aristophanis (non item Aeschyli) inveniuntur. Ab his toto coelo distant alteri glyconei communes, qui (ut senarii iambici, ut hexametri dactylici) sine ullo cantu recitabantur, velut apud Horatium

–́ – | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ –

Sic te | diva potens | Cypri.
Donec | gratus eram | tibi.
Ignis | Iliacas | domos.

Plena sunt Flacci carmina his glyconeis, quos etiam in aliis poetis (ut in Catullo) reperire licet. Quo in loco mihi ab Hermanno nostro longe discendendum est. Ille

enim temere confudit melicos glyconeos et Horatianos ideoque in El. D. M. p. 574 iis glyconeis, qui canebantur et iis qui cantu carebant non distinctis Horati glyconeos ad Sophoclis choros melicos non bene transtulit. Tum in dividendis quoque versibus Hermannus ab vero aberravit, quum error errorem traheret. Neque enim omnes versus glyconeos pleno et integro verbo terminavit, sed multa saepe vocabula inter duo versus media dissecuit, ut identidem in choro Sophoclis Oedip. Col. v. 668 sq. et in antistropha v. 695 sq., qui versus omnes iam a Brunckio recte divisi sunt. Sed hunc Hermanni errorem iam Dindorfius (Metra p. 56) iure suo notavit. Invenit tamen Hermannus laudatores ut Christium, qui amplissima laude Hermannum prosequitur (in libro Metrik p. 96 ed. pr.). Neque vero equidem dixerim nihil omnino veri Hermannum vidisse, sed Hephaestionis praecepta ad unum omnia certo certiora esse. Etenim si (id quod valde probabile est) versus Priapei et Cratinei ab Graecis sumti sunt, qui in latina poesi non canebantur, ut apud Graecos cantu carent glyconei ad metrum Eupolideum translati: antispasti Hephaestionis subito concidunt, abs quo Hermannus in El. D. M. p. 674 tum bene dissensit. Sane hic locus iam alio tempore ab me tractatus est et ab Hermanno discessum (vide ‚Quaestiones Metricas' in Ind. Lect. Rostoch. Sem. Aestiv. a. 1868 p. 3—8). Ceterum res ipsa tulit, ut hic quoque, ubi de dochmio (genere antispasti) disputatum est, etiam de glyconei (metri cognati) antispastis sermo incideret. (Continuabitur.)

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Ioannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Genesin interpretabitur, quinis p. h. scholis hora XII—I; 2) privatim Homileticen docebit, quater p. h. die Martis, Mercurii, Iovis et Veneris hora XI—XII; 3) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur die Lunae hh. VI—VIII vesp.

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinquies h. IX; 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinquies h. X tradet, et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Sat. h. XI et h. XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim theologiam biblicam novi testamenti quinquies p. h. hora VIII—IX; 2) privatim theologiae dogmaticae partem alteram quinquies p. h. IX—X docebit; 3) privatissime sed gratis exercitationes systematicas instituet die Iovis h. V—VII.

Dr. Carolus Friedericus Noesgen, P. P. O., 1) privatim epistolas Pauli ad Corinthios quinquies p. h. h. III—IV tractabit; 2) privatim epistolas N. T. quae dicuntur catholicas, quinquies p. h. h. IV—V interpretabitur.

In ordine iuridico.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., h. t. Rector, 1) ius criminale Germanicum tradet senis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii horis VIII—X; 2) electa et difficiliora iuris criminalis capita tractabit die Veneris h. VIII—X.

Dr. Franciscus Bernhöft, P. P. O., 1) historiam et institutiones iuris Romani explicabit octonis per hebd. horis die Lunae, Martis, Mercurii, Veneris h. XI—I; 2) practicum quod vocant civile instituet singulis per hebd. horis die Saturni h. V—VI.

Dr. Ioannes Merkel, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pandectas praeter doctrinam de obligationibus tractabit denis p. hebd. scholis h. VII—IX; 2) exercitationes exegeticas in Digestis Iustiniani imperatoris instituet h. c. semel p. hebd.

Dr. Victor Ehrenberg, P. P. O., 1) ius mercaturae cum iure cambiali et maritimo quinquies p. h. docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. XI—XII; 2) ius privatum Mecklenburgicum tradet quater p. h. diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII—I; 3) historiam iuris Germanici quater p. h. tractabit.

Dr. Edgar Loening, P. P. O., 1) ius publicum Germanicum quinis p. h. scholis h. X—XI; 2) ius publicum Mecklenburgicum cum iure administrationis publicae quater p. h. h. c.

Colloquia de universa iuris disciplina habebunt:

Pars I.

I. de pandectarum iure Dr. Bernhöft, qui partem generalem et ius rerum, Dr. Merkel, qui obligationum, familiae, hereditatis iura tractabit senis p. h. horis diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris, Saturni h. IV.

II. de iure criminali Dr. Birkmeyer binis p. h. h. dieb. Mercurii et Iovis h. V.

III. de iure privato germanico et mecklenburgico communi, excluso iure commerciali cambiali, maritimo et de historia iuris germanici Dr. Ehrenberg binis p. h. h. Lunae et Martis h. V.

IV. de iure publico et ecclesiastico Dr. Loening singulis p. h. h. die Veneris h. V.

In ordine medico.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem diebus Martis, Iovis et Saturni h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret die Mercurii h. X; 3) exercitationes practicas in clinico medico moderabitur diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris, Saturni h. X.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iovis h. III—IV; 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) cotidie hora IX—X tradet; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilelmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam diebus Martis, Iovis, Saturni hora IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dimidia moderabitur; 3) cursum operationum, quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis reget.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora IX; 2) operationes, quae in arte obstetricia adhibentur, ope corporum artificialium exercendas moderabitur ter p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quater p. h. hora VIII moderabitur; 4) de partubus et aegrotis policlinicis disseret bis p. h. hora VIII.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pathologiam generalem cotidie hora VII docebit; 2) cursum anatomiae et histologiae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora III—V; 3) exercitatiorum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata una cum Dr. Neelsen cotidie moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., 1) de alimentis hominum disseret die Martis h. III—V; 2) pharmacognosin tradet die Mercurii et Saturni h. XI—I; 3) privatissime exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio cotidie moderabitur.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., 1) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris d. XI—XII, diebus Martis, Iovis, Saturni h. XI et dimid. —I; 2) cursum operationum chirurgicarum moderabitur quotidie h. V—VII.

Dr. Albertus de Brunn, P. P. O., 1) anatomiae systematicae partem alteram docebit cotidie h. XII; 2) de anatomia generali disseret nec non exercitationes microscopicas habebit dd. Martis et Iovis h. V—VII, d. Saturni h. VII—IX; 3) anatomiam topographicam tradet dd. Lunae, Mercurii, Veneris h. VII.

Dr. Iulius Uffelmann, P. P. E., 1) disciplinam diaeteticam bis per hebdomadem; 2) hygienen ter per hebdomadem tractabit; 3) cursum hygienes practicum bis per hebdomadem; 4) cursum vaccinationis theoretico-practicum semel p. hebd. moderabitur.

Dr. Fridericus Neelsen, P. P. E., 1) morborum ex plantarum invasione parasitica orientium et pathologiam et anatomiam pathologicam his p. hebd. docebit; 2) exercitatiorum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata una cum Dr. Alb. Thierfelder moderabitur.

Dr. Guilelmus Brummerstaedt, mulierum morbos ternis p. h. horis docebit.

Dr. Theodorus Gies, 1) cursum alligandi privat. bis per hebdomadem; 2) exercitationes practicas diagnoseos et therapiae chirurgicae privat. bis per hebdomadem tractabit.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, 1) privatim Pindari carmina interpretabitur bis p. h. h. XI; 2) privatim Taciti Agricolam explicabit horis commodis.

Dr. Ioannes Roeper, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

Dr. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., privatim 1) historiam gentis Germanicae a Caroli V. electione usque ad annum 1789 docebit quinis diebus h. XII; 2) geographiam universalem tradet binis diebus h. XI; 3) publice seminarii historici exercitationes moderari perget binis die Saturni h. XI et XII.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) psychologiam ter p. h. hora III diebus Mercurii, Iovis, Veneris; 2) historiam philosophiae, qualis recentioribus temporibus exculta est, quater p. h. h. IV diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris; 3) paedagogicen ter p. h. h. V diebus Lunae, Martis, Mercurii tradet.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim linguam theodiscam medii aevi docebit diebus Martis, Iovis, Veneris hora IX; 2) privatissime palaeographiam theodiscam tradet bis p. h.; 3) privatim poëma franco-gallicum »Chanson de Roland« et Conradi presbyteri »Rolandslied« bis interpretabitur diebus Martis et Veneris h. X; 4) exercitationes Seminarii germanici moderari perget, quibus »Helmbrecht« poëma Wernheri tractabitur.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., 1) privatim chemiam organicam quinquies p. h. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. h. moderabitur.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., 1) privatim physices experimentalis partem primam docebit quinquies p. h. h. VIII; 2) elementa theoriae undulationum explicabit bis p. h.; 3) exercitationes physices practicae solito more instituet; 4) privatissime sed gratis exercitationes Seminarii physicalis moderari perget die Saturni h. X et XI.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., 1) privatim theoriam numerorum leget quater diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII; 2) privatim introductionem in theoriam functionum hyperellipticorum exponet bis diebus Lunae et Iovis h. XI; 3) staticen tractabit bis diebus Martis et Veneris h. XI; 4) exercitationes Seminarii mathematici bis die Mercurii h. XI et XII diriget.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., 1) privatim vaticinia prophetarum Hoseae, Ionae, Nahumi, Habacuci ter p. h. explicabit; 2) privatim grammaticam linguae chaldaicae simul cum interpretatione chaldaicarum V. T. partium bis p. h. tradet.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., 1) privatim geologiam tractabit sexies p. h.; 2) privatim petrographiam docebit ter p. h.; 3) excursiones geologicas ducet semel p. h.

Dr. Alexander Goette, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim zoologiam tractabit quinis horis dierum Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. XI; 2) privatim exercitationes zootomicas quinis horis p. h. moderabitur; 3) privatissime instructiorum studia in instituto zoologico curabit quotidie.

Dr. Gustavus Koerte, P. P. O., 1) privatim artium plasticarum apud Graecos et Romanos inde ab Alexandri Magni temporibus historiam enarrabit quaternis scholis; 2) de urbis Pompeiorum historia institutis monumentis adhibita etiam ratione antiquitatum privatarum Romanarum disseret ternis scholis; 3) privatissime sed gratis exercitationes archaeologicas moderari perget semel per hebdomadem binis scholis.

Dr. Carolus Goebel, P. P. O., 1) phytologiam generalem quinquies p. h.; 2) historiam filicum una p. h. h. docebit; 3) exercitationes habebit bis p. h.; 4) instructiorum studia curabit quotidie.

Dr. Fridericus Leo, P. P. O., 1) seminarii philologici sodalibus interpretanda proponet Theocriti carmina die Lunae h. VI; Ciceronis oratorem die Iovis h. IV;

sodalium disputationes moderabitur die Lunae h. VII; sodalium non ordinariorum exercitationibus de Lucreti carmine praeerit die Mercurii h. XI; 2) privatim de Atheniensium republica disseret et exercitationes epigraphicas adiunget quaternis p. h. horis diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. X; 3) Catulli carmina tractabit diebus Lunae, Iovis h. XI.

Dr. Guilielmus Stieda, P. P. O., 1) privatim oeconomiae politicae theoreticam partem docebit quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis h. XII; 2) de reditibus publicis disseret quater p. hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis h. VIII; 3) exercitationes practicas die Veneris moderabitur.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) de agricultura disseret bis p. h.; 2) exercitationes agrarias reget quater p. h.

Dr. Carolus Weinholtz, 1) logicam empiricam docebit; 2) colloquia philosophica moderabitur.

Dr. Iulius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam litterarum francogallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae a saeculo XII disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner, 1) privatim carmen anglicum medii aevi The Tale of Gamelyn ex editione W. Skeat, Oxford 1884 interpretabitur bis p. h.; 2) privatim capita selecta ex Bartschii libro »Altfranzösische Chrestomathie« binis horis explicabit.

Dr. Hermannus Kretzschmar, 1) socios seminarii homiletici cantica liturgica docebit; 2) commilitonibus cujusque ordinis principia artis canendis demonstrabit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii** officiis destinatum cotidie h. X—XI patebit, **musea** autem suo quodque tempore commilitonibus aliisque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cotidie h. XI—XII, zoologicum item cotidie patebit adituris arcessito instituti geologici ministro. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales velut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Carolus Birkmeyer, I. U. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Augustus Dieckhoff**, Th. Dr.
Iurisconsultorum **Ioannes Merkel**, I. U. Dr.
Medicorum **Albertus Thierfelder**, M. Dr.
Philosophorum **Alexander Goette**, Ph. Dr.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXXV/VI

AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE NUMERIS DOCHMIACIS

PARTICULAM QUINTAM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Dixi glyconeos et dochmios duo metra esse cognata: de qua re accuratius disserendum est. Proficiscar ab Aristide Quintiliano p. 39 μιγνυμένων δὴ τῶν γενῶν τούτων εἴδη ῥυθμῶν γίνεται πλείονα· δύο μὲν δοχμιακά, ὧν τὸ μὲν (describitur primo dochmius, tum glyconeus). Neque enim haec duo metra commune nomen accepissent si nullo praeterquam nominis juncta essent vinculo communi. Deinde Pindarus in primo carmine Olympico et saepius haec duo metra ita consociavit, ut hosce numeros habuerit pro cognatis. Praeterea alia necessitudo jam ab Seidlero et Hermanno animadversa est. Apud tragicos enim et in Aristophane (Pindarum diserte excipio) et glyconei et dochmiaci versus sunt connexi per συνάφειαν usque ad finem systematis. Illud quoque hi duumviri bene observarunt, utrosque numeros non aliis misceri metris quam maxime variis ac potissimum cum sui utrumque simillimo: hoc est glyconeos cum choriambo, cum cretico dochmios.

Sed omnis haec res altius repetenda est utroque numero historice pervestigato et accurate definito utriusque tempore: tempus enim in rebus metricis et rhythmicis numquam impune negligitur. Antiquissimus ex his numeris glyconeus vulgaris est, inventus ille circiter a. 611 ante Christum ab Aeolensibus poetis, qui prima hujusce versus elementa perspexerunt

⏑ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
⏑ –́ |.

Observatum est postea verendum esse ne anapaesticus versus fingatur et abolitus sit ab omnibus poetis pyrrhichius, quia in anapaesticum dactylicus versus abire videbatur. Atque dactyli quoque perierunt syllabis eisdem aliter (hoc est in choriambum atque iambum) divisis. Ita glyconei vulgaris haecce forma orta est

⏑ –́ | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ –.

Triginta fere annis post (circiter a. 580) nova glyconei forma primum exstitit, qui ab antispasto incipiens desivit in choriambum hoc modo:

⏑ –́ –́ ⏑ ¦ –́ ⏑ ⏑ –.

Principem novi glyconei auctorem, quisnam fuerit, nescimus: sicut dochmii etiam inventor nunc latet semperque latebit. Sed hos duumviros eodem fere tempore vixisse aut non multo secus necesse est: nam quum primum novi glyconei nati sunt, dochmii quoque laete effloruerunt. Dochmii enim parens callide didicerat inventum alienum in suam rem convertere, oblatis uti, partis opibus perfrui. Cupide enim pedem, abs quo novi glyconei faber exorsus erat, antispastum adripuit ejusque pedis unius ope novos condere numeros instituit. Sed cum glyconei fabro optime actum esse diceres, qui integro antispasto uti poterat insequente syllaba longa, arsi choriambo. Deteriore loco fuit dochmii faber, cujus erat antispastum continuare,

⏑ –́ –́ ⏑ | ⏑ –́ –́ ⏑

quod sequente unumquemque pedem brevi syllaba effici nullo modo potuit. In hac consilii

inopia illud tenuit, omnes antispastos pedem exire in trochaeum. Confugit igitur ad Thaletam Cretensem, cretici metri inventorem, qui duobus paene saeculis ante (circa a. 750) vixerat. Nam Thaletas cretico e dipodia trochaica conflato suum versum mutuatus est, ita ut post singulos creticos pausam faceret

⏑́– ⏑ – | –́ ⏑ –.

Ita princeps dochmiorum faber antispastum non in unum pedem trochaicum exire fecit, sed in Thaletae creticum, ita ut ipse quoque post singulos pedes pausam fieri juberet:

⏑ ´ –́ ⏑ – | ⏑ ´ –́ ⏑ –.

Nunc demum magna dochmiorum multitudo continuari recte potuit. Quum igitur finis antispasti longa syllaba addita corroboratus esset, subito novum metrum dochmiacum in lucem prodiit idque omnium judicio sane praeclarum. Demonstrasse videor quanta horum numerorum quamque manifesta sit cognatio: plane enim novi glyconei et dochmii versus sunt conjungendi. Postremo etiam vulgares glyconeos breviter adtingamus. Quos numeros cum primi eorum conditores Alcaeus et Sappho esse dactylicos jussissent: Seidlerus eorum auctoritate commotus etiam scenicorum poetarum glyconeos quasi dactylos legi voluit. At gravissima quaeque res non, quum primum rudi conatu inchoatur, eodem tempore plane perfecta est. Immo horum glyconeorum numeri sunt choriambici, id quod vel ex novo glyconeo intelligitur, qui exit in choriambum. Quam rem Hermannus verissime perspexit, qui vereor ne ipse quoque Aeolensibus poetis nimium tribuerit ideoque in alium inciderit errorem. Alcaeus et Sappho numeros ita condiderant

⏑ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
⏑ –́ .

De pyrrhichio quodammodo semet ipsi refutant, qui pro eo iambum quoque comprobarint. Refutantur vero etiam ab omnibus qui posteriores erant poetis, a quibus pyrrhichius iste silentio diserto explosus est. Diu licet exspectemus, dum quis ex ullo poeta hunc pyrrhichium exemplis defenderit. Illi vero in multis metris unius syllabae anacrusin praemittunt. Quid, quod hic ipse glyconeus vulgaris pro iambo saepe habet anacrusin hanc

⏓ ¦ –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ –

in poetis scenicis et in Pindaro, velut

ἦ θαυματὰ πολλὰ καὶ
vel φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ.

Nihil igitur obstat quin pyrrhichium istum in malam rem abire jubeamus concedamusque de eo Aeolenses poetas valde errasse. At vero Hermannus his viris tantum tribuit, ut pyrrhichium, iambum, trochaeum, spondeum ‚basin' (hoc enim nomine abutitur) esse doceret eosque quasi anacrusin ab reliquo versu sejungeret. Immo isti pedes semper in versus totius ambitum recepti eoque comprehensi sunt. Veteres rhythmici (ut Aristides eo loco quem supra adtuli p. 39) hunc pedem ἴαμβον verissime adpellarunt. Hujus iambi testis est haec glyconei forma

⏑ –́ –́ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ –

quae incipit ab iambo. Iambo locus permansit eique honor habitus est etiam postea, ut in Pindaro

θεμιστεῖον ὃς ἀμφέπει.

Quamquam temporum decursu spondeus et trochaeus maxime probati sunt, quibus Horatius solis usus est. Dochmii vero priorem pedem sive iambum antispasti ipsum etiam admodum variari videmus et iambum glyconei vulgaris. At longe alio modo hae fiunt variationes, alio rursus modo variantur glyconei. Quamobrem dochmium et glyconeum vulgarem ullo contineri vinculo pernegamus.

De dimetris dochmiacis.

Hoc unum dochmiacorum versuum genus agnoscit Hephaestio c. X p. 55 ed. pr. περὶ ἀντισπαστικοῦ — καὶ ἔστιν ἐπίσημα ἐν αὐτῷ τάδε· πενθημιμερὲς μέν, τὸ καλούμενον δοχμιακόν, οἷον·

κλύειν μαίεται τὸν ἐγχώριον·

(versus Aeschyli, ut opinor). Dimetrum adfert etiam schol. ad Aesch. Septem v. 101 — ἔστι δὲ δοχμιακά· ὅμοιον τὸ „Πόλεμος αἴρεται πρὸς ἐμὲ καὶ θεούς“ — (Ar. Avibus v. 1189, ubi aliter legitur hic dimeter). Adde Ciceronem in Oratore c. 64 § 218 ,dochmius e quinque syllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa ut est hoc ,amicos tenes‘ quovis loco aptus est dum semel ponatur iteratus aut continuatus numerum apertum et nimis insignem facit‘. Hoc dicit unum dochmium (⏑ . ⏑) ponendum esse, non dimetrum unum pluresve, ne prosa in versum incurrat. Paucos de multis adhibui testes, qui uno ore adfirmant dochmiorum versum esse dimetrum, trimetrum vero praecise negant. Atque etiam plerisque locis Aeschyli, Sophoclis et Aristophanis hoc confirmatur. Initio igitur fuit dimeter hac forma:

⏑ ⏓́ ⏓́ ⏑ — | ⏑ ⏓́ ⏓́ ⏑ —.

Monometer si quis additur, aut paenultimus est ante clausulam aut ultimus et systema claudit. Inprimis comparandi sunt anapaesti dimetri, quibus monometer adjicitur aut ut paenultimus ante paroemiacum aut ipse paroemiaci loco systema claudit. Trimeter vero anapaesticus plane inauditus est. Ceterum multo ante dochmios numeri exstiterunt glyconei et jam ab lyricis Aeolensibus frequenter adhibiti sunt. Quod hi poetae variandi causa saepe fecerunt ut glyconeis suis alius generis rhythmos insererent, idem eadem de causa ad dochmios primus eorum faber transtulit, ut occurreret satietati. Sed initio poetae in hac re cauti fuerunt ita ut cum dochmiacis alios numeros conjungere auderent et omnino paucos et dochmiacis simillimos. Ergo senarius iambicus et acatalectus et catalecticus, tum antispastus vulgaris, praeterea creticus vel bini, versus trochaicus aliique numeri oppido pauci cum dochmiis copulantur. In quo quum singularis modestia Aeschyli fuisset, Euripides numerorum novator modum longe excessit. Enimvero auro cariora sunt verba Hephaestionis p. 60: — πενθημιμερὲς μέν, τὸ καλούμενον δοχμιακὸν —. Hinc necessario exspectamus, aliorum numerorum πενθημιμερῆ dochmiis vel maxime inserta esse. Ac profecto ipse Aeschylus et iambica πενθημιμερῆ et vero trochaica dochmiis suis, quasi purpuram vesti intexit. Novum omnibus accidet quod nunc dicam, sed quia verissimum certissimumque esse judico id nolo celare. Quis enim credat, summam ad dochmios utilitatem e versu redundasse dactylico? Et tamen sine dubio ita res sese habet. Procedat in medium non sane hexameter, sed pentameter elegiacus ejusque antiquissima forma, quae spondeis adhuc plane carent, hanc dico

—́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —́ | —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —.

Habes dactylicum πενθημιμερὲς idque duplex. Cui schemati dici vix potest quanta cum dimetris dochmiacis similitudo intercedat. Ac primum quidem etsi Alexandrinorum poetarum latinorumque pentametri cantu plane carebant, antiquitus tamen fuisse melicos (quales semper mansere dochmii) Chamaeleo ap. Athen. XIV p. 620 c. Χαμαιλέων — καὶ μελῳδηθῆναί φησιν τὰ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ Μιμνέρμου aliique testimonio sunt. Deinde uti caesura in pentametro in fine πενθημιμεροῦς prioris necessaria est neque umquam per neglegentiam omittitur, ita in fine dochmii caesura legitima est. Tum in dimetris dochmiacis ab initio prioris et alterius dochmii repetitio ejusdem verbi admodum usitata est, ut

κλύετε παρθένοι κλύετε πανδίκως,

quam rem Seidler De Vv. D. p. 278 attigit. Atqui eadem repetitio in pentametris apud graecos latinosque poetas frequens est, ut in hoc versu Tibulli I. 78

Despiciam dites despiciamque famem.

Adde Propert. I. 12. 20, II. 3. 38 et 44, 4. 2, 6, 42. alia exempla infra larga manu afferentur.

Praeterea flebiles sunt et ubique dochmii et plerumque pentametri elegiaci. De dochmiis ipsa res et tragicorum usus testatur, de pentametris poetae elegiaci, qui infelices amores deflere non desinunt et Horatius A. P. v. 78 tempore primum fuisse putat eos elegos, quibus ‚querimonia' inclusa esset. Nihil ad nos, quod addit Horatius de eo dubitari, quis elegos auctor emiserit. Nam sive is Archilochus fuit, sive Callinus sive Mimnermus, hic versus multo ante primum dochmiorum fabrum exstiterat. Ajo igitur dimetrorum duo genera esse, in quorum altero forma regnat principalis

⏑ –́ –́ ⏑ – | ⏑ –́ –́ ⏑ –

quae ne ab altero quidem plane exclusa est, ut tamen hic raro ponatur, plerumque semel

⏑ –́ –́ ⏑ – | ⏑ ⏑́ ⏑ –́ ⏑ –.

Ceterum dimetrorum genus ad pentametri similitudinem compositum est, in quo hae formae regnant:

–́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –
⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – | ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –
–́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – | ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –
⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –.

Frequens forma, quae a tribracho incipit, ictum plerumque habet in syllaba prima ut pentameter

⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –

raro in secunda

⏑ ⏑́ ⏑ –́ ⏑ –

ut in antispasto

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ –
⏑ – – ⏑

in quo pro iambo dactylo suus locus est et tribracho, sed hoc tantum ictu et percussione

⏑ ⏑́ ⏑ –́ ⏑.

Nam si ictus ita positus esset

⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑

antispastus non ab iambo inciperet, sed a trochaeo soluto.

Res ita se habet. Dochmiaci versus per συνάφειαν inter se conjuncti sunt. Ergo si praecedens dimeter ab iambo incipit, primus versus dimeter percussionem habet iambicam in tribracho

⏑ –́ –́ ⏑ – | ⏑ –́ –́ ⏑ –
⏑ ⏑́ ⏑ –́ ⏑ – | ⏑ ⏑́ ⏑ –́ ⏑ –.

Contra prior pes dimetri si est hypodochmius (–́ ⏑ –́ ⏑ –) etiam secundus pes necessario ita metiendus est, ut tribrachus locum teneat trochaei,

–́ ⏑ –́ ⏑ – | ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –.

Videsis Eur. Orest. v. 140 (stroph.) Σῖγα, σῖγα, λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης et antistr. v. 151 πῶς ἔχει; λόγου μετάδος ὦ φίλα. Tum Aeschyl. Septem adv. Theb. v. 93 δαιμόνων ἰὼ μάκαρες εὔεδροι. Denique Pindarum in Olymp. II. 18 ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν ἀποίητον οὐδ' ἄν. Quibus locis omnibus haec percussio unice probanda est

–́ ⏑ –́ ⏑ – | ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –.

Pentametrorum comparatio etiam alioquin perutilis est. Neque enim in elegis plures pentametri umquam continuantur, sed semper alternant hexameter dactylicus et qui ei subjicitur pentameter. Adparet Graecos veritos esse, ne nimia exsisteret membrorum aequalitas, si saepius pentameter repetitus esset. Quare et ipsum pentametrum spondeis sedarunt,

–́ ⏔ – ⏔ – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

et impetum ejus coercuerunt majestate ejus qui antecedit hexametri. Itaque omnes elegi, ei quoque, qui habent querimoniam, sedate fluere solent. Dochmii vero, qui non choriambo finitur, sed cretico, major etiam impetus est. Comparentur versus Theognidei

Σοὶ δ' ἐγὼ εὖ φρονέων ὑποθήσομαι, οἷά περ αὐτός,
Κύρν', ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παῖς ἔτ' ἐὼν ἔμαθον

cum his Aeschyleis

Σὺ δ' ὦ Διογενὲς φιλόμαχον κράτος
ῥυσίπολις γενοῦ Παλλὰς, ὅ θ' ἵππιος.

Quod igitur ad continu ationem adtinet, dochmiacos dimetros adparet glyconeorum exemplo aliis numeris insertis retardandos fuisse, ne nimia membrorum aequalitas in offensu esset. Sic quoque hoc quod nunc dico dimetrorum dochmiacorum genus ingenti quodam impetu fertur nec nisi a miseris in luctu canitur vehementissimo.

Restant trimetri dochmiaci. Quos supra dictum est plerumque ita componi, ut aut primus dochmius et secundus aut secundus cum tertio similitudinem pentametri elegiaci referant. Verum ea res non ubique observatur neque hujus compositionis certa lex est, sed quaedam adsuetudo. Exemplo est trimeter Pindaricus Ol. I. 30 δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι. Sed de hoc versuum genere A. Seidler, G. Hermannus et G. Dindorfius ita meriti sunt, ut pro notis rebus ac vulgatis haberi possint tantum non omnes. Unam vero rem superesse video, quam ego hic primum adferam, hunc versum a Pindaro fortassis semel usurpatum esse ut asynartetum. Ἀσυνάρτητοι autem omnes id habent, ut in ipso loco caesurae et pausae quovis hiatu uti libera potestate liceat, sive versus constat ex uno metri genere, sive e duobus, ut apud Horatium in Epod. XI. 14 in elegiambis

Fervidiore mero | arcana promorat loco.

Trimetros dochmiacos plus semel habet Pindarus velut Olymp. I in fine epodi, primum v. 30 δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι. Iterum paullo ante in exitu stropharum, primum v. 10

Κρόνου παῖδ' ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν.

Quae verba Boeckhius et post eum editores in duo versus male dividunt, dimetrum et monometrum. Enimvero ut epodi, sic etiam strophae finiuntur uno versu trimetro. Addita est catalexis cretica ἑστίαν cui non sine soni lusu respondet in antistr. v. 23 δεσπόταν. Transeo ad Olymp. II. 10

ἔρεισμ' Ἀκράγαντος |
εὐωνύμων τε πατέρων ἄωτον ὀρθόπολιν·

Sic enim haec a Boeckhio caeterisque edita sunt duobus versibus, quorum prior dochmiacus monometer est hypercatalectus, posterior nihil, immo metro caret. Enimvero haec omnia pro uno versu habenda sunt, trimetro dochmiaco, cui catalexis addita est choriambica.

Dochmii non semper post unum quemque pedem habent caesuram, sed etiam post primam syllabam pedis secundi, ut in Aeschyli Prometheo v. 612

ὑπὸ δὲ κηρόπλαστος | ὀτοβεῖ δόναξ

et in antistr. v. 628

πόθεν ἐμοῦ σὺ πατρὸς | ὄνομ' ἀπύεις;

Hac caesura in fine omnium stropharum et antistrophorum Pindarus hic constanter usus est ita ut primam syllabam pedis secundi etiam produceret

⏑ –́ –́ ⏑ – ⏒ |
ἰανθεὶς ἀοιδαῖς |.

Hiatui in dochmiis suus locus conceditur, ut Seidler De Vv. D. p. 430 observavit. Ceterum tam duri hiatus quales sunt in stropha tertia τὸν Αἰνησιδάμου ἐγκώμιον et inferiore loco

φέρβει, ὅρμοισι in dochmiis quidem non inveniuntur nisi asynartetis. In ipsa tantum caesura, quae ubique facit pausam, huic hiatui locus datur, quasi post caesuram novus plane versus insequatur. Hermannus interroganti mihi coram respondit, asynartetis Pindarum nonnumquam uti et in edit. Boeckhii minore, quam versabat, Ol. II. 7 ubique strophas trimetro dochmiaco terminari certo quodam signo indicavit.

Sed ad alios asynartetos nunc pergamus. In Olymp. I. 27 quasi singularem versum Boeckhius edidit:

ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον.

At initio non ferendus est et tum expellendus anapaestus, qui per totum hoc carmen nusquam reperitur. Immo choriambicus tetrameter hic latet, cujus primo pedi iambus additur ut in glyconeo et tertio pedi una syllaba, ut in pherecrateo.

Tum omnes tetrametri caesuram habent aut pervulgatam post dimetrum aut post primam syllabam pedis tertii. Haec caesura in nostrum locum convenit, ubi invenitur post Κλωθώ et sic in omnibus quae sequuntur epodis eadem caesura est, in secunda post κατα-πέψαι, in tertia post ἄεθλος, in quarta post κορυφοῦται. Eadem tetrametri choriambici incisione utitur Aeschylus in Persis v. 673

ἦ ῥ' ἀίει μου μακαρίτας ἰσοδαίμων βασιλεύς

et antistr. v. 680

ἀλλὰ σύ μοι Γᾶ τε καὶ ἄλλοι χθονίων ἁγεμόνες.

Itaque non versum habemus sed breve et Pindaricum systema, quod incipit a dochmio et in hypodochmium desinit et choriambicum tetrametrum habet in medio locatum:

Ποσειδᾶν ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἔξελε
Κλωθὼ | ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον.

Archilochus asynartetorum inventor post ipsam caesuram justum esse et legitimum quemvis hiatum exemplo suo docuit. Ita hic et caesura est post Κλωθώ et ibidem est hiatus. Sed mendo laborat epodus tertia, in qua post ἄεθλος caesura est:

οὗτος ἄεθλος | ὑποκείσεται.

Et metrum quidem ut hiatum fert ita etiam syllabam ancipitem. Licuit igitur ὑπο-κείσεται poni per metrum, per graecitatem vero non licuit. Antiqui enim graece non dicunt ἄθλος ὑπόκειται sed ubique πρόκειται, hoc est ‚certamen nobis incumbit'. Vides poëtam hic ita scripsisse:

ἁπάντων καλῶν ἄμμορος; ἀλλ' ἐμοὶ μὲν οὗτος ἄεθλος
ποτικείσεται· τὸ δὲ πρᾶξιν φίλαν δίδοι.

Postremo de strophis carminis Ol. IX paucis defungi licet. Solet Pindarus duo glyconeos uno versu conjungere variis modis, ut in Ol. I. 1 ea conjunctione utitur, quem versum dicunt Priapeum. Aliter rem instituit in Ol. IX, etiam hic modo duplici. Nam v. 2 is glyconeus praecedit, qui anacrusin habet, tum communis glyconeus sequitur cum catalexi bacchiaca, quem hendecasyllabum sive Phalaeceum dicunt, ut in Catullo ‚passer deliciae meae puellae'. Continuo v. 3—8 insequuntur quinque glyconei inter se pares eo modo compositi, qui est v. 2, sed alio ordine atque contrario. Antecedit enim in singulis versibus communis glyconeus, sequitur autem is qui anacrusin habet neque plenus est in fine (ut v. 2), sed catalecticus. Mutatio numeri, quam rhythmici dicunt τὴν μεταβολήν, v. 9 demum ab verbis τὸ δή ποτε incipit. Sed versus proximus superior sive ultimus inter pares glyconeos eo indicat metabolen vicinam esse, quod solus ex omnibus 5 versibus glyconeus est asynartetus in exitu prioris glyconei sive in confinio duorum. Hinc est hiatus v. 91

φῶτας δ' ὀξυπρεπεῖ δόλῳ | ἀπτωτὶ δαμάσσαις,

hinc syllaba anceps in stropha tertia v. 63

μάτρωος δ' ἐκάλεσσέ νιν | ἰσώνυμον ἔμμεν,

in quarta antistropho v. 101

ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος | ὤρουσαν ἀρέσθαι,

in tertia antistropho v. 73

πρύμναις Τήλεφος ἔμβαλεν· | ὥστ' ἔμφρονι δεῖξαι,

qui locus depravatus est. Corrigo equidem sic: — ὥστ' ἔμφρονι δόξᾳ | μαθεῖν — hoc est ,ut sapiente praejudicio quis pernosceret Patrocli fortidudinem'.

Enimvero Boeckhius ultimum glyconeum duplicem in duo simplices atque adeo in duo versus distraxit, in strophis omnibus, primum v. 7 sic

ἀκρωτήριον Ἄλιδος
τοιοῖσδε βέλεσσιν.

Boeckhium satis superque refutavit Hermannus Opusc. VIII p. 154 sq. argumentatione laudabili et prorsus evidente. Nihilominus editores recentes non Hermannum vera tradentem, sed Boeckhium errantem sequuti sunt neque v. 18 ab monstro Ἀλφεοῦ disyllabo Hermanni monitu abhorruerunt et immemores fuerunt Porsoniani decreti, qui egregie docuit in omnibus Graecorum melicis eosdem rhythmos quam diutissime tenendos esse. Sed editores Hermannum opinati sunt non habuisse, quos locos alios adversario suo opponeret. Immo Hermannus, quem Boeckhius alios Pindari asynartetos proferre jussisset, tacuit superbia quadam, indignatus Boeckhio e vestigio parere et facere imperata. Proposuerat autem sibi omnem hunc locum, qui est de hiatu et syllaba ancipite, quasi signis versus finiti, peculiari dissertatione pertractare, quod consilium seni agitanti mors intervenit. Quamobrem quod Boeckhius in medio versu malum hiatum nusquam tulit, sed suo judicio terminavit versum post ipsum hiatum: id non sine exceptione comprobari potest minimeque cadit in Pindari asynartetos. Caeterum Boeckhius miratus istos Hermanni versiculos jure vituperavit, qui a Pindari majestate alieni sunt. Ipse adeo Hermannus tandem senex concessit Boeckhii divisionem versuum in universum laudandam esse. ,Recte, inquit, e versibus, qui apud me in Heyniana editione bini sunt, singulos verborum conjunctione effecit.' Sed Boeckhius non semper Hermannum, sed ubique suum judicium secutus est. Caeterum Hermannus Pindarum ad extremam usque senectutem numquam e conspectu amisit. Possideo ego Boeckhii editionem minorem, qua Hermannus sic uti solebat, ut et Boeckhii errores metricos et juveniles suos ipsius sua manu emendaret: quarum rerum minimam partem Hermannus ipse divulgavit. Equidem neutri horum duumvirorum plane addictus nunc Hermannum, nunc Boeckhium ducem eligo. Verum si quando ab talibus tantisque viris ambobus video discedendum esse: tum vero discrucior animi et (ut Goerentius pulchre loquebatur) ,vagus haereo' auriumque judicio diffisus digitis omnibus Pindaricos hujusmodi versus emetior: quos digitos natura mihi dedit undecim, ita ut amici cognomine me dicant ,sedigitum'. Duplex autem libelli vere aurei dos est: insunt enim etiam praeclarae conjecturae et plerumque cum iis conveniunt, de quibus Hermannus in epistola ad me data me fecit certiorem. Nam quum admodum juvenis Pindaricas scholas primum aperirem, a praeceptore meo benevole adjutus sum. Perpauca hic exempla adponam. Olymp. II. 6 γεγωνητέον ὀπί, δίκαιον ξένον docuit metri omnia ita esse scribendum γεγωνητέον, ὄπιν δίκαιον ξένον. Ita in epistola legitur, nam in editione Boeckhii nullam hujus conjecturae mentionem fecit, ut postmodo de ea dubitasse videatur, quemadmodum etiam Kaiser dubitavit. Equidem sic judico, ab Mommsenio, Bergkio, Hartungo, Christio ὄπιν vel optime restitutum esse. Versus constat e dochmio uno et creticis duobus. Aliud mendum in ejusdem carminis antistropho prima v. 11 latet:

ὀφθαλμός, αἰὼν δ' ἔφεπε μόρσιμος, πλοῦτόν τε καὶ χάριν ἄγων.

Hic versus et ab initio et in fine binos habet creticos, quibus in medio interposita est dipodia trochaica. Verum haec dipodia et supra v. 3 et in omnibus strophis antistrophisque (si ab unico loco v. 11 discesseris) alterum pedem habet indutum forma anapaestica –́ ◡ ◡ ◡ –. Tanta est autem Pindarici metri aequalitas, ut haec forma etiam v. 11 necessario reponenda sit. Quid multa? Reposuit Hermannus viditque solus post μόρσιμος articulum ὁ excidisse, qui ad rem quoque valde adcommodatus est sic:

ὀφθαλμὸς αἰὼν δ' ἔφεπε μόρσιμος, ὁ πλοῦτόν τε καὶ χάριν ἄγων.

Sic etiam in epodo v. 19 posterior dipodia trochaica solutum habet pedem alterum ejusmodi –́ ◡ ◡ ◡ – in epodis hujus carminis omnibus. Non multum, inquit, hic egit Hermannus abs quo solus articulus adjectus est. At correctio est plane certa, quam ne unus quidem ex tot editoribus vel adsecutus est vel saltem vitium animadvertit. Nolui ego Hermanni Pindarica vivo etiamtum Boeckhio divulgare, qua editione praevidebam venerandum senem offensum iri. Nunc tandem in hac cura versari coepi, quam, si fieri potuerit, ad finem usque perducere certum est. Ceterum Boeckhius in Pindaro suo interpretando adeo excelluit, ut adhuc parem invenerit neminem, sed merita hujus viri in Pindaro sunt immortalia neque ego illi nunc detrahere ausim ‚Haerentem capiti multa cum laude coronam'.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Ioannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Vaticinia Jesajae interpretabitur, quinis p. h. scholis hora XI—XII; 2) privatim Historiam Veteris Foederis enarrabit, quinquies p. h. hora XII—I: 3) publice Homileticas in Seminario exercitationes moderabitur, die Lunae h. h. VI—VIII vesp.

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies p. h. h. IX; 2) privatim historiam dogmatum quinquies p. h. h. X tradet, et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Sat. h. XI et XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim vitam Jesu Christi secundum quatuor evangelia enarrabit quinquies p. h. h. VIII—IX; 2) privatim theologiam moralem docebit quinquies p. h. h. IX—X; 3) privatissime sed gratis exercitationes systematicas instituet die Iovis h. V—VII.

Dr. Carolus Fridericus Noesgen, P. P. O., 1) privatim epistolas Pauli minores quinquies p. h. h. III—IV interpretabitur; 2) privatim in Novum Testamentum isagogen docebit quinquies p. h. h. IV—V.

In ordine iuridico.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., 1) theoriam processus civilis Imperii Germanici docebit senis p. h. scholis hh. XI—I; 2) processus extraordinarios nec non procedendi in concursu creditorum modum binis per h. scholis tractabit hh. XI—I.

Dr. Franciscus Bernhöft, P. P. O., 1) pandectarum partem primam (regulas generales et jura in re) tractabit octonis p. h. scholis; 2) exercitationes exegeticas instituet singulis p. h. scholis.

Dr. Victor Ehrenberg, P. P. O., h. t. Decanus, 1) ius privatum Germanicum cum iure feudali exponet quinis p. h. scholis h. XII; 2) ius privatum Mecklenburgicum cum iure feudali tradet quinis p. h. scholis h. III.

Dr. Edgar Loening, P. P. O., 1) ius ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum tractabit quinis p. h. scholis h. IX—X; 2) theoriam processus criminalis imperii Germanici quinis p. h. scholis docebit h. X—XI.

Dr. Conradus Hellwig, P. P. E., 1) institutiones iuris Romani docebit quaternis p. h. scholis h. XII—I; 2) historiam iuris Romani tractabit trinis p. h. scholis h. XI—XII; 3) historiam processus civilis Romani binis p. h. scholis docebit h. XI—XII; 4) exercitationes practicas instituet singulis p. h. scholis.

Colloquia de universa iuris disciplina habebunt:

Pars II.

I. de pandectarum iure Dr. Hellwig, qui partem generalem et ius rerum, Dr. Bernhöft, qui obligationum, familiae, hereditatis iura tractabit senis p. h. horis diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris, Saturni h. IV.

II. de processus civilis praeceptis Dr. Birkmeyer binis p. h. h. diebus Mercurii et Iovis h. V.

III. de iure mercenario, cambiali, maritimo Dr. Ehrenberg binis p. h. h. diebus Lunae et Martis h. V.

IV. de processu criminali Dr. Loening binis p. h. h. diebus Veneris et Saturni h. V.

In ordine medico.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem diebus Martis, Iovis et Saturni h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret die Mercurii h. X; 3) exercitationes practicas in clinico medico moderabitur diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris, Saturni h. X.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iovis h. III—IV; 2) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) cotidie hora IX—X tradet; 3) publice generationis et evolutionis historiam exponet diebus Mercurii et Saturni hora III—IV; 4) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilelmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam ternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora XII—I$^{1}/_{2}$; 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quater p. h. moderabitur hora VIII; 2) de aegrotis et partubus policlinicis disseret bis p. h. hora VIII; 3) mulierum morbos ter p. h. hora IX; 4) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomiam pathologicam specialem (morbis exceptis renum et organ. genitalium) cotidie hora VIII docebit; 2) cursum et anatomiae et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dim.; 3) exercitationum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata cotidie moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., 1) chemiam physiologicam et pathologicam docebit diebus Iov. h. III—V, Veneris h. IV—V; 2) pharmacologiam diebus Lunae et Martis h. IV—VI tractabit; 3) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio cotidie moderabitur; 4) colloquium de rebus physiologicis et pharmacologicis offert d. Mercurii h. VI—VIII.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., h. t. Decanus, 1) chirurgiam generalem tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Iovis, Saturni h. XI et dim. —I.

Dr. Albertus de Brunn, P. P. O., 1) privatim osteologiam et syndesmologiam tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. III; 2) privatim anatomiae systematicae partem primam docebit cotidie h. XII; 3) privatissime exercitationes anatomicas cotidie hora IX—I moderabitur; 3) privatissime histologiam specialem organ. corp. hum., nec non exercitationes practicas tractabit quater per hebdomadem.

Dr. Iulius Uffelmann, P. P. E., 1) privatim hygienen ter per hebdomadem; 2) privatim disciplinam diaeteticam bis per hebdomadem; 3) privatim infantium morbos quater per hebdomadem tractabit et 4) cursum practicum hygienes moderabitur bis per hebdomadem.

Dr. Guilelmus Brummerstaedt, operationum obstetriciarum exercitationes ternis diebus instituet.

Dr. Theodorus Gies, cursum diagnoseos et therapiae chirurgicae habebit additis exercitationibus membra rite alligandi, diebus Lunae et Mercurii XII—I et Iovis IV—V.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim binis diebus h. IX de theatro Graecorum et Romanorum et de omni eorum re scenica disseret.

Dr. Fridericus Guilelmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam saeculi XVII et XVIII enarrabit quinis diebus h. XII; 2) privatim historiam rei publicae Romanae ab anno 133 ante Chr. nat. usque ad annum 14 post Chr. nat. binis diebus h. XI; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas tradet binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) privatim historiam philosophiae, qualis antiquis temporibus exculta est, quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris h. IV; 2) privatim Logicen et Metaphysicen ter p. h. diebus Mercurii, Iovis, Veneris h. III; 3) privatim Aestheticen ter p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. V docebit.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim linguam theotiscam recentioris temporis docebit ratione potissimum habita vocum physiologiae atque quaestionum orthographicorum binis p. h. diebus Lunae et Iovis h. IX; 2) privatim carmina theotisca minora veterum temporum interpretabitur binis p. h. diebus Martis et Veneris h. IX; 3) privatissime exercitationes cum sodalibus instituet de Germanorum arte metrica bis p. h.; 4) exercitationes Seminarii germanici moderari perget, quibus comparando legentur duae versiones Nibelungorum (»Nibelungennot« atque »Nibelungenlied«) diebus Mercurii et Saturni h. IX—XI.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., 1) privatim chemiam organicam quinquies p. h. docebit h. X; 2) privatim exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. h. moderabitur; 3) publice de praeparatis chemicis officinarum bis p. h. disseret; 4) publice colloquium chemicum diriget bis p. h.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., 1) privatim physices experimentalis partem alteram docebit quinquies p. h. h. V; 2) privatim dioptricam systematis ex superficiebus sphaericis compositi tractabit bis p. h.; 3) privatim exercitationes physices practicae solito more instituet h. III—VI; 4) publice exercitationes Seminarii physicalis moderari perget binis horis.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., 1) privatim geometriam syntheticam docebit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII; 2) privatim introductionem in mechanicam analyticam tractabit diebus Lunae, Iovis h. XI; 3) privatim introductionem in theoriam functionum analyticarum leget diebus Martis, Veneris h. XI; 4) publice exercitationes Seminarii mathematici diriget die Mercurii h. XI et XII.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., 1) privatim grammaticam linguae hebraicae docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris h. V; 2) privatim explicationem chaldaicarum V. T. partium continuabit et selecta prophetarum Targumim capita bis p. h. interpretabitur; 3) privatim grammaticam linguae arabicae non sine interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., 1) privatim mineralogiae elementa sexies h. IX; 2) privatim Germaniae septentrionalis geognosiam bis p. h. tractabit; 3) privatim practicum mineralogicum et geologicum quater p. h. habebit; 4) privatissime et gratis societatem ducet bis p. h.

Dr. Alexander Goette, P. P. O., 1) privatim vertebratorum historiam naturalem tractabit quinquies h. IV; 2) privatim de evertebratorum evolutionis historia disseret quaternis horis diebus Mercurii et Saturni h. XI et XII; 3) privatissime et gratis instructiorum studia in instituto zoologico moderabitur cotidie.

Dr. Gustavus Koerte, P. P. O., h. t. Decanus, 1) artium apud Graecos plasticarum historiam usque ad Alexandri Magni tempora enarrabit quaternis scholis; 2) de Pompejis, urbe antiqua disseret binis scholis; 3) Pausaniae descriptionis Graeciae librum quintum et sextum interpretabitur binis scholis; 4) exercitationes archaeologicas moderari perget binis scholis privatissime sed gratis.

Dr. Carolus Eberhardus Goebel, P. P. O., 1) privatim capita selecta ex plantarum physiologia duabus p. h. horis; 2) privatim plantas cryptogamicas tribus p. h. horis; 3) privatim plantas officinales duabus p. h. horis tractabit; 4) privatim instructiorum studia moderabitur cotidie.

Dr. Fridericus Leo, P. P. O., 1) privatim Seminarii philologici sodalibus ordinariis interpretanda proponet Germanici Ciceronis Aratea atque Thucydidis historias diebus Lunae h. VI—VIII, Iovis h. IV, non ordinariis Euripidis Medeam die Martis h. X; 2) privatim grammaticam latinam docebit diebus Lunae, Iovis, Veneris h. X; 3) privatim Aristophanis Acharnenses enarrabit diebus Lunae, Mercurii, Iovis h. XI.

. Guilelmus Stieda, P. P. O., 1) privatim oeconomiae politicae partem specialem docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. IV; 2) privatim artis statisticae partes historicam, theoreticam, practicam tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii h. VI; 3) privatim exercitationes oeconomicas tractabitur die Veneris h. V.

. Reinholdus Heinrich, P. P. E., privatim practicum agrario-chemicum sexies p. h. habebit.

. Carolus Weinholtz lectiones non habebit.

. Iulius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam litterarum franco-gallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae a saeculo XII factis disseret quater p. h.

. Felix Lindner, 1) privatim ter p. h. grammaticam franco-gallicam historice enarrabit; 2) gratis semel p. h. exercitationes anglicas moderabitur.

. Hermannus Kretzschmar, Professor, 1) privatim socios seminarii theologici cantica liturgica; 2) commilitones cujusvis ordinis principia canendi docebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii** officiis stinatum cotidie h. X—XI patebit, **musea** autem suo quodque tempore commilitonibus sque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cotidie h. XI—XII, ologicum item cotidie patebit adituris arcessito instituti geologici ministro. Peregrinas guas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Ludovicus Matthiessen, Ph. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Ludovicus Schulze,** Th. Dr.
Iurisconsultorum **Victor Ehrenberg,** I. U. Dr.
Medicorum **Guilelmus Madelung,** M. Dr.
Philosophorum **Gustavus Koerte,** Ph. Dr.

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXXVI

AB DIE XV M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE NUMERIS DOCHMIACIS

SPECIMEN SEXTUM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Credo nonnullos mirari, quid sit quod ego praefatus de metris Pindari nonnunquam mihi et a Boeckhio et ab Hermanno discedendum fuisse post hanc praefationem nullum locum huius generis in medium protulerim. Quam rem nunc paucis corrigere ipsa me cogit necessitas. Illud erit modestiae meae, eiusmodi locum eligere, ex quo prope maior quam in nomen meum in ipsos illos heroas, in Boeckhium atque Hermannum, laus redundet. Elegi locum Ol. X, 20, primae epodi finem. Nomen in carminibus Ol. X et Ol. XI necessarium Ζεφύριοι sive Ἐπιζεφύριοι quantum negoti rhythmici Pindaro facessiverit, etiam ex Ol. XI, 15 et multo clarius ex epodis carminis Ol. X intelligi potest. A quibus longe abhorret numerus paeonicus, id est paeon quartus non ita legendus ◡ ◡ ◡ ⏊, dirus numerus et horribilis, quo caede vel modo commissa vel instante chorus tragicus uti solet. At in Pindaro Ζεφύριοι est creticus prima arsi soluta et ictum habet ◡́ ◡ ◡ ⏊, id quod e v. 13 Λοκρῶν Ζεφυρίων, qui est dochmius, inprimis elucet. Hic creticus solutus ◡́ ◡ ◡ ⏊ in epodis Ol. X omnibus pes est paeonicus, quem pedem in tam brevi epodo poeta quinquies usurpavit. Ceterum v. 21 pro vulgata ὁρμάσῃ optativum ὁρμάσαι Mommsenius primus restituit. Qui versus 20 antecedit, cum Hermannus iuvenis pro dactylico habuisset, eum Boeckhius et alii editores anapaesticum esse voluerunt. Tum editores in eo errant, quod hunc versum a praecedenti disiunxerunt hoc modo

θήξας δέ κε φύντ' ἀρετᾷ ποτὶ
πελώριον ὁρμάσαι κλέος ἀνὴρ θ. σ. π.

Nam si anapaestico versui spondeus (ὁρμάσαι) additur, versus cum clausula quadam finitur. Quare versus ita potius dividendi sunt

θήξας δέ κε φύντ' ἀρετᾷ ποτὶ πελώριον ὁρμάσαι
κλέος ἀνὴρ θεοῦ σὺν παλάμᾳ,

id quod etiam Hermannus senex in editione Boeckhii minore perspectum habet. Secundus versus ab dochmio incipit et desinit in choriambum, quae totius epodi est catalexis. Primus autem versus, quem Hermannus quoque senex recte dimensus est, anapaesticus est trimeter, mere rhythmicum genus, non pes metricus. Nam metrici monometrum dimetrum tetrametrum norunt, sed omnino non agnoscunt anapaesticum trimetrum. Deinde primam dipodiam incisione quadam post φύντ' dissecant, ut fit in tetrametris, sed secunda et tertia dipodia sine ulla caesura in unum confluunt, quum in tetrametro post secundam dipodiam caesura sit legitima. Postremo quartus pes non ille quidem est creticus, ut antea quinquies, sed pro anapaesto (◡ ◡ ⏊) inseritur pes ◡ ◡ ◡ ⏊ paeon quartus, quem secundum metricos anapaestis nullo modo inserere licet. Sed longe maior licentia est numerorum, ut exempla

docere possunt. Sic in tetrametro iambico quartus pes in metris vix umquam anapaestus est, uti Porsonus Hermannusque demonstrarunt. Rhythmi tamen hunc anapaestum ferunt, ut Ol. IV, 6

ἔσαναν αὐτίκ' ἀγγελίαν | ποτὶ γλυκεῖαν ἐσθλοί,

et ibidem antistr. v. 16

ἐπεί νιν αἰνέω μάλα μὲν | τροφαῖς ἑτοῖμον ἵππων.

Nunc lyricorum poetarum et scenicorum rhythmi, metrorum progenies, partim cum metris bene conveniunt, ut in Pindari Ol. II ac similiter Ol. I et Ol. IX, partim, ut scias numerorum doctrinam sui iuris fontem esse, ab metris videntur dissidere, ita tamen, ut tum quoque metri genus certo agnosci possit. Et in Pindaro quidem Horatius Carm. IV, 2, 12 solos excipit dithyrambos, in quibus poetam ferri dicit ‚numeris metrorum lege solutis': tametsi hic quoque auxilio veniunt metrici veteres, qui anapaestos quosdam et dactylos metricos nominant κυκλίους, id est dithyrambicos. Quid quod Hermannus, qui in rhythmis Pindari scrutandis familiam ducit, non aliunde hanc doctrinam haurire potuit nisi ab metris, quum ipse esset metricorum forte princeps. Enimvero rhythmos Hermannus metricus omnino non attigit, sed de numeris ut in poetae arbitrio positis certi quidquam desperavit praecipi posse. Plerique cum Hermanno consenserunt, fuerunt tamen etiam qui adversarentur. Quorum alii subrustice prorsus criminati sunt, de rhythmo ne potuisse quidem Hermannum exponere, sed hunc virum in medio gloriosae viae cursu male substitisse, alii Flacci versum in epistolis Hermanno opponunt ‚Est quadam prodire tenus, si non datur ultra'. Ac profecto Hermannus de rhythmis quoque constituendis breviter disputare debebat. Nam metrici docent, syllabam longam in metris duas breves semper aequare, in rhythmis autem longa tribus vel quatuor brevibus aequalis est. Denique ut in poetis lyricis ita etiam in soluta oratione numeri inveniuntur, uti Thrasymachus Calchedonius primus demonstravit. Iam vero Boeckhius rhythmorum rationes minime neglexit, sed de iis disputavit et acute et prudenter. Itaque quod ad numerorum doctrinam pertinet, Boeckhius Hermannum longe superavit.

Caeterum G. Hermannus et in plerisque tragicorum choris et in Pindaro magnum criticum exhibuit. Sed postumae viri illius emendationes Pindaricae, quae nondum in lucem exierunt, aliae perfectae sunt aliae inchoatae tantum, quibus quidem necessario non sum usurus.

Iuvat tamen ex ingenti illo thesauro sumptos quasi flosculos decerpere: quem criticum nullo modo licet adsequi, eum decet admirari. Ceterum in aliquot locis, quorum correctionem Hermannus ipse nondum plane perfecit, ego tanti viri exemplo incitatus coepta studui perficere. Cuius generis locus est in Ol. X (XI), 24—26. Igitur versu 25 ἔργων dant codices antiqui et boni, ἔργον autem novitii libri et ed. Aldina. Genitivum ἔργων omnes editores uno Heynio excepto receperunt. At isto modo posterior versus totus ad sententiam supervacaneus est, qua de causa Heynius alteram lectionem secutus est. Nonne Heynio gravior auctor videtur Hermannus, qui scripturam ἔργον ipse quoque probare videtur? Hos ego duces inita subductaque ratione sequi nullus dubito et verto ita: sine ullo labore perpauci vitae gaudium nacti sunt, labor ante omnia vitae vera felicitas est.

Tum versus admodum mendosi, qui post ‚Πέλοπιν' sequitur, metrum certe idem fuit quod in quarto versu omnium stropharum et antistrophorum huius carminis invenitur, ut in prima stropha v. 4

Ἀλάθεια Διός, ὀρθᾷ χερί

qui dochmius est cum diiambo hac forma

⏑ ´– –́ ⏑ ⏑ ⏑ | — ´ ⏑ –́.

Eadem dochmii species

⏑ ⏑́ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑́ ⏑ — ⏑́ ⏑ —

alibi quoque reperitur, velut in Olymp. II v. 6 stropharum omnium, ubi creticus duplex additur sicut in fine antistrophi

ἀέθλων τε κορυφὰν πόρον τ' Ἀλφεοῦ.

Sed in Ol. X, 26 contra omnes codices in editionibus omnibus ab Schmiedio ad Boeckhium (qui tamen diserte addidit, locum esse corruptum) inepte legitur:

βίη Ἡρακλέος ἐκτίσσατο.

Enimvero ante ἐκτίσσατο in nullo codice deest vox ἑξάριθμον et in quarta stropha v. 64 sqq. sena certaminum genera enumerantur. Itaque ἑξάριθμον recentiores editores bene restituerunt, quod iam Hermannus probavit versu ita suppleto

[νόημ'] ἑξάριθμον ἐκτίσσατο.

Ab initio versus in ed. Aldina reperitur lectio τὰ πρῶθ', quae metro et rei conveniens est, sed fide caret antiquitatis. Etenim ipse Ambrosianus codex cum scholiasta vetere legunt βωμῶν ἑξ., id quod ab Mommsenio ac Bergkio magnopere miror receptum esse. Nimirum βωμῶν neque intelligi potest et metro palam adversatur. Bene tamen habent ῶν literae extremae. Pindarus enim scripserat ita

ἀγῶν' ἑξάριθμον ἐκτίσσατο.

In hac enim repetitione ἀγῶν' ἐξαίρετον atque ἀγῶν' ἑξάριθμον poeta lusit ingeniose. At scribae v. ἀγῶνα vitiose iteratum esse opinati posteriore loco ἀγῶν' deleverunt et posuerunt alii alia. Pro βωμῶν voluerunt fortasse βωμῷ, Pindaro ipso teste in Ol. I, 150, ubi de Pelope scripsit τύμβον ἀμφίπολον ἔχων π ο λ υ ξ ε ν ω τ ά τ ῳ π α ρ ὰ β ω μ ῷ.

Nam aram quoque Pelopi ibidem consecratam fuisse meminerant, obliti Herculis aetate aram Pelopi non exstructam fuisse et multo post Pelopem evectum ad dignitatem heroicam. Pindarum vero ἀγῶν' ἑξάριθμον ἐκτίσσατο scripsisse ego quovis pignore contenderim. Ceterum ego fortasse reduviam curavi, quum capiti medendum esset. Sic quoque hic locus adhuc vitio laborat longe gravissimo. Hanc alteram mendam omnes editores itemque Hermannus bene viderunt, adtingere nemo ausus est sanandi periculum, nedum persanare. Ego hoc quoque periculum sustinebo et monebo alios ut audere ipsi pergant meliora. Deest orationis subiectum, id est persona Herculis. Omnino codd. CN Ἡρακλέης (post ἐκτίσσατο) adiciunt. At metrum plane rectum est et ipse cod. Ambrosianus hoc additamento caret. Ut brevi praecidam, noster locus in omnibus codicibus non solum corruptus est, sed etiam interpolatus. Deleta est Herculis persona, quae olim in verbis θ. ὦρσαν — Πέλοπος optime servata adhuc legebatur. Codices enim meliores nihil plane variant, sed consentiunt in hac scriptura:

Ἀγῶνα δ' ἐξαίρετον ἀεῖσαι θέμιτες ὦρσαν Διός, ὃν ἀρχαίῳ
σάματι πὰρ Πέλοπος.

Oblitus sum supra, βωμὸν scriptum esse in nonnullis codicibus vetustis, veluti CNO. Quid igitur probabilius est quam correctorem voluisse βωμῷ θ' scribere eamque ob rem etiam in v. ἀρχαίῳ esse interpolationem (sicut est in βωμῷ) et ,antiquum' istum errorem correctoribus deberi, Pindarum vero aliquid scripsisse, quod non ad aram spectaverat, sed ad personam Herculis.

Omnis tamen error tanquam ex communi fonte fluxit: ut elucet in hoc θέμιτες ὦρσαν Διός, ὅν. Tametsi enim verba θέμιτες Διός coniungi per se putant: hic tamen ubi Herculis persona ante omnia opus est, sic interpungi debet: θέμιτες ὦρσαν, Διὸς ὃν —. Constat autem primum relativum a Pindaro etiam postponi atque adeo Διὸς ὃν hoc ordine scribi rectissime posse. Post ὃν in omnibus codicibus scriptum est ἀρχαίως quae est interpretatio

vetusta idcirco facta, ut metri saltem ratio constaret. Pro ἀρχαίῳ Pindarum ἀρχὰν παῖς dixisse arbitror. Nam παῖς ab scribis deletum est ut absurdum postquam Διὸς inde avulsum erat. Nunc inserto παῖς voluerunt Διὸς παῖς, uti paulo post v. 40 Hercules Διὸς ἄλκιμος υἱὸς dicitur. Mea coniectura est ἀρχὰν, pro quo affero v. 95, ubi sic legitur ἀρχαῖς δὲ προτέραις de eodem Herculi instituto. Sed accusativum ἀρχὰν adverbi vice ponere Graeci consueverunt. Quare totum hunc locum (salva tamen aliorum coniectura fortasse meliore) ita equidem scribo:

ἀγῶνα δ' ἐξαίρετον ἀεῖσαι θέμιτες ὦρσαν, Διὸς ὃν ἀρχὰν
παῖς σάματος πὰρ Πέλοπος
ἀγῶν' ἑξάριθμον ἐκτίσσατο.

Hoc est, certamen eximium me canere ius fasque iusserunt quod ab initio Iovis filius prope Pelopis sepulcrum ut sex partium certamen condidit. Reliquum est, ut locus Ol. I, 97 addatur, unde tamquam ex fonte mala ista interpolatio βωμοῖς profluxit, ubi haec leguntur de sepulcris Pelopis et vicina ara: τύμβον ἀμφίπολον ἔχων παρὰ βωμῷ.

Ad propositum redeo. Nam dochmiaci numeri cuiusmodi sunt etiam qui ex dochmiis et aliis metris constant olim adeo non perspecti sunt ut diversissima metrorum genera male pro dochmiacis haberentur. Quatuor vel plura etiam metra vel metrorum particulae dochmiacorum nomine circumferebantur. Documento sunt commentarii et editiones Euripidis ab magnis viris evulgatae, ab Heathio, Musgravio, Brunckio, Porsono. Tandem anno huius saeculi undecimo his versibus lux adfulsit et ipsa salus reddita est unici viri invento, qui insignem laudem meruit uno libro sed eo praeclaro edito. Hunc librum De versibus dochmiacis tragicorum graecorum scripsit Augustus Seidler, Lipsiae apud G. Fleischerum 1811. Unus Seidler metrum dochmiacum intellexit generis esse antispastici. Innumerabiles locos Euripidis et Aeschyli tractavit et antistropho ubique excussa et novis antistrophis in lucem prolatis omnem dubitationem sustulit. Ne multa. Seidler et metricum luculentissimum et criticum eximium toto libro suo exhibuit. Comprobavit ipse Hermannus postea Seidleri doctrinam, Reisigius ad Aristophanem, Dindorfius in omnibus poetis scenicis.

Denique dochmios antea ignotos et nulli cognitos post Seidlerum etiam tirones perspexerunt. Ceterum haec hominum doctorum laetitia non fuit omnino perfecta. Absono enim versu admonebantur aliquid adhuc deesse ad plenam tantae rei perfectionem.

Nimirum ipse Seidler et post eum alii quum unam doctrinam metricam tractare viderentur, dochmios quasi iustum metrum dimensi sunt. Tamen sic quoque res Seidlero praeclare successit, id quod non negamus: magna felicitate usus est, quum in dochmiis enucleandis cum optima ratione versatus sit.

Sane glyconei, qui apud Pindarum et poetas scenicos ipsi quoque sunt melici, in Alexandrinorum poesi et in latina etiam ut Horati atque Catulli compositi sunt e strophulis quum cantu carmina carerent. Quod contra dochmii semper et ubique mere fuerunt melici et cantati sunt non assa voce recitati. Numeri igitur sunt dochmii, metrum non sunt, in tempora, non in syllabas dividuntur, partes utique habent quibus consulat res non metrica verum rhythmica.

Non hanc esse verborum controversiam sed rei ipsa scripta vetera rhythmicorum demonstrant, qui saepe ut contraria opponunt οἱ μετρικοὶ καὶ οἱ ῥυθμικοί. Rhythmicos esse dochmios ostendit antiquus scholiasta ad Aesch. Septem v. 100 et iterum ad v. 120. At vero Seidler quum rhythmicorum mysteriis non initiatus esset, plerumque tamen cum metro etiam numeros bene percepisse mihi videtur. Quod vir egregius profecto efficere non potuisset, nisi qualis matris cum filio talis cum rhythmica arte metricae esset coniunctio.

Veruntamen unam et item alteram observationem ex numeris depromptam, quae Seidleri diligentiam fugerunt, hic notabo. Nam Seidler penitus tacet de hypodochmio, quem

Hermannus quoque (ad Eur. Orest. v. 140) de medio censet tollendum esse, unus autem Dindorfius intactum dimisit nulla tamen ratione reddita. At secundum metricam doctrinam trochaici et iambici pedes sunt plane oppositi neque pro altero alterum poni umquam licet. Ergo pro antispasto, qui ab iambico pede incipit, ditrochaeo nihil loci relictum est. Et tamen pro iusta forma dochmii

⏑ –́ ´ ⏑ ´

usurpari etiam hanc speciem videmus

´ ⏑ ´ ⏑ ´

quod inter melicos dochmios non est trochaicum πενθημιμερές, sed iam ab veteribus technicis ὑποδόχμιος bene adpellatum est. Rhythmicus et antispastus et ditrochaeus habet totidem moras id est tempora sena. Hypodochmiis testimonio sunt septem versus Euripidis, duo Aeschyli et Pindari aliquanto plures. At versus Plautinus

Callidum senem | callidis dolis

neque hypodochmius neque penthemimeres est trochaicum, sed genus metri est cretici, quod a Plauto inter veros creticos interponi solet. Eodem pertinet in dimetris trochaicus ita ut supra ostendi e trochaicis solutus et ita percutiendus in hac forma

´ ⏑ ´ ⏑ ´ | ⏑́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́

σῖγα σῖγα λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης

πῶς ἔχει; λόγου μετάδος, ὦ φίλα

(Eur. Orest. v. 140 et antistr. v. 151).

Adnumerato autem tribracho, quoniam hic solutio est pedis trochaici, effectus est numerus hypodochmiorum, qui omnes iustis dochmiorum regulis liberi sunt. Denique omnia haec metra numero glyconici exemplo inlustrare licet. Glyconei enim loco cretici choriambum habent, quorum iusta forma haec est

⏑ ´ ´ ⏑ | ´ ⏑ ⏑ —.

Cuius loco in choris Euripidis sexcenties haec species supponitur

´ ⏑ ´ ⏑ | ´ ⏑ ⏑ .

Quid quod haec numeri mutatio etiam in Eupolideum versum transiit, cuius prima pars ipsa est glyconeus, veluti ap. Aristoph. Nub. v. 514

ὦ θεώμενοι, κατερῶ.

Sed ad aliam rem pergamus. Duas tres quatuor syllabas breves interdum inter dochmios interpositas aut iis praemissas esse Seidlerus l. l. p. 180 sqq. primus verissime docuit. At vero metrici generis breves istas syllabas esse neque Seidlero neque Hermanno adsentior. Quum enim luculenter istae ab metricae doctrinae legibus certissimis procul abhorreant: ad rhythmorum mysteria eas certum est revocandas esse et pro numeris habendas. Certe huius usus exempla apud Euripidem potissimum leguntur, cuius poetae rhythmos Aristophanes in Ranis graviter exagitavit, ubi vetera scholia ad v. 1314 Euripidi μελίσματα diserte tribuit. Eiusmodi μέλισμα etiam breves istas syllabas esse arbitror. Aliis poetis, qui his syllabis abstinuerunt, si huiusmodi brevitatibus opus esse videbatur, credibile est silentio usos esse complurium syllabarum, quod λεῖμμα et πρόσθεσιν et σιωπήν technici adpellant. Quam rem Hermannus in Epitome p. 255 atque Boeckhius de metris Pindari p. 74—77 paucis adtigerunt. Quamquam silentio rhythmico nullus locus esse potest intra ipsos versus dochmiacos, qui ab veteribus technicis ὁ ὀκτάσημος ῥυθμὸς scite adpellantur, hoc est ⏑ –́ –́ ⏑ — nullo plurium temporum additamento.

Omnes autem numeri qui per συνάφειαν nexi sunt, dochmiaci, glyconei, anapaesti dimetri et pleraque alia metra in choris et in aliis partibus tragoediae quae canuntur hoc inprimis habent ut in fine versuum ante clausulam neque hiatus durus, neque syllaba anceps

ec denique producta syllaba, quae aut tribus brevibus aut quatuor aequalis sit, ullo modo erri tolerarique possit. Immo in fine versuum ultima syllaba si producitur semper duabus revibus par esse debet. Omnino vero de longiore productione plane tacendum est nisi uando eam tribus vel quatuor brevibus aequatam esse vel admodum probabile sit, vel ad eritatem plane demonstrari possit.

In clausulis productio necessaria est. Itaque in re gravissima sequimur Augusti oeckhii sententiam.

Ille enim tum ipsis veterum testimoniis stabilitum tum naturae vi sic compositum sse docuit, ut in clausula totidem quot in versibus praecedentibus syllabae necessario dhibendae essent ideoque in catalectico versu vel trium brevium vel quatuor productio substitui deberet. At vero alii clamant quamvis syllabam longam ubique tribus vel quatuor revibus parem esse et aequalem posse. Hoc mendacio iam ii quoque libri referti sunt, qui uventutis instituendae causa eduntur. Ipse adeo Christius qui ubique modestior esse solet, si netricam suam doctrinam tertium evulgabit, in hoc genere permulta vel mutare vel tollere unditus debebit. Nam et in glyconeis versibus et in dochmiacis syllabae natura longae emper modo duabus brevibus aequales esse neque ullam praelongam quae e tribus constet el quatuor brevibus adhuc observare potui. Et quum multa alia metrorum genera in lyconeis pariter atque in dochmiacis arcte coniungi soleant: ne in iis quidem ullam syllabam raelongam reperire nobis licuit. De uno tamen versu, qui inter dochmiacos interponitur, iteor me dubitare. Is versus non e bacchio et ithyphallico compositus est, uti Boeckhio idebatur, prior pars est antispastus, altera pars πενθημιμερὲς iambicum cum caesura post ntispastum:

⏑ –́ –́ ⏑ | ⏑ –́ ⏑ ⏓.

Ultima syllaba antispasti plerumque longa est, quam ob rem ancipitem eam esse eidler et Kirchhoffius existimant, semper produci neque corripi umquam Boeckhius atque)indorfius censent, quibus ego adsentior. (Continuabitur.)

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Ioannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Vaticinia V. Ti. Messiana explicabit, quinis p. h. scholis h. XI—XII; 2) privatim Ioelis, Obadjae, Amosi et Michae libros interpretabitur, quinquies p. h. h. XII—I; 3) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur die Lunae hh. VI—VIII vesp.

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinquies p. h. h. IX; 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinquies p. h. h. X tradet et 3) publice in Seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim encyclopaediam et methodologiam conjunctam cum historia theologiae tradet quinquies p. h. h. VIII—IX; 2) privatim theologiam apologeticam sive fundamentalem docebit quinquies p. h. h. IX—X; 3) privatissime sed gratis exercitationes systematicas binis p. h. scholis die Iovis h. V—VII instituet.

Dr. Carolus Friedericus Noesgen, P. P. O., 1) privatim evangelium Ioannis quinquies p. h. h. III—IV interpretabitur; 2) privatim theologiam symbolicam p. h. h. IV—V tradet.

In ordine iuridico.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., 1) ius criminale Germanicum tradet senis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii horis VIII—X; 2) conversatorium offert de jure criminali die Iovis horis VIII—X; 3) electa et difficiliora iuris criminalis capita exponet die Veneris horis VIII—X; 4) Francogallorum processum civilem tractabit semel p. hebd. h. h. c. c.; 5) Sententias summi in Germania tribunalis processum civilem concernentes critice perlustrabit semel p. hebd. h. h. c. c.

Dr. Franciscus Bernhoeft, P. P. O., 1) institutiones et historiam iuris Romani docebit octonis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris horis XI—I; 2) conversatorium offert de pandectarum prima parte (de regulis generalibus et de iuribus in re) ternis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii h. IX—X; 3) practicum quod vocant civile instituet singulis p. h. scholis die Martis h. c.

Dr. Victor Ehrenberg, P. P. O., h. t. Decanus 1) ius mercaturae cum iure cambiali et maritimo senis p. h. scholis docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis h. XII—I, die Veneris h. XI—I; 2) historiam iuris Germanici quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis h. XI—XII tractabit.

Dr. Edgar Loening, P. P. O., 1) ius publicum Germanicum quinis p. h. scholis X—XI; 2) ius publicum Mecklenburgicum quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis XI—XII; 3) encyclopaediam iuris universalis binis p. h. scholis diebus Martis et Mercurii IX—X.

Dr. Bernhardus Matthiass, P. P. E., 1) pandectarum primam partem (de praeceptis generalibus et de iuribus in re) octonis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XI—I; 2) pandectarum ius hereditatis ternis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Iovis h. IV—V tractabit; 3) conversatorium de pandectarum iure obligationum, familiae et hereditatis ternis p. h. scholis diebus Mercurii, Veneris h. V—VI et die Saturni h. IX—X offert et 4) Gaji institutionum commentarios binis p. h. scholis die Mercurii h. XI—I interpretabitur.

In ordine medico.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem diebus Martis, Iovis et Saturni h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret die Mercurii h. X; 3) exercitationes practicas in clinico medico moderabitur diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris, Saturni h. X.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iovis h. III—IV; 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) cotidie hora IX—X tradet; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilelmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam diebus Martis, Iovis, Saturni hora IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dimidia moderabitur; 3) cursum operationum, quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis reget.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora IX; 2) operationes, quae in arte obstetricia adhibentur, ope corporum artificialium exercendas moderabitur ter p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quater p. h. hora VIII moderabitur; 4) de partubus et aegrotis policlinicis disseret bis p. h. hora VIII.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam generalem cotidie hora VII docebit; 2) cursum anatomiae et histologiae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora III—V; 3) exercitatiorum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata cotidie moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., 1) de alimentis hominum disseret die Martis h. IX—XI; 2) pharmacognosin tradet die Mercurii et Saturni h. XI—I; 3) privatissime exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio cotidie moderabitur; 4) privatissime sed gratis colloquium de rebus physiologicis et pharmacologicis offert die Iovis h. V—VII.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., h. t. Decanus, 1) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Iovis, Saturni h. XI et dimid. —I; 2) cursum operationum chirurgicarum moderabitur cotidie h. V—VII.

Dr. Albertus de Brunn, P. P. O., 1) anatomiae systematicae partem alteram docebit cotidie h. XII; 2) osteologiam et syndesmologiam leget dd. Martis, Iovis, Sat. h. XI; 3) de anatomia generali disseret nec non exercitationes microscopicas habebit dd. Martis et Iovis h. V—VII d. Saturni h. VII—IX; 4) anatomiam topographicam tradet dd. Lunae, Mercurii, Veneris h. VII.

Dr. Iulius Uffelmann, P. P. E., 1) disciplinam diaeteticam bis per hebdomadem; 2) hygienen infantium semel per hebdomadem; 3) hygienen ter per hebdomadem tractabit; 4) exercitationes practicas hygienicas bis per hebdomadem privatissime moderabitur.

Dr. Guilelmus Brummerstaedt mulierum morbos quaternis p. h. horis docebit.

Dr. Theodorus Gies 1) cursum alligandi die Veneris IV—V; 2) cursum diagnoseos et therapiae chirurgicae diebus Lunae et Mercurii XII—I habebit.

Dr. Christianus Lemcke 1) publice laryngis morbos bis per hebd. horis definiendis docebit; 2) privatim de aegrotis ambulatoriis ex larynge auditusque organis laborantibus disseret additis exercitationibus practicis laryngem et organa auditus rite investigandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IV—V.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, artis tragicae apud Graecos et Romanos historiam docebit binis p. h. scholis.

Dr. Fridericus Guilelmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam medii aevi usque ad exitum generis Staufici enarrabit quinis diebus h. XII; 2) publice historiam Graecorum a bello Peloponnesio usque ad Alexandri Magni tempora deducet binis diebus h. XI; 3) Seminarii historici exercitationes moderari perget binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam paedagogices recentioris ter per hebd. diebus Mercurii, Iovis, Veneris hora III—IV; 2) philosophiae historiam inde ab Ecclesiae patribus usque ad nostram aetatem quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris hora IV—V; 3) religionis philosophiam ter per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii hora V—VI docebit.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim carmina Waltheri qui dicitur „von der Vogelweide" interpretabitur quater p. h. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hora IX; 2) privatissime sed gratis exercitationes cum sodalibus instituet in bibliographia germanica bis p. h.; 3) exercitationes Seminarii germanici moderari perget, in quo carmina illorum poetarum tractabuntur, qui auctoritatem Waltheri secuti sunt, diebus Mercurii et Saturni horis IX—XI.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam anorganicam quinquies p. hebd. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. hebd. moderabitur.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., h. t. Rector, 1) privatim physices experimentalis partem primam docebit quinquies p. h. h. VIII; 2) exercitationes physices practicae solito more instituet; 3) privatissime sed gratis exercitationes Seminarii physicalis moderari perget die Saturni h. X et XI.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., 1) privatim calculum differentialem et integralem tractabit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora XII—I; 2) privatim theoriam linearum et superficierum curvarum moderabitur diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora XI—XII; 3) privatim theoriam functionis potentialis leget die Mercurii hora XI—I; 4) publice exercitationes mathematicas instituet horis def.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., 1) privatim syntaxin linguae hebraicae bis p. h. docebit; 2) privatim lectionem librorum Samuelis quae dicitur cursoria bis p. h. moderabitur; 3) privatim selectos linguae arabicae textus bis p. h. interpretabitur; 4) privatim explicationem chaldaicarum v. T. partium continuabit et selecta prophetarum Targumim capita semel p. h. interpretabitur; 5) gratis formationem nominum linguae hebr. semel p. h. tradet.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., 1) geologiam docebit sexies p. h.; 2) petrographiam demonstrabit ter p. h.; 3) mineralogiae exercitationes habebit bis p. h.; 4) excursiones geologicas ducet; 5) exercitationibus ac demonstrationibus mineralogicis et geologicis praeerit.

Dr. Alexander Goette, P. P. O., 1) privatim zoologiam tractabit quinis horis dierum Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. XI; 2) privatim exercitationes zootomicas quinis horis p. h. moderabitur; 3) privatissime instructiorum studia in instituto zoologico curabit quotidie.

Dr. Gustavus Körte, P. P. O., h. t. Decanus, 1) artis tragicae apud Graecos historiam enarrabit quater p. h. diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora VIII; 2) de veterum Graecorum vita privata disseret quaternis scholis diebus Mercurii et Saturni horis VII—IX; 3) exercitationes archaeologicas moderari perget die Veneris hora V privatissime sed gratis.

Dr. Carolus Eberhardus Goebel, P. P. O., 1) phytologiam generalem quinquies p. hebd. docebit h. IX; 2) demonstrationes et exercitationes in vivis plantis determinandis moderabitur die Veneris h. V—VII nec non excursiones aliquot ducet die Saturni horis postmeridianis; 3) studia in instituto botanico reget cotidie horis antemeridianis.

Dr. Fridericus Leo, P. P. O., 1) seminarii philologici sodalibus ordinariis interpretanda proponet Scutum Hesiodeum et Livii decadem tertiam dieb. Lunae h. VI, Iovis h. IV, non ordinariis Antiphontis orationes die Mart. h. X; disputationibus praeerit die Lunae h. VII; 2) priv. artem metricam tractabit dieb. Lunae, Iov., Ven. h. X; 3) Properti et Tibulli carmina enarrabit dieb. Lun., Merc., Iov. h. XI.

Dr. Guilelmus Stieda, P. P. O., 1) privatim oeconomiae politicae partem primam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis h. XII; 2) de reditibus publicis disseret diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis h. VIII; 3) exercitationes oeconomicas tractabit die Veneris h. VIII—X.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) plantarum culturae qualis nunc fit rusticarum elementa tradet binis horis p. h.; 2) de animalibus, quorum in re rustica usus est, alendis aget binis horis p. h.

Dr. Iulius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam litterarum francogallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae a saeculo XII disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner, exercitationes anglicas medii aevi moderabitur ex Zupitzae libro: alt- u. mittelengl. Uebungsbuch, semel per hebd.

Dr. Hermannus Kretzschmar, Professor, 1) socios seminarii theologici cantica liturgica; 2) commilitones cuiusque ordinis principia canendi docebit (bis per hebd.).

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii** officiis destinatum cotidie h. X—XI patebit, **musea** autem suo quodque tempore commilitonibus aliisque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cotidie h. XI—XII, zoologicum item cotidie patebit adituris arcessito instituti geologici ministro. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales velut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Ludovicus Matthiessen, Ph. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Ludovicus Schulze**, Th. Dr.
Iurisconsultorum **Victor Ehrenberg**, I. U. Dr.
Medicorum **Guilelmus Madelung**, M. Dr.
Philosophorum **Gustavus Koerte**, Ph. Dr.

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXXVI/VII

AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

CONIECTANEA

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

I.

De numeris dochmiacis

particula septima.

Quum antispasti pedis ultima brevis sit (⏑ – – ⏑) quaeritur quid de eiusdem pedis hac forma ⏑ – – – statuendum sit. Dochmius ex genere est antispasti et ipse quoque in longam syllabam exit. Itaque erant qui crederent merum antispastum ultima longa ipsius dochmii vulgato brevioris speciem esse. At antispastus initium versus esse solet ita ut penthemimeris iambica in eodem versu sequatur hoc modo ⏑ –́ – – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –. Qua re non amplius dubito cum Seidlero facere, cui visus est hic merus esse antispastus cum hic pes syllabam habeat ancipitem. Nam Boeckhii opinioni, qui non ab antispasto sed a bacchio hunc versum incipere arbitratur cum alia plurima obstant tum caesura post antispastum legitima. Numquam autem hoc versu antispastus non desinit in syllabam longam nisi ab uno et item altero loco discesseris.

Primus locus praeclarus est et omnium gravissimus qui in Aeschyli Persis v. 287 legitur

ἔκτισαν εὔνιδας ἠδ᾽ ἀνάνδρους.

At in versu strophico v. 281 ultima syllaba antispasti est longa

ἔθεσαν αἰαῖ στρατοῦ φθαρέντος.

Sed Boeckhius quum strophico versui antistrophicum exaequaret, lenissima transpositione usus scribi iussit εὔνιδας ἔκτισσαν ἠδ᾽ ἀνάνδρους, quae coniectura a Dindorfio recepta est. At sic quoque alius quidam scrupulus restitit quod verba ἔθεσαν et ἔκτισαν sibi non opponuntur more Aeschyleo. Sed hic dubitationis scrupulus evanescet, si Boeckhium etiam alii vitio mederi intellexerimus. Hic enim versus ab strophico tam longe abhorret, ut potius sit dactylicus logaoedicus

ἔκτισαν εὔνιδας ἠδ᾽ ἀνάνδρους

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ – –.

Quare nullus dubito Boeckhii emendationem comprobare.

Tum in Aeschyleo choro (Septem adv. Theb. inde a v. 78) saepenumero hic versus legitur, veluti

κινύρονται φόνον χαλινοὶ

et προσίστανται πάλῳ λαχόντες

et ἀϋτοῦσαι πελαζόμεσθα.

Illa autem parodus choris dochmiacis numeris tota peragitur. Quae res novo argumento est, primum pedem huius versus non esse bacchium, uti Boeckhio videbatur, sed ut Seidler optime vidit, antispastum esse. Certe enim antispastus finitimus et consanguineus est dochmio, ita ut antispastum dochmiis interponere liceat.

In illa parodo duo versus ab antispasto incipientes leguntur, alter strophicus, antistrophicus alter, in quibus ultima antispasti correpta est in stropha v. 112 secundum vulgatam lectionem librorum

Ἀργεῖοι δὲ πόλισμα Κάδμου.

At alteram scripturam, quae aut melius aut aeque bene testata est, nexus sententiarum manifesto flagitat, hanc dico

Ἀργεῖοι γὰρ πόλισμα Κάδμου

eaque in integrum restituenda est.

Magis corruptus est versus antistrophicus, neque libri variant

καὶ Κύπρις ἅτε γένους προμάτωρ

ubi dactylum logaoedicum habemus. Particulas καὶ et τέ transpono

Κύπρις θ' ἃ καὶ γένους προμάτωρ.

post nomen proprium Graecorum usus articulum postulat, ὁ καὶ et ἡ καὶ, non pronomen relativum ὅς καὶ et ἥ καὶ.

Quartus hujusce generis versiculus ab antispasto incipiens, quod ultimam antispasti habeat brevem, omnino nusquam reperitur. Iam ad numeros dochmiacos transeundum est. Δόχμιοι rhythmi dicebantur ‚obliqui'. His oppositi erant ὀρθοὶ ῥυθμοί, numeri recti. Ad genera rectorum primum referuntur versus mere dactylici, tum vero etiam divinum Stesichori inventum dactylo-epitriti, quae vulgo dicuntur strophae doricae. Post Stesichorum diu multumque celebrata est haec stropha ab poetis lyricis, tragicis, deinde etiam comicis antiquis, in quibus poetis nomen Pindari eminet. Huius enim Epiniciorum dimidia fere pars scripta est strophis dactylo-epitriticis. Itaque cum quatuor temporum dactylis iunguntur trium temporum trochaei eamque ob coniunctionem et ipsi nominati sunt recti. Plane alius generis sunt versus dochmiaci, qui numerus ab veteribus technicis ὁ ὀκτάσημος ῥυθμὸς appellatus est. Cur δόχμιος ῥυθμὸς dictus sit explicavit is quem Seidler affert Etymologus p. 285 sub Δοχμιακὸν εἶδος μέτρου ἀντισπαστικοῦ quocum etiam scholiastam Hephaestionis verbotenus consentire memini. Dividebant enim versum in partes duas, unam iambicam, creticam alteram, quo facto tria ad quinque tempora comparata erant neque is rectus rhythmus dici posse videbatur. Qui si unius temporis σιωπὴν ad creticum adsumpsissent, sex tempora potius cum tribus iambis composuissent. Itaque fieri non posse videbatur, ut rhythmi tales ὀρθοὶ dicerentur.

Verum enimvero latius patet dochmii nomen. Male enim Etymologus sive scholiasta ad Hephaestionem de iis numeris solis loquuntur, e quibus dochmius constat. Turpiter etiam haec unus tradit Hephaestio p. 56 ed. prim., ubi de metro agit glyconeo. At non solum dochmius antispastus verum etiam glyconeus numerus primum vocatus erat δόχμιος auctore certissimo Aristide Quintiliano περὶ μουσικῆς p. 31 ed. Tayl. (Itaque Hephaestio nescivit de qua re agatur: non agitur de inventore glyconei, sed de eo poeta qui antiquam appellationem δόχμιος in nomen glyconeum converterit.) Quaeritur igitur, quo iure Aristides Quintilianus glyconei adpellationem antiquam δόχμιος defenderit. Manifesto Aristides initium pro anacrusi habuit quae versui ipsi non adnumeranda sit. Itaque numeri si qui alii fuerunt recti (ὀρθοί) propterea quod anacrusin praemissam sequebantur duo dactyli. At vero longe alii numeri extant, ex quo hi dactyli in choriambum et iambum mutati sunt. Neque pristina anacrusis suo loco permansit, nam abolito dactylo poetae has formas anacrusis probaverunt

⏑ –́

–́ ⏑

–́ –.

Antiqui poetae primum pedem modo versui ipsi adnumeravere, modo extra versum posuere. Versus ipsius pars habita est a Pherecrate comico, is enim ab initio parabasis, quae semper ex tetrametris constabat, in versu Pherecrateo ab se condito haec habet

Ἄνδρες πρόσχετε τὸν νοῦν ἐξευρήματι καινῷ
συμπτύκτοις ἀναπαίστοις —́ — —́ ⏑ ⏑ — —.

Primus pes pro versus ipsius initio et parte semel habitus est etiam a Pindaro, ubi versui e duplicibus glyconeis composito praemisit anacrusin syllaba longa in Olymp. XIV, 1

Κα | φισίων ὑδάτων λαχοῖσαι,
αἵτε ναίετε καλλίπωλον ἕδραν

et in antistr.

ὦ | πότνι᾽ Ἀγλαΐα φιλησίμολπέ τ᾽
Εὐφροσύνα θεῶν κρατίστου.

Rectius tamen primus pes abhinc anacrusis esse dicitur neque ipsius versus partem efficit, qua in re critici praeeunte Hermanno consentiunt. Etiam Pindarus ita iudicavit ubi duplicatis glyconeis novam nusquam praemisit anacrusin, cf. strophicos versus Ol. I, 1 et Ol. IX, 3 sq., ubi sex versus glyconei iique continui nullam habent anacrusin. Eodem referam technicorum sententiam, qui in metiendo hoc glyconeo

⏑ —́ —́ ⏑ ⏑ — | ⏑ —́
—́ ⏑
—́ —

primum pedem utpote anacrusin ipsi versui adnumerant. Ita comparantur choriambus et iambus, hoc est sena tempora cum tribus. Hunc numerum illi rectum (ὀρθόν) esse praefracte negant ideoque hunc glyconeum esse obliquum numerum (δόχμιον) confirmant. Adeo pulcherrimus dulcissimusque ille glyconeus in technicorum reprehensionem incurrit. Ergo opera data est ut rectis numeris restitutis alii glyconei conderentur, quod ante videbatur fieri potuisse choriambo transposito in hunc modum

⏑ —́ ⏑ — | —́ ⏑ ⏑ —.

At cum in antistropha saepe ponatur diiambus pro choriambo iique pedes sibi invicem responderent, diiambus praemissus choriambo efficeret dimetrum choriambicum, minime glyconei speciem. Quare iambus a fine non solum transponendus erat, sed etiam in trochaeum mutandus

⏑ —́ — ⏑ | —́ ⏑ ⏑ —.

Antispastus e sex temporibus constat itemque choriambus. Non diffiteor vulgarem glyconeum mihi longe dulciorem videri, nam iambo finali vehementia choriambi lenitur. At novus glyconeus ubique in ipso fine versui choriambum ponit, pedem vehementissimum. Ceterum in vulgari glyconeo anacrusin metrici probante Hermanno recte agnoverunt versu in tres partes diviso

⏑ —́ | —́ ⏑ ⏑ — | ⏑ —
—́ ⏑
—́ — |
⏑́ ⏑⏑

Sed Hermannus etiam recentiorem glyconeum servata anacrusi in tres partes divisum voluit eo modo

⏑ —́ | —́ ⏑ | —́ ⏑ ⏑ —
—́ ⏑
—́ — |
⏑́ ⏑⏑

At iambus ante choriambum transpositus et in trochaeum mutatus est non aliam ob causam, nisi ut hic trochaeus cum initio versus unum pedem efficere posset anacrusi de medio sublata. Sic enim versu in duas partes diviso ὀρθοὶ ῥυθμοὶ restituti sunt. Denique omnes huiuscemodi glyconeos Euripidis Sophoclis Aristophanis recte legi nequeunt, nisi in hunc modum divisi

⏑ ⏑́ — ⏑ | —́ ⏑ ⏑ —.

Sed non pauca de numeris dochmiacis et glyconeis reliqua sunt, quae commodiore quodam tempore persequemur.

II.

Adnotationes ad Aristophanis Nubes

v. 51 seq.

---

v. 51. versibus 45—53 rhetoricae continentur trilogiae. ergo minime licet verba ἐρίων περιουσίας divellere cum Reiskio, Schuetzio, Wolfio.

v. 53 fin. in Coliade promontorio non solum Venus (Ἀφροδίτη Κωλιάς) fanum habuit, sed etiam Ceres (Δημήτηρ Κωλιάς) teste Hesychio s Κωλιάς. itaque Γενετυλλίδες hic necessario additum est. Lysistratae autem versum 2 miror adhuc in menda cubare, in quo Aristophanei codd. sic exhibent ἢ 'ς Πανός, ἢ 'πὶ Κωλιάδ', ἢ 'ς Γενετυλλίδος, sic autem schol. V. ad l. nostrum: ἢ εἰς Πανὸς ἢ ἐπὶ Κωλιάδος Γενετυλλίδος initio e Nub. 52 repetito. et vulgata quidem ob istud ἢ post Κωλιάδ' ferri non potest, Bentlei autem coniecturam: ἢ 'ς Πανὸς ἢ 'ς Κωλιάδος ἢ 'ς Γενετυλλίδος quis non videt vulgata nihilo esse meliorem? tu ita repone: ἢ 'ς Πανός, ἢ 'πι Κωλιάδ' ἐς Γενετυλλίδος.

v. 56. ambiguitas inest in v. σπαθᾶν. quodsi quis, ut aliter loqui possit aliter ipse sentire, ancipiti verbo utitur, is προφασίζεται. itaque h. l. verba πρόφασιν ἔφασκον cohaerent. geminus locus est Plutarchi in Demetrio c. 19 καὶ πρόφασιν λέγοντος, ὡς ῥεῦμά τι διοχλήσειεν αὐτόν —.

v. 58. τί γάρ μοι] μοι om. R, quod servant caeteri libri cum Suida s. Πότη.

v. 59. δεῦρ' ἵνα V, δεῦρ' ἴθ' ἵνα libri deteriores Aristophanis et Suidas, δεῦρ' ἔλθ' ἵνα R ut codd. plurimi, quod retinui conferoque Eqq. v. 180 et ibid. v. 8. contra δεῦρ' ἴθ' praetulerunt Bentleius et qui Eccles. v. 1084 adtulit Hermannus. tum vulgo δὴ κλαύσομαι, pro quo δῆτα κλαύσομαι optime RV et libri plurimi.

v. 60. apud Suidam (s. Θρυαλλίς) codices recte τῶν παχειῶν. falso igitur Suidas pro verbis ὅτι τῶν π. legisse dicitur τῶν γὰρ π.

v. 62. ἐμοί τε δή] δή hic male om. R, quod mox e margine bis pessime suppletum est, v. 59 (pro δῆτα) et v. 63 pro ἐντεῦθεν. at v. 63 δή prorsus nihil significaret. contra h. l. δή egregie convenit. lepide enim ab stulto sene explicatur dualis haud ambiguas vices esse (nimirum et mihi et bonae uxori). ita cavet, ne quis forte filium credat ab serva isto (v. 57 sq.) partu editum esse.

v. 63. sat vetus lectio fuit δὴ ταῦτ', pro quo δῆτ' legitur in Suida (s. ἐλοιδορούμεθα). sed ταῦτ' plane otiosum est. hinc Reisigius edidit δὴ 'ν ταῦθ', quod ipsum in vulgata haud dubie latet. at R habet δ' ἠντεῦθεν et V δὴν ἐντεῦθεν itemque duo Cantabrigienses. optimorum codd. scriptura ab Hermanno recepta est atque sic editum: δὴ 'ντεῦθεν. ego vero rescripsi: περὶ τοὐνόματος ἐντεῦθεν —. nam δή h. l. expungendum esse ad v. 62 demonstravi.

v. 65. R mendose ἢ κάλλιππον ἢ καλιππίδην. notus est Καλλιππίδης tragoedus, cuius Xenophon in Sympos. III, 11 ita meminit, ut in nominibus Φίλιππος et Καλλιππίδης similiter ludat. Strattis eo nomine scripserat comoediam in hunc ipsum ut videtur Callippidem. antea plerique libri Χάριππον exhibent, pro quo Χαίριππον ex V recepi. bene atticum nomen est etiam Χάριππος. at pari vitio Aelianus in V. H. I, 27 hominem quendam edacem Χάριππον adpellat, qui ab Athenaeo X p. 415, e recte dicitur Χαίριππος. ibidem is Χαίριππος vocatur in loco Phoenicidis. tum forma nominis Χαίριππος Menander quoque ap. Athen. XIV p. 644, f usus est. postremo Chaerippus aliquis occurrit ap. Cic. Epp. ad Fam. XII, 30, 3.

v. 66. noluit, ut ob v. 135 exspectes, dicere Φείδωνα, ut in fine versuum similes formae concinne repeti possent, Καλλιππίδην, Φειδωνίδην, Φειδιππίδην. noli quidquam mutare. τοῦ πάππου est τοὔνομα τοῦ πάππου, quod v. 64 praecessit.

v. 68. nomen Φειδιππίδης etiam alibi occurrere ostendit Graefenhanius allatis non modo Φείδιππος ex Hom. Jl. B. 679 et Apollodoro (sive Terentio) in Hecyra, verum etiam Phidippide cursore quanquam de hoc nomine non una est omnium sententia. Salmasius, Palmerius, Solanus ubique Φειδιππίδης praeferunt, contra Wesselingius ad ‚Philippiden' magis inclinat, dubitant Gaisfordus ad Herodotum et ad Pausaniam Siebelis. mihi placet cursoris nomen fuisse Φειδιππίδης, ut. quater est in Herodoto VI, 105 (etsi mali aliquot codd. Φιλιππίδην exhibent) itemque in eo qui ab Herodoto pendet, Nepote Miltiad. 4 ‚Phidippidemque' ex optimis libris recipiendum est. hunc tamen cursorem post Herodotum alii scriptores male nominarunt Φιλιππίδης, veluti Lucianus Pro Lapsu in S. c. 3 init. (ubi mei codices nihil discrepant) Plinius H. N. VII, 20, Pausanias I, 28 (bis) et VIII, 54, Clemens Alex. Protr. p. 28, Suidas s. Ἱππίας (bis) et s. Φιλιππίδης, Pollux III, 148, quibus Wesselingius addit Plutarch. Malign. p. 862, A, Libanium I p. 138, Solinum Polyh. c. 1. quodsi forte boni codd. hic illic Φειδιππίδης suggerent, praeferre id non dubitabo.

v. 72 non ut vulgo putant certum quemdam collem Atticae nomine Φελλεύς exstitisse, sed praeruptum et lapidosum collem quem libet ita dictum esse H. Sauppius bene observavit.

v. 74. ἐπίθετο R, Mutin. primus, Cantabr. 3 et pr. m. Harlej. cum Benleio, ἐπείθετο male libri caeteri.

v. 75. ἵππερον libri omnes recte. idem morbus v. 244 non ὕδερος (hydrops) dicitur, sed νόσος—ἱππική. prudenter iudicat scholiasta poetam ad ἴκτερον (morbum regium) adlusisse in eaque similitudine persistentem statim, addidisse κατέχεεν, quasi dicturus ἴκτερόν μου κατέχεεν τῶν ὀμμάτων. compara vel Vesp. v. 7. at grammatici olim vocem comice fictam varie corruperunt. Hesychius legit semel ἵππερον, semel inepte ἵππαρον, semel (sub hac ipsa voce) ἱππάερον monstruose. Photius p. 111, 3 ἵππερων legit atque Dindorfio probavit. num igitur dicere licet ἔρωτα καταχεῖν τινος (amorem alicui iniicere)? num in ‚opes' sensus cadit ‚amoris'? apage istas nugas. ibidem pars codicum κατέχεεν, pars maior κατέχεε, solita ante consonam variatione. Reisigius μου κατέχεε ita transponit κατέχεέ μου contra leges caesurae. ictus in primam solet incidere κάτα, κάτε, ut Vesp. 7, Nub. 174. 175. 178. 240, Ran. 751, Ach. 76. 262 (bis). 1029, Eqq. 319. 361. 1366, Pac. 107. 192. 1015, Eccles. 554, Thesmoph. 226 et in fragmentis no. 4. 8. 86. 207. 291. 347. 528. 546 et p. 43 ed. Dind. contra κατά, κατέ ab initio facilius toleratur in Lysistr. 262. 263, alibi raro invenias Avv. 82. 224, fragm. no. 326: nam Acharn. 78 huc non pertinet.

v. 76. Hermannus comparat Xenoph. Memor. IV, 8, 5 ideoque hic optime iungit φροντίζων ὁδοῦ et quia ὁδός et ἀτραπός ita differunt ut ‚via' et ‚semita' apud latinos, contuli proverbium Photii p. 315, 22 Suidaeque atque Ennium ap. Cic. De Divin. I, 48, Cic. in Verrem II, 23, Phaedrum Prolog. L. III v. 38, ubi Bentleius addit Martialem VII, 61.

v. 83. εἰπέ μοι Phidippidi continuat R. at vide vel Eqq. 178.

v. 84. de eo quod est τουτονί melius quam alii iudicat scholiasta: ἔνδον ἀμφίδρυμα ἔχοντα Ποσειδῶνος. omnino enim in scaena domoque Strepsiadis Neptuni equestris statuam fuisse arbitror.

v. 85. μή μοί γε (μέ) γε legitur etiam in Eqq. 19, Lysistr. 922. 939, Vesp. 1179, 1400, Nub. 432, ubi Brunckius plerumque μή μοί γε propagavit, contra Bekker μή 'μοί γε tacito edidit, secutus Erfurdtium ad Soph. Ai. v. 190. ego vero iam in Quaestt. Luc. p. 120 sq. encliticum μοι unice defendi. nusquam enim pronomen ullam vim habet, nullam oppositionem. ergo γὲ non ad pronomen, sed ad coniunctionem μή pertinet et totius est sententiae. μή solum valet ‚ne‘, μή — γὲ ja nicht (‚ne forte‘ ap. Hor. Od. IV, 9. 1 et A. P. v. 406). sic in formula μή σύ γε (velut Eur. Phoen. 543) γὲ non ad pronomen sed ad prius μή ubique refertur, eodemque modo in iurandi formulis γὲ postponitur cohaeretque cum iureiurando, etsi apud atticos vix usquam continuo sequitur. de uno loco Ran. v. 1427 dubitare licet.

v. 87. μ' ante ἐκ ponit R, hoc est: ἀλλ' εἴπερ ἔμ' ἐκ —, uti Bothius scripsit non sine malo sigmatismo. neque pronomen ullam habet emphasin, ita ut vulgata collocatio longe longeque praestet.

v. 88. edd. vett. ὦ παῖ, πιθοῦ. Φειδ. τί οὖν πιθοῦμαι δῆτά σοι; at R ὦ παῖ, πιθοῦ μοι. Φειδ. τί οὖν πείθομαι δῆτά σοι; et πείθομαι habet etiam V. πίθωμαι correxit Dawesius M. Cr. p. 218. ego iam in prima editione scripsi: ὦ παῖ πιθοῦ μοι. Φειδ. τί δὲ πίθωμαι δῆτά σοι; et addidi δὲ — δῆτα in Soph. Oed. Col. 52 eodem modo usurpari, vide Euphrosynen I P. II p. 8. postea in eandem coniecturam etiam C. F. Hermannus incidit. contra numeros Dobraeus scribebat: ὦ παῖ, πιθοῦ μοι. Φειδ. καὶ τί πίθωμαι δῆτά σοι;

v. 89. τὸν σαυτοῦ τρόπον Suidas solus s. ἔκστρεψον in textu, sed in expositione τοὺς τρόπους σου.

v. 91. edd. vett. καὶ τί πείσει; Brunckius et post eum caeteri tacito dederunt καί τι πείσει; at e responso πείσομαι patet πείσει; dictum esse, non τι πείσει; ubi τι valet ad minuendum. ergo haec depravata sunt. restitui ego cum uno Reiskio: κᾆτα πείσει; vid. Eurip. Phoen. v. 549: κᾆτα ποῦ 'στιν ἡ δίκη;

v. 93. τῳκίδιον] Socratis domus, quae infra v. 504 ridetur, etiam secundum latinos scriptores parva fuit et angusta. vide Phaedri Fab. III, 9, Iuvenalem XIV, 120 et Senecam alicuti.

v. 96 sq. verba τὸν οὐρανὸν — πνιγεύς mutilata adfert Etym. M. p. 677, 39. πνιγεύς idem denotat in Aristotele περὶ ζωῆς καὶ θανάτου c. 5. apud scholiastam Cratinus prior dixerat Hipponi philosopho placuisse solem ignem, caelum fumum, nos esse quasi carbones. ita ridetur doctrina Anaxagorae, qui solem esse voluerat massam lapideam ingentem (μύδρον διάπυρον ap. Valcken. in Diatrib. p. 30, c). at ne hoc quidem se tradidisse docet nos ipse Socrates in Plat. Apol. c. 14. continuo v. 99 aliud mendacium sequitur, refutante Platone in Apol. c. 19 (p. 94, B).

v. 105. hunc versum male om. R. nam eum ipsum cum praecedente adfert Athenaeum V. p. 188, c.

v. 108. σχασάμενος τὴν ἱππικήν] Synesii imitationem in Epist. 128 monstravit Berglerus. Dobraei coniectura: τούτων γενοῦ σύ μοι σχασάμενος ἱππικὴν pugnat cum numeris.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

Dr. Ioannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Psalmos explicabit, quinis p. h. hora XII—I; 2) privatim Homileticen docebit die Martis, Iovis et Veneris hora XI—XII; 3) publice homileticas in Seminario exercitationes moderabitur die Lunae hh. VI—VIII vesp.

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinquies p. h. h. IX; 2) privatim historiam dogmatum quinquies p. h. h. X tradet et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et XII moderabitur.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim doctrinam Iesu Christi et apostolorum tradet quinquies p. h. hora VIII; 2) privatim theologiam dogmaticam docebit quinquies p. h. hora IX; 3) publice historiam theologiae dogmaticae explicabit binis lectionibus die Iovis h. V—VII.

Dr. Carolus Friedericus Noesgen, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim epistolam Pauli ad Romanos quinquies p. h. h. III—IV interpretabitur; 2) privatim historiam passionis in quatuor evangeliis enarratam ter p. h. diebus Lunae, Mercurii et Iovis h. IV—V explicabit; 3) privatim exegesin pericoparum evangelicarum ab ecclesia pro toto anno constitutarum practicam ter p. h. diebus Martis et Veneris h. IV—V et die Lunae h. XI—XII docebit.

In ordine iuridico.

Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., 1) theoriam processus civilis Imperii Germanici docebit senis p. h. scholis hh. XI—I; 2) processus extraordinarios nec non procedendi in concursu creditorum modum binis per h. scholis tractabit hh. XI—I; 3) conversatorium proponit de processus civilis praeceptis binis p. h. scholis hh. XI—I; 4) sententias summi in Germania tribunalis ius criminale concernentes critice perlustrabit semel p. h. h. XII—I.

Dr. Franciscus Bernhoeft, P. P. O., 1) pandectarum primam partem (praecepta generalia) quaternis p. h. scholis tradet diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XI; 2) ius obligationum tractabit quaternis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII; 3) conversatorium de obligationibus, iure familiae, iure hereditario instituet ternis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii h. IX; 4) exegeticum offert singulis p. h. scholis h. c.

Dr. Victor Ehrenberg, P. P. O., 1) ius privatum Germanicum cum iure feudali communi quinquies p. h. docebit h. V—VI; 2) ius privatum Mecklenburgicum nec non jus feudorum quinquies p. h. tradet h. III—IV.

Dr. Edgar Loening, P. P. O., h. t. Decanus, 1) ius ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum tractabit quinis p. h. scholis IX—X; 2) theoriam processus criminalis Imperii Germanici quinis p. h. scholis docebit X—XI.

Dr. Bernhardus Matthiass, P. P. E., 1) institutiones iuris Romani explicabit quaternis p. h. scholis die Lunae, Martis, Mercurii, Iovis h. IX—X; 2) historiam iuris Romani docebit ternis p. h. scholis die Lunae, Martis, Mercurii h. X—XI; 3) conversatorium instituet de pandectarum prima parte (praeceptis generalibus et de iuribus in re) ternis p. h. scholis die Iovis, Veneris h. IV—V, die Saturni h. XI—XII; 4) exercitationibus practicis in iure civili binis p. h. scholis die Saturni h. IX—XI praeerit.

In ordine medico.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem diebus Martis, Iovis et Saturni h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret die Mercurii h. X; 3) exercitationes practicas in clinico medico moderabitur diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris, Saturni h. X.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iovis h. III—IV; 2) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) cotidie hora IX—X tradet; 3) privatim generationis et evolutionis historiam exponet diebus Mercurii et Saturni hora III—IV; privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilelmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam ternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora XII—I½; 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quater p. h. moderabitur hora VIII; 2) de aegrotis et partubus policlinicis disseret bis p. h. hora VIII; 3) mulierum morbos ter p. h. hora IX; 4) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomiam pathologicam specialem (morbis exceptis pulmonum et tractus intestinalis et hepatis) cotidie hora VIII docebit; 2) cursum et anatomiae et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dim.; 3) exercitationum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata cotidie moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., Academiae rector, 1) chemiam physiologicam et pathologicam docebit diebus Mercurii h. IX—XI, Iovis h. IX—X; 2) pharmacologiam diebus Lunae et Martis h. IV—VI tractabit; 3) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio cotidie moderabitur.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., 1) chirurgiam specialem tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Iovis, Saturni h. XI et dim. —I.

Dr. Albertus de Brunn, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim osteologiam et syndesmologiam tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. III; 2) privatim anatomiae systematicae partem primam docebit cotidie h. XII; 3) privatissime exercitationes anatomicas cotidie hora XI—I moderabitur; 4) privatissime histologiam specialem organ. corp. hum., nec non exercitationes practicas tractabit quater per hebdomadem.

Dr. Iulius Uffelmann, P. P. E., privatim tractabit: 1) hygienen ter per hebdomadem; 2) disciplinam diaeteticam bis per hebdomadem; 3) aetiologiam et prophylaxin morborum infectiosorum semel per hebdomadem; 4) infantium morbos ter per hebdomadem et 5) cursum practicum hygienes moderabitur bis per hebdomadem.

Dr. Theodorus Gies, P. P. E., privatim 1) cursum alligandi semel per hebdomadem; 2) exercitationes practicas diagnoseos et therapiae chirurgicae ter per hebdomadem tractabit.

Dr. Guilelmus Brummerstaedt cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ternis p. h. horis moderabitur.

Dr. Christianus Lemcke 1) publice morbos, qui ad organa auditus spectant, bis per hebdomadem horis definiendis docebit; 2) privatim de aegrotis ambulatoriis ex larynge auditusque organis laborantibus disseret additis exercitationibus practicis laryngem et organa auditus rite inquirendi diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IV—V.

In ordine philosophico.

Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim Aristophanis Nubes interpretabitur binis diebus.

Dr. Fridericus Guilelmus Schirrmacher, P. P. O., privatim: 1) historiam nationis Germanicae a Caroli V. electione usque ad annum 1789 docebit quinis diebus h. XII; 2) geographiam universalem tradet binis diebus h. XI; publice: 3) exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) paedagogicen ter p. h. diebus Mercurii, Iovis, Veneris hora III—IV; 2) historiam philosophiae antiquae quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris hora IV—V; 3) psychologiam ter p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii hora V—VI tradet.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim historiam litterarum Germanicarum antiquiorum narrabit ter per hebd. diebus Martis, Iovis et Veneris hora IX; 2) privatim carmina selecta interpretabitur ex libro Caroli Bartschii „Chrestomathie de l'ancien français“ praemissa introductione grammatica bis p. h. diebus Martis et Veneris hora X; 3) privatissime exercitationes instituet de lingua theodisca medii aevi nec non recentioris temporis bis p. h. horis definiendis; 4) exercitationes seminarii germanici moderari perget, quibus capita selecta ex Hartmanni poemate „Iwein“ et prima pars ex Goethii tragoedia „Faust“ legentur diebus Mercurii et Saturni horis IX—XI.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebd. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies per hebd. moderabitur; 3) publice de praeparatis chemicis officinarum bis per hebd. disseret; 4) publice colloquium chemicum diriget bis per hebd.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinquies per hebd. hora V; 2) dioptricam systematis ex superficiebus sphaericis centratis compositi, radiis oblique incidentibus, tradet bis per hebd.; 3) exercitationes physices practicae quater per hebd. instituet hora III—VI; publice 4) exercitationes seminarii physicalis moderari perget die Saturni horis X et XI.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., privatim 1) introductionem in analysin infinitorum docebit quater p. h. diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII; 2) theoriam integralium definitorum leget quater p. h. diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XI; 3) introductionem in theoriam superficierum tractabit bis p. h. die Mercurii h. XI et XII; publice 4) exercitationes seminarii mathematici diriget bis p. h. h. def.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., privatim 1) cantica quae V. T. libris historicis inserta sunt, ter p. h. explicabit; 2) grammaticam linguae arabicae non sine interpretandi exercitationibus bis p. h. docebit; 3) grammaticam linguae aethiopicae simul cum interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet; 4) selectos linguae arabicae textus semel et 5) selecta prophetarum Targumim capita semel interpretari perget.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., 1) mineralogiam tractabit sexies p. h.; 2) geographiae physicalis capita selecta tradet bis p. h.; 3) practicum geologicum habebit quater p. h.; 4) exercitationes in instituto mineralogico reget; 5) societatem geologicam privatissime bis p. h. instituet.

Dr. Gustavus Körte, P. P. O., 1) artium apud Graecos plasticarum historiam usque ad Alexandri Magni tempora enarrabit quater p. h. diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. VI; 2) epigraphicen graecam docebit quater p. h. diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora V; 3) exercitationes archaeologicas moderari perget semel p. h. privatissime sed gratis.

Dr. Carolus Eberhardus Goebel, P. P. O., h. t. Decanus, 1) systema plantarum quinquies per hebd. hora VI; 2) phytotomiam quaternis per hebd. horis; 3) plantarum biologiae capita selecta docebit; 4) exercitationes in laboratorio botanico moderabitur quotidie.

. Fridericus Leo, P. P. O., privatim 1) historiam litterarum Romanarum enarrabit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. X; 2) Euripidis Medeam interpretabitur diebus Lunae, Iovis h. XI.; 3) seminarii philologici sodalibus ordinariis legenda proponet Platonis convivium et Ovidi heroides, non ordinariis Taciti dialogum, praeterea disputationibus illorum praeerit diebus Lunae h. VI—VIII, Iovis h. IV, Mercurii h. XI.

. Guilelmus Stieda, P. P. O., 1) privatim oeconomiae politicae partem specialem docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. XII; 2) privatim artis statisticae partes historicam theoreticam practicam tractabit diebus Martis, Mercurii, Iovis h. VIII; 3) privatissime exercitationes oeconomicas et statisticas moderabitur die Veneris h. V.

. Reinholdus Heinrich, P. P. E., privatim practicum agrario-chemicum sexies p. h. habebit.

. Iulius Robert, 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) historiam litterarum franco-gallicarum docebit quater p. h.; 3) de variationibus linguae gallicae a saeculo XII factis disseret quater p. h.

Felix Lindner, antiquissima monumenta linguae gallicae ex libro Koschwitzii „les plus anciens monuments de la langue française" bis per hebd. horis definiendis interpretabitur.

. Hermannus Kretzschmar, 1) socios seminarii theologici cantica liturgica docebit; 2) exercitiis, quae societas academica nuper constituta in arte canendi habebit, praeerit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, conclave secretarii officiis tinatum cotidie h. X—XI patebit, musea autem suo quodque tempore commilitonibus sque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cotidie h. XI—XII, logicum item cotidie patebit adituris arcessito instituti geologici ministro. Peregrinas guas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ıt gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur


Otto Nasse, Med. Dr.

Praesides ordinis Theologorum Carol. Friederic. Noesgen, Theol. Dr.

Iurisconsultorum Edgar Loening, I. U. Dr.

Medicorum Albertus de Brunn, Med. Dr.

[illegible] Carol. [illegible]rd. Goebel, Phil. et R. nat. Dr.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 06 17 09 001 2